



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



3 2044 020 589 164



R. L. ...

Aus 8. 17. 1862.

Harvard College Library



FROM THE BEQUEST OF
JOHN HARVEY TREAT
OF LAWRENCE, MASS.
(Class of 1862)

1862

dupl



RELIGIONIS ET ECCLESIAE

CHRISTIANAE

APUD

HUNGAROS

INITIA.

DISQUISUIT

GEORGIUS FEJÉR

**AD UNIVERSITATEM REGIAM PESTANAM BIBLIOTHECARIUS EMERITUS, CATHEDRALIS
ECCLESIAE L. R. MAGNO-VARADINENSIS CANONICUS.**



BUDAE,

TYPIS REG. SCIENT. UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

1846.

Aus TOYOTA 2.3



Great fund

Das Wichtigste und Wesentliche in der Geschichte ist, das immerwährende Fortschreiten der Völker von Niederen auf höhere Stufen der Cultur; das successive Emporarbeiten der Menschheit aus ihrem rohesten Zustande bis zu dem höchsten der menschlichen Würde. — Die Geschichte ist eine ununterbrochen fortströmende Offenbarung Gottes zur Erziehung des menschlichen Geschlechts, zu einer höheren jenseits der Zeit und des Raumes liegenden Welt.

Philosophie der Geschichte.

CELSISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO

JOSEPHO KOPÁCSY,

METROPOLITANAE ECCLESIAE STRIGONIENSIS

ARCHIEPISCOPO,

INSIGNIS ORDINIS S. STEPHANI REGIS APOSTOLICI

PRAELATO ET MAGNAE CRUCIS EQUITI,

SACRAE SEDIS APOSTOLICAE

LEGATO NATO,

INCLYTI REGNI HUNGARIAE

PRINCIPI PRIMATI, SUMMO ET SECRETARIO CANCELLARIO,

SACRAE, CAESARAE, ET REGIO APOSTOLICAE MAJESTATIS

ACTUALI INTIMO STATUS

ET

AD EXCELSUM CONSILIUM REGIUM LOCUMTENENTIALE

CONSILIARIO,

ECCLESIASTIACAE COMMISSIONIS

PRAESIDI,

INCLYTI COMITATUS STRIGONIENSIS

PERPETUO AC SUPREMO COMITI,

ET

AD EXCELSAM TABULAM SEPTENVIRALEM

COIUDICI,

REI LITERARIAE
SOCIO, FAUTORI ET PATRONO
BENIGNISSIMO, PISSIMO

D. D. D.

Auctor.

AD LECTOREM.

Religionis et Ecclesiae Christianae Historia, cum ciuili, aequa virorum doctissimorum contentione, apud singulas Europae nationes cultiores, eruta, digesta, illustrata, ususque communis facta dudum est; ad illam domi nostrae, seu subsidiariorum inopia, siue studiosorum defectu, plurima desiderantur.

Melchior Inchoffer annalibus regni Hungariae Ecclesiasticis, tomo uno in formato Folii; Innocentius Desericius Initiis Religionis et Ecclesiae Hungaricae tomo itidem uno, in Folio; Italicis adiuti opibus, desiderium isthoc explere orsi sunt; ast Critices praesidio destituti, magnis intricati controversiis, conatu inauspicato.

Monumentis idcirco, diplomatibusque colligendis opera data a Samuele Timon, Martino Szent-Iványi, Joanne Szegedy, et quem principe loco nominare debebam, Gabriele Hevenesy; quem Carolus Wagner, Stephanus Kaprinay, Georgius Pray, cum aliis, indefessa opera sectati.

Admuniculis his triumviri, Stephanus Salagi, de statu Ecclesiae Pannonicae, libris VII. in Quarto; Carolus Péterfy de conciliis Ecclesiae Hungaricae tomis duobus in Folio; et Ignatius Battyányi, de Legibus Ecclesiasticis, dilucidatis, egregie meruerunt. Stephanus Schönvisner Historiam Ecclesiae Sabariensis dilucidauit.

Hierarchiam Hungariae sacram praelaudatus Georgius Pray, e fontibus haustam, complexus est tomis duobus in Quarto; cui simile Daniel Farlati, in Illyrico suo sacro, literis solennibus locupletissimo, tomis VI. in folio obtulit.

Conuersa in res Dioecesanarum disquisitione, harum vices certatim elucubrat: Balthasar Kerchelich Zagrabiensem; Laurentius Károlyi Jaurinen. Innocentius Desericius Vaciensem, Alexander Szörényi Syrmien. Joannes Róka Veszprimien. Nicolaus Schmitth Strigon. et Agrien. Antonius Szereday Transiluan. Ignatius C. Battyányi Chanadien. Antonius Ganóczy Waradien. Josephus Wurum Nitrien. dioeces. Quibus palmam praeripuerant: Josephus Koller in Historia Quinque-Ecclesiensi tomis VI. in quarto et Stephanus Katona in Colocensi, tomis duobus in octavo.

Nec viri religiosi suis deerant partibus: curriculum aggressi sunt Fratres S. Pauli primi Eremitae; quos secuti sunt Fratres S. Francisci Seraphici, diversarum provinciarum; Augustiniani item, et sacri et candidi ordinis Norbertini canonici; tum Benedictini opera Damiani Fuxhoffer in monasteriologia regni Hungariae tomis duobus in folio.

II

De praerogativis ac decimis Ecclesiarum Strigoniensis, Vesprimiensis, S. Martini de monte Pannoniae etc. iuribus item potestatis ciuilibus circa sacra, ortae controversiae, compositae; de originibus duorum, triumue episcopatum disceptatum acriter; contra Godefridum Swarz, gentilem nostrum, foris verbi Diuini ministrum, Ecclesiae nostrae a Latina ortum, quin et omnia sacra, abiudicare ausum, acerrime.

Alii interim Legendas sacras recensere; alii ritus sacros explanare; alii Reliquias sacras (dexteram S. Stephani) vindicare; alii denique dogmata aduersus Protestantem statuere, adlaborarunt. Historiam Ecclesiasticam universam e fontibus dare, idiomate patrio, molitus est Joannes B. Molnár, tomo quarto — dolendum! interruptam. Flores universae Historiae Ecclesiasticae Hungaricae carpsit, Amoenitatum fasciculis sex, Michael Szvorényi, Purpurae Pannoniae Timoniana continuator.

Haec fere sunt, quae a domesticis Religionis et Ecclesiae Hungaricae gratia, duorum seculorum ultimorum lapsu, parce, obiterque congesta sunt. Ab exteris, quibus ab illustrata ciuili Historia debemus plurimum, ad sacram, si unicum Stillingum Joannem excipias, collatum pene nihil. Ipse disertissimus Historiae vniuersalis Ecclesiasticae Stollbergianae continuator, Fridericus Kercz, res Ecclesiae Hungaricae, ceu ad domesticos pertinentes, delibat potius, quam illustrat; ab erroribus haud immunis.

Necessitate hac, qua laboramus, impulsus quadamtenus, in omni studiorum genere ea duntaxat, quae deserta squallebant, colere solitus, ad religionis et Ecclesiae domi nostrae fortunas illustrandas aduertit animum.

Opus arduum ac difficile aggressum me, non diffiteor; ast paruis non raro viribus grandia effecta, pusillis manibus spinas et tribulos extirpatos fuisse, certus; satagendum nihilominus, ne ab exteris in immensum restemus, duxi: Religionis et Ecclesiae Christianae apud Hungaros initia offero.

Quo in tentamine nihil asserere, nisi ex fontibus; nihil affirmare, nisi testium auctoritate; nihil redarguere erroris, nisi modeste; animo constitui. Ne prolixitate laboret disquisitio, vera, utilia, necessariaque sectatus; ambigua digito quasi attingi, adiaphora et obscura in medio reliqui.

Testes, quibus usus sum, ad metiendam ipsorum fidem, ubique laudo, ac propriis verbis recito; monumenta et diplomata, ampla satis serie, ad calcem relegata exhibeo.

Ingenuos res Hungariae sacras disquirendi conatus hosce meos, a mediis atque viribus, quibus valeo, per aequos contentionis litterariae arbitros, aestimatum iri spero, petoque.

Pestini XV. Decembris Anno 1845.

Auctor.

CONSPECTUS OPERIS.

I. Auitae Maiorum nostrorum in Asia Religionis vestigia.

§. 1. Religionis notio ac necessitas. §. 2. Vnius veri Dei agnitio et cultus fuit primitiuus. §. 3. Aboriginibus etiam nostris, in Armeniae superioris parte (Armaea) cunabula nactis, communis. §. 4. Vsu ac necessitudine Persarum ritibus quibusdam sacris auctus, ast erroribus etiam nonnullis contaminatus. §. 5. Sedibus cis Caucasum, fluvios inter Tanaim et Terek locatis, erroribus Scythicis inquinatus magis. §. 6. A cultioribus gentibus trans Volgam, in Vgoriam, remoti magis, a primaeva religione, morumque simplicitate, ad ignorantiam vsque Dei, et atrocitatem descuerunt. §. 7. Gentili superstitione irretiti, saeuitiam vsque feroces, Septem Principes, Duce Almo, ad emigrandum ex Vgoria, nouasque in Europa sedes aquirendas, pactis conuentis, foederantur: Anno post Christum 884.

II. Status ciuilis Europae Anno 884 — 1000-um.

§. 8. Bellis internis et externis, anarchiam usque, turbulentus.

1.) Status Imperii Occidentalis: §. 9. Per frequentes, funestasque imperii post obitum Caroli Magni inter haeredes illius diuisiones, status calamitosus. §. 10 — 12. Post Caroli Crassi Imperatoris, e stirpe legali Carolina vltimi, obitum, Francorum Regnum in Gallia, et Imperium Romanum in Italia conuulsum ac discors. §. 13 — 20. In Germania mortuo 899. Arnulfo, ac Ludovico infante, illius filio 911-o Carolinae stirpis vltimo surculo, electis Regibus Conrado Franco, Henrico Saxoni, Ottoni I. M. Ottoni II. et III-io, Henrico item II. Bauaro, contra internos externosque hostes, Italiae item Tyrannos, pugnandum indesinenter fuit.

2.) Status Imperii Orientalis: Imperium isthoc literis fauentiores nactum est quidem, hac aetate, quam Occidentale, Imperatores §. 21 — 25. Ast etiam molliores: Leonem Sapientem, Constantinum Porphyrogenitum, et Alexandrum Reipublicae studio intenti magis: Romanus, Ioannes Tzimisces, item Basilius et Constantinus, Romani Imperatoris filii. Bellica virtute eminuit Basilius Bulgarorum caesor.

3.) Status gentium Slauinarum: §. 26 — 30. Erant hae per diversas prouincias ac gentes dispersae; nec foedere, nec religione, inter se vnitae; religionem Christianam amplexi conualuere: Croatae, Bojohemi, Morau, Poloni, ac maxime Russi; aliis in Lusatia, Prussia, Pomerania, gentili ferocia saeuientibus.

4.) Status Gentium, Pannoniam et Daciam incolentium §. 31. Erant hi in Dacia Bulgari, Valachi, Cazari; Ducibus clientelari iure subditi. Quod cis Tibiscum Danubium vsque patet, a Slauis Marahanensibus tenebatur, cum parte quadam Pannoniae inferioris; reliquum Pannoniae Marchiones quatuor pro Ducatu Bauariae administrabant: tam inter se, quam cum aliis Ducibus discordes. — §. 32. Status ciuiles Europae, taliter constituti, patentes erant viae Europam, Daciam, Pannoniamque Primoribus nostris inuadendi Anno 889, et §. 32. pernicitate equorum suorum Occidentem et Orientem, Italiam, Germaniam, Franciam igne et ferro vastandi, ac depraedandi.

5.) Status Hungarorum in Europa ciuilis: §. 33. Árpád, Almi Ducis filius, arte ac Marte Dacia et Pannonia subacta, legibusque consuetudinariis ordinata; suis Anno 900-o Italiam, Graeciam, Germaniamque incursandi, spoliandique potestatem fecit. §. 34. Filius eius Zoltan, patris vestigia sectatus, legibus et armis, solers vtrumque imperium tributarium Hungaris fecit. §. 35. Toxus Zoltani natus maxime ac dirissime grassatus, quamdiu licuit. §. 36. Geysa illius Filius, Dux electus, ingenio mitior, pacisque studiosus, ad mores, consuetudines, ac religionem Europaeorum sectandam, cultumque eiusdem, intendit animum, quem filio quoque Stephano ingenerauit.

III. Status Religionis et Ecclesiae ab Anno 884 — 1000-um.

1.) Status Ecclesiasticus in genere: §. 37. Pro hominum ciuili conditione rudi, moribus dissolutis, statu impacato, fuit moestus, afflictus, atque turbulentus.

2.) Romani Pontifices res nostras patrias concernentes. §. 38.

3.) Viri verbi diuini praeconio illustres: §. 39. Wolfgangus §. 40. Pilgrimus, 41. Adalbertus Pragensis. §. 42. Bruno.

4.) Status Religionis incolarum Pannoniae, ac Daciae: §. 43. Conuersio Auarum et Slauorum Carentanorum opera Arnonis Salisburgensis Archiepiscopi. §. 44. Eorundem Auarum et Slauorum Marahanensium praedicatione Vrofl Passauensis Archiepiscopi. §. 40 — 48. Conuersionis huius, quatuor Episcopatus conditis, salutare fructus aemulatione Salisburgensis et Passauensis A. Episcoporum intercepti. §. 49. Rastices Marahanensium Dux, lapsae religionis christianae cura, Euangelii praecones, linguae Sclauicae gnaros; a Michaele Orientis Imperatore petit et obtinet. §. 50. Missioni huic Constantinus ac Methodius felici cum successu respondent. §. 51. Fidem suam Catholicam coram sede Apostolica Romae profitentur. §. 52. Methodius Archiepiscopali dignitate ornatus, ad munus suum Apostolicum continuandum reuersus. §. 53 — 5. Diuersas patitur molestias. §. 56. Ei anno 900-o vitae curriculum consummanti, ac Vichino sede Nitri-

ensi profugo, Ioannes VIII. P. P. Successores dare incassum nititur: ab Hungaris, in res sacras Christianorum saeuientibus, impeditus. §. 57. Bulgarorum in Dacia conuersio, incomperta maxime: Actum illorum Dux, Baptismum ac ritus Graecos Vidino intulisse traditur. §. 58. Status Religionis Maiorum nostrorum in Hungaria ab Anno 889 — 975: Auita superstitio, atque Sacrorum Christianorum persecutio.

IV. Grande conuersionis Hungarorum opus, eiusque media.

§. 59. Ordinariae, et extraordinariae conuersionis ad fidem viae ac media.
 §. 60. Quo bardior aliqua Gens et a cultu ac humanitate remotior, eo in retinendis ritibus auitis pertinacior metu praesertim Deorum suorum gentilium. §. 61. Bellicosae Hungarorum genti bella infauste gesta planauerunt viam Sacra Christiana praeferendi: 1) Zoltanus Dux Anno 926-to captus, et a Henrico Aucupe nouennali pace redemptus. 2.) Funestus pugnae ad Merseburgum Anno 934. exitus. 3.) Internecina Hungarorum ad Augustam Vindelicorum clades Anno 955-o. 4.) Iteratae Hungarorum in Thracia Anno 958., 962 et 970 — 71. clades. §. 62. Calamitas haec belli iterata fuit Hungarorum, ad omnipotentiam Dei Christianorum aestimandam, dispositio. §. 63. Altera dispositio Ottonis M. Imperatoris pacis, ac religionis Christianae propagandae studio, parte altera mitiori Geysae Ducis, pacem, ac praedicationem Evangelii admittentis, animo debetur. §. 64. Contulerant etiam incolarum regni et captiuorum, numero maximo christianorum, vota et preces. §. 65. Directe, ordinarieque operabatur Hungarorum conuersionem Piligrinus, mox pace confecta, submissis continuo verbi Dei ministris, ecclesiasticis et religiosis praeconibus. §. 66. Praedicationis huius successus fuit quidem insignis; non tamen plenus cautela Ducis Geysae, metuque subditorum gentilium. §. 67. Bello inter Ottonem II. Imp. ac Henricum Bauarum, Hungaris foederatum oborto, Piligrinoque impedito, munus praedicationis resumpsit Adalbertus Pragensium Episcopus, nunc nuncios suos mittens, nunc semet offerens. §. 68. Negotium conuersionis Hungarorum refocillauit Geysae in filium, cui regnum 993 tradiderat, cuius Giselam, Henrici foederati sui filiam, Henrici II. Imp. sororem, animo desponderat, studium, ac Baptismi suscipiendi stipulatio. §. 69. Adalbertus, diu desideratus, oportune Roma alterum reuersus, praedicato Euangelio, Geysam Ducem, cum tota domo, idest filio, filia ac coniuge, cognatisque sacro lauacro tingit XXV. Decembris Anno 996. §. 70. Geysam e sacro lauacro ab Othone III. Imperatore leuatum. §. 71. Stephanum, sponsalium occasione, secundum credulitatis suae veritatem, intinctum, et a Deodato sacro fonte leuatum, perinde certum. §. 72. Huic non obstat Biographi Albertini silentium. §. 73. Nec Hartuici, post natiuitatem, baptisma Stephani subiicientis testimonium. §. 74. Sarolta etiam, et consanguinei Geysae, eadem occasione baptisati. §. 75. Geysa baptisatus, ad votum suum de conuertendis Hungaris complendum, verbi Dei praeconibus domicilium fundat. §. 76. Praecones, ac Religionis Christianae promouendae subsidiarios euocat. §. 77. Ad conuersionem Hungarorum perficiendam haud destinatus, obit 997-o. §. 78. Causarum ad conuersionem Hungarorum concurrentium anacephaleosis.

V. Religionis et Ecclesiae apud Hungaros initia

Ecclesiae Graecae non debentur.

§. 79. Godefridi Schwartzii, conuersionis Hungarorum initia ab orientali Ecclesia repententis sententia, et auctoritas. §. 80. Eorum tempus. §. 81. Testes. §. 82. Modus conuersionis. §. 83. Fide dignitas testium ponderantur. §. 84 — 85. Argumenta eliduntur. §. 86. Quae false supponit, examinantur. §. 87. — 88. Sententiae eius fulcra conuelluntur. §. 89. Conclusio illius irritatur. §. 90. Historici Critici nostratis, Stephani Katona, de Hierotheo, primo Hungarorum Apostolo, finalis sententia.

VI. Status nouellae Religionis et Ecclesiae apud Hungaros aduersus.

§. 91. Stephani, post obitum Patris, in religione Christiana apud Hungaros implantanda zelus Apostolicus. §. 92. In cuius ministerium ac tutamen, ecclesiasticos, et ciuiles subsidiarios exciscit. §. 93. Nouitatibus his offensi Gentiles arma corripiunt. §. 94. Primus tumultuarius impetus Teutonicos milites petit. §. 95. Arma mox contra Stephanum ducem vertuntur. §. 96. Stephanus seditiosis, arma deponere incassum iussis, voto in honorem S. Martini cepto, ad Wesprimium occurrit; rebellium Principem, Cupan Ducem Simeghiensem, singulari certamine a Wencellino exercitus regii Prince victum, mulctauit. §. 96. Victor de opibus deuicti liberaliter votum soluit. §. 97. Hostium metu liberatus, omnem deinceps operam ad conuertendos Hungaros impendit. §. 98. Uberrimo cum fructu. §. 99. Decem pro regno Hungariae designat episcopatus, item metropolitanam sedem Strigoniensem. §. 100. Eorundem confirmandorum, apostolica benedictione muniendorum, ac coronae obtinendae gratia, Astricum, Colocensem Episcopum designatum, Romam, ad sedem Apostolicam ablegat.

VII. Status nouellae Religionis et Ecclesiae prosper: Internus.

1.) *Stephanus Apostolicus Rex Hungariae.*

§. 101. Sylvester II. Papa coronam Boleslao, Polonorum Duci, destinata, Stephano nostro addicere coelesti monitu iubetur. §. 102. Idem Papa, percepta Astrici legatione, non tantum petita, sed etiam Apostolatus insigne, cum vicaria sua Ecclesias ordinandi auctoritate, Crucemque submissis per nuncium suum literis, eidem attribuit. §. 103. Astrico feliciter reuerso, totius regni ac populi applausu obtenta corona, cum Coniuge sua Gisela, incingitur Anno 1000. §. 109. Nihil non agit idem Schwartzius, ut coronae Stephanae quoque originem Romanam abiudicet, et Graecam affingat. §. 105. Coronae huius Anno 1792. facta per R. R. D. Iosephum Koller descriptio; figuris cupro incisis repraesentatio, eiusdem, et asecularum impudentiam confundit. §. 106. Descriptio coronae latinae, clausae superioris. §. 107. Descriptio coronae Graecae apertae, inferioris. §. 108. Discrimen utriusque manifestum: Latina est originis Sylvestrinae. §. 109. Idem Schwartzius, ut sedi Apostolicae officiat magis, etiam literarum Sylvestrinarum authenticam negat. §. 110. Argumenta suppositionis redarguuntur ex interuis,

externisue illarum notis. §. 111. Falluntur etiam ii, qui illas Interpolationis insimulant. §. 112. Interpolatae dicendae non sunt ex praeiudicio libertatis regni. §. 113. Nec respectu iuris ordinandi Ecclesias, civili potestati neququam competentis. §. 114. Praerogatiuae Maiestaticae Regis Hungariae e concessione ac vigore literarum Syluestrinarum. §. 115. Reciprocum Regis Apostolici Hungariae, religionem Catholicam profitendi, ac promouendi munus.

2.) *Stephanus Rex Apostolicus Abbatiarum exemptarum fundator.*

§. 116. Abbatiae S. Martini supra montem Pannoniae Origo. §. 117. Situs. §. 118. Praerogatiuae. §. 119. Dotatio. §. 120. Primi eius Abbates.

§. 122. Abbatiae S. Benedicti ad radicem montis Ferrei origo. §. 123. Situs. §. 124. Priuilegia. §. 125. Dos amplissima. §. 126. Primi eius Abbates.

3.) *Stephanus Rex Apostolicus Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis fundator.*

§. 127. Sedem Strigoniensem Metropolitanam constituit. §. 128. Eius situs et amplitudo. §. 129. Libertates et praerogatiuae. §. 130. Dotatio. 131. Primi Archiepiscopi: Dominicus, Sebastianus, — eius vice — Astricus, Dominicus II.

4.) *Idem Rex Apostolicus Sedium Episcopaliū fundator.*

I. Coloczensis: §. 132. Destinatio. §. 133. Situs et extensio. §. 134. Dos. §. 135. Primus Episcopus.

II. Bacsensis: §. 136. Eius origo. §. 137. Situs et amplitudo. §. 138. Argumentum illorum, qui eius ortum Sancto Stephano abiudicant, examinatur. §. 139. — 142. Eodem in momento disputatur.

III. Agriensis: §. 143. Eiusdem ortus. §. 144. Situs et extensio. §. 145. Libertates et praerogatiuae. §. 146. Dos amplissima. §. 147. Primus Praesul.

IV. Vltrasiluanus: §. 148. Eiusdem erigendi occasio. §. 149. Sedes et extensio. §. 150. Primus Praesul ignotus.

V. Vesprimiensis: §. 151. Eius designatio primaeua. §. 152. Locus Sedis. §. 153. Dos. §. 154. Libertates. §. 155. Primus eius Episcopus Stephanus.

VI. Quinqueecclesiensis: §. 156. Sedis huius primordia, et antiquitates. §. 157. Sedis locus, et limites. §. 158. Controuersi. §. 159. Latifundia et iura, primusque Praesul Bonipertus.

VII. Iaurinensis, al. Geuriensis: §. 160. Ortus. §. 161. Sedis locus, extensioque. §. 162. Dos, libertates, primus Episcopus.

VIII. Csanadiensis, alias Morossena: §. 163. Serius fundatus, victo Ach-
tumo loci Dynasta. §. 164. Situs sedis, et amplitudo. §. 165. Dos et primus Episcopus Gerardus.

IX. Vaciensis: §. 166. Rationes, quibus fundatio huius Regi Apostolico abiudicatur. §. 167. Reuincuntur. §. 168. Amplitudo, dos, et primus Praesul ignorantur.

X. Varadinensis: §. 169. Origo controuersa. §. 170. Rationes eorum, qui illum Regi Apostolico Fundatori vindicant. §. 171. Argumenta encomiastarum, qui eundem S. Ladislao vendicant, expenduntur. §. 172. Exceptiones re-

felluntur. §. 173. Nomen eius originale: Castri Bihar, ac de Ecclesia B. M. V. castri, in Ecclesiam B. M. V. a S. Ladislao structam, migratio, et ex hac rursus ad Maiorem reditus.

Ex adverso: §. 174. Nitriensis episcopatus aevo S. Stephano superiori ortus est. §. 175. Wichingo praesule subin profugo, ac Hungarorum in Morauiam irruptione, mansit acephalus; iam Morauienti, iam Pragensi Episcopatu subordinatus. §. 176. S. Stephanus hanc ordinationem, ob reuerentiam sedis Pragensis non turbavit. Nec successoribus adfuit illam turbandi causa vel occasio. §. 177. Pace et concordia inter Hungaros Anno 1109. rupta, Ecclesia Nitriensi per Bohemos vastata, irritati Canonici Nitrienses Praepositum suum eligunt Episcopum. §. 178. Rationes, quarum intuitu origo Episcopatus Nitriensis S. Stephano Fundatori attribuenda non est.

5.) *Idem Rex Praepositarum Regalium fundator.*

I. Praepositura Albaregalensis: §. 179. Locus eiusdem. §. 180. Occasio Foundationis, dotationisque. §. 181. Libertates ac praerogativae Ecclesiae B. Mariae Virginis Albaregalensis.

II. Vetero-Budensis: §. 182. Locus eiusdem. §. 183. Basilica S. S. Petri et Pauli Apostolorum a Protorege cohonestatur.

III. Poseniensis Praepositura honoribus S. Martini dicata, Praepositis maioribus, quemadmodum Nitriensis, accensetur. §. 184. Quare?

6.) *Origo Capitulum Episcopale, ac Praepositurale.*

§. 185. Erant initio in neophyta Hungariae Ecclesia Canonici, cum iuniore clero, Episcoporum, ac Praepositorum contubernales. §. 186. Magistri.

7.) *Abbatiae regales, a Rege Apostolico fundatae.*

I. S. Adriani de insula Zala: §. 187. Locus hic vetustis iam sacer. §. 188. Pro ordine Benedictinorum Abbatia ornatur. §. 189. Eiusdem libertates singulares. §. 190. Dos locuples. §. 191. Dotes eiusdem ac libertates firmatae, ampliataeque.

II. S. Mauritii de Bakonbeel: §. 192. A principio Eremitorium: S. Gerardi et Guntheri. §. 193. Illud Rex Apostolicus circa finem vitae suae, pro eodem S. Benedicti ordine in Abbatiam erigit. §. 194. Libertates eidem concedit. §. 195. Latitundia confert.

8.) *Abbatiae priuatorum ope erectae.*

I. §. 196. Eremitium Sanctorum Andreae, et Benedicti in monasterium S. Hypolitii, Ordinis Benedictinorum de Zobor, ope benefactorum ignotorum transit.

II. §. 197. Locus Tata, proprietas Deodati Comitis, Patrini S. Stephani, Monasterio Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum, Ordinis S. Benedicti, cessit. §. 198. Monasterii huius latifundia.

III. Abatia S. Georgii Martyris de Csanadino. §. 199. A Comite Sunad, qui Achtumum deicit, et a S. Gerardo, loci Episcopo, fundata; aliae B. Mariae Virginis compellata.

9.) *Asceteria Monialium.*

I. De Valle Veszprim B. Mariae Virginis: §. 200. Fundatur pro Basilitis, dotaturque. §. 201. Fuit metropolitanum; fundationales lingua graeca expeditae, subin in latinum versae.

II. De Tormoua in confinio Bihar ciuitatis: §. 202. Eiusdem vestigium.

10.) *Parochiales Ecclesiae eiusdem Regis Apostolici dispositione fundatae.*

§. 203. Oratoria, Capellae, et Ecclesiae ante aetatem S. Stephani in Pannonia fuerant complures; multae earum destructae; Rex Apostolicus Ecclesias Parochiales exstruendas, ac prouidendas legatenus constituit.

11.) *Ecclesiae extra regnum ab eodem Protorege fundatae.*

§. 204. Num Protorex curiam Romanam corporaliter inuiserit, est admodum incertum. §. 205. Eundem Romae duodecim Canonicorum congregationem fundasse, certum. §. 206. Similem foundationem fecit Constantinopoli. §. 207. Item Hierosolymis. — Huius occasio. §. 208. Monasterium Hierosolymitanum dotat. §. 209. Tum Rauennae hospitium pro peregrinantibus ac nunciis Romam. §. 210. Huius libertas et dos.

§. 211. Cui aut quibus? §. 212. Propriis ne? an e Status Fundis? Quodue inde in Ecclesias ius regium?

II. *Status internus nouellae Religionis et Ecclesiae.*

§. 214. Symbolum fidei, in cuius professionem adunati sunt Maiores nostri Ecclesiae Catholicae. §. 215. Crediderunt etiam dogmata, quibus catholici ab acatholicis discernuntur. §. 216. Obtinuit in neophyta Hungarorum Ecclesia usus Synodi. §. 217. Septem nouae legis Sacramentorum. §. 218. Fides etiam status medii imperfecta iustitia vita hac decedentium; Cultus Sanctorum, praecipue B. Mariae perpetuo Virginis, Deiparae, Reliquiarum, Imaginum etc. §. 219. Opera bona et salutaria: Oratio, Ieiunium, Eleemosyna, etc. §. 220. Obtinuit disciplina Catholica contra legis Diuinae et Ecclesiasticae praeuaricatores. §. 221. Obtinuerunt diuersi Ritus Sacri Ecclesiae Romanae Catholicae.

§. 222. Praecepta moralia ecclesiae neophytae generalia. §. 223. Munia Regum. §. 224. Officia superiorum Ecclesiasticorum. §. 225. Virorum Religiosorum vocatio, et officia. §. 226. Obligationes subditorum. §. 227. Vetita fidelibus Christianis.

§. 228. Instituta pia nouellae Ecclesiae Hungaricae: I. Scholae. §. 229. Apertae in Ecclesiis cathedralibus. §. 230. Item Praepositorum. §. 231. Tum in monasteriis.

II. Hospitalia: pro peregrinis, egenis, et infirmis: §. 232.

§. 233. Ex his liceat conferre inter religionem christianam, et auitam Hungarorum superstitionem evidens discrimen, reipublicae intuitu.

II. Virtus, pretium ac meritum nouellae Religionis et Ecclesiae in Hungaria: I. Emendatio morum, ac humanitatis augmentum apud Maiores nostros: II. Vitae Sanctimonia illustres:

§. 234. Hungarorum, ad religionem christianam conuersorum, animus mitigatus, pacatusque.

§. 235. Quidam etiam, talento sibi concesso fideliter vsi moralem perfectionem consecuti; Sancti: Tales §. 236. 1.) Stephanus Protorex: regnum magistratibus, ac legibus constituendo. §. 237. Gentem ingenuam ac liberam, in consentaneis classi singulae libertatibus instituendo. 2.) Stephanus Rex: §. 238. Rempublicam interna et externa securitate prouidendo. 3.) Stephanus Rex Christianus: §. 239. Religionis et Ecclesiae Christianae Tutor et defensor. 4.) Stephanus Pater: §. 240. Filium suum pie, fideliter et fini congrue educando. 5.) Stephanus fidelis Christianus §. 241. pius, misericors, §. 242. Praesertim erga pauperes et infirmos. §. 243. Deo coniunctus. §. 244. Patiens. §. 245. Iniuriarum condonator. §. 246. Perseuerans in fide et omni bono vsque finem.

II. Emericus Dux: §. 247. Eius adolescentia. §. 248. Pietas. §. 248—9. Castitatis cultus, et in matrimonio quoque custodia. §. 250—1. Beneficentia et obitus.

III. Gisela Regina, mater Emerici, §. 252—256: Pius operibus intenta in Hungaria mortua et sepulta.

IV. Gerardus, piorum et zelantium episcoporum Exemplar. §. 257. Verbo, §. 258—260. Opere, et exemplo.

V. Andreas alias Zoerardus, et Benedictus §. 261: Vitae sanctimonia clari.

VI. Sebastianus Archiepiscopus Strigoniensis §. 263. Pius ac Deo deuotus.

VII. Bonifacius Martyr §. 264. Et alii plures.

VIII. Mathaeus Escandoli, ciuis Budensis, Peregrinus Hierosolymas, et Praeco Euangelii apud Indos §. 264.

Cleri in Rempublicam merita: §. 264. Reliteraria inuecta et promota.

§. 265. Legationibus administratis. §. 266. Cancellarii et notarii functionibus obitis.

§. 267. In belli necessitatibus regi ac regno assistendo.

§. 268. Diuisio operis et §. 269. conclusio.

D O C U M E N T A.

I. Tabella genealogica Caroli M. Imperatoris.

I. Leo III. Papa Pannoniam neocreato Iuuuensi Archiepiscopo subordinat.
A. 978.

II. Alcuinus, nutu Caroli M. Arnoni Salisburgensium creato Archiepiscopo, Auares et Slauos Charentanos ad fidem Christi vocandos commendat, salutaremque impertitur monitionem. Anno 798.

III. Ludouicus Pius Imperator Ecclesias multas a Patre suo in Pannonia erectas, aut restauratas, dotatasque testatur, ac confirmat. A. 823.

IV. Eugenius II. Papa Uroldum Laureacensem praesulem, qui Euangelio Auariibus et Slauis Morauis praedicato, quatuor instituit Episcopatus, in Archiepiscopatu confirmat, suaque vicaria dignitate ornat. A. 826.

V. Joannes Papa VIII. ad Ludouicum. Germaniae Regem, Pannoniam sedi Romanae deputatam asserit. A. 874.

VI. Idem Papa legatum suum, Episcopum Anconitanum, instruit; Sedis Apostolicae in Pannoniam iuribus eo, quod illuc episcopum diu non miserit, praeiudicari haud posse. A. 874.

VII. Joannes VIII. PP. Carolomanno, Pannoniae Regulo, Methodium Episcopum commendat. A. 875.

VIII. Idem Joannes Montemarum, Slaui Ducem, ne se a Pannoniensi Dioecesi separet, monet. A. 875.

IX. Idem Papa Suatoplucum, Morauiae Ducem, ad permanendum in fide catholica hortatur; miratur Methodium Archiepiscopum secus docere; ideoque Romam euocatum insinuat. A. 879.

X. Idem Papa Methodium Marahanensium Archiepiscopum ad reddendam doctrinae suae rationem, Romam euocat. A. 879.

XI. Idem Papa Methodium a fidei orthodoxae cultu, ac zelo laudat; remissumque Suatoplucum commendat; Wichingo, Nitriensi episcopo ordinato. Anno 880.

XII. Idem Papa Methodium, a Wichingo Nitriensi iniurias passum, humanissime solatur. Anno 881.

XIII. Arnulfus Imperator ad preces Vichingi, Passauensis Episcopi, a se denominati, iura et possessiones Laureacensis Ecclesiae per Auares anno 737. destructae, Passauiumque translatae, confirmat. A. 898.

XIV. Concilium Salisburgense Wichingum, sede Nitriensi relictis, Passauensem factum, sede hac mouet. A. 899.

XV. Archiepiscopi Salisburgensis, ac Passauensis, aliorumque suffraganeorum in Bauaria ad Joannem VIII. Papam literae, quibus vnum episcopatum Passauensem in quinque diuisum, ac Hungaros per Slauos in ipsos immissos, querulantur. Anno 899.

XVI. Hatho Archiepiscopus Moguntinus, cum vniuersis suffraganeis suis, ad eundem Joannem PP. ne Ecclesiae Pannoniae et Morauiae ab Episcopatu Passauensi separentur, intercedit. Anno 900.

XVII. Agapitus II. PP. Gerardo Passauensi, qua Laureacensis A. Episcopi successor, iura metropolitana, assignatis limitibus, confirmat. Anno 946.

XVIII. Piligrinus, Passauensis A. Episcopus, Benedictum VI. PP. Hungarorum missione sua conuersionis certiore reddit. A. 974.]

XIX. Benedictus VII. PP. Conuersionem Hungarorum promulgat, Piligrinum, Passauiensem Archiepiscopum, pallio submisso, ornat, atque suum per Pannoniam ac Morauiam Vicarium constituit. A. 975.

XX. Otto II. Imp. Piligrinum Laureacensem episcopum agnoscit, eique competentes decernit honores. A. 977.

XXI. Communionis inter Piligrinum, ac Hungaros conuersos, ob motus bellicos, ruptae indicium. Anno 985.

XXII. Henricus II. Boiariorum Dux, Henrici Imp. ac Giselaë Pater, Marchiam Australem Leopoldi Babenbergensis, montem Commagenum vsque extensum duntaxat fuisse, reliquum Hungarorum mansisse, prodit. Anno 985.

XXIII. Sylvester II. PP. Stephano, Hungarorum Duci, postulatam coronam, cum cruce, Apostolatus insigni, ecclesiasque vice sua ordinandi auctoritate, ad successores transmittenda, concedit, ac submittit. A. 1000.

XXIV. Stephanus Rex Apostolicus monasterium S. Martini supra montem Pannoniae, pro Ordine Benedictinorum consummat, ac ex voto dotat. 1001.

XXV. Idem Rex Episcopatum Wesprimiensem fundat, ac designat. A. 1009.

XXVI. Idem Rex Episcopatus Quinqueecclesiensis limites circumscibit. A. 1009.

XXVII. Idem Rex monasterium S. Benedicti ad radices montis ferrei fundatum regaliter dotat. A. 1015.

XXVIII. Idem Rex Ecclesiam S. Adriani de Zala pro eodem Benedictinorum ordine consecratam, solenni diplomate dotat ac munit. A. 1019.

XXIX. Idem Rex monasterio de Zala confirmationem, ac fundos novos adiicit. A. 1024.

XXX. Idem Rex monialibus Graecis in valle Vesprimiensi Parthenon fundat, ac literis communit. A. 1025.

XXXI. Idem Rex monasterium etiam in Bakonbeel pro eodem S. Benedicti Ordine consummat ac dotat. A. 1037.

XXXII. Idem Rex in gratiam Hungarorum, Romam peregrinantium, monasterium S. Petri Rauennae exstruit, ac dotat. Anno 1037.

XXXIII. Vestigium privilegii Ciuibus de Alba regali a Proto rege concessi.

XXXIV. Vestigium Legendae vel potius actorum Proto-regis in Ecclesia Albensi conseruatorum.

XXXV. Indicium Morauiae vsque annis Tajna in Morauam influxum tempore Proto regis amissae.

XXXVI. Prouinciae omnes inter Morauam et Vagum fluuios, vsque radices montis Tatrae, ad episcopatum Pragensem tempore Proto regis pertinentes.

XXXVII. Ecclesiae S. Michaelis Archangeli, in Transilvania, a rege Apostolico erectae documentum.

XXXVIII. Comitatum a Proto rege institutorum indicium.

L. AVITAE MAIORUM NOSTRORUM IN ASIA RELIGIONIS

VESTIGIA.

§. 1. Supremi Numinis notitiam et cultum, cum ad humani generis perfectionem, tum civitatum etiam securitatem, prosperitatemque, non salutarem modo, sed necessarium quoque fore, et sapientum oraculis, et cunctorum temporum experimento compertum est: „Hac cognitione gignimur, ut generanti nos Deo iusta et debita obsequia praestemus; hunc nouerimus, hunc sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti, Deo religati sumus; unde ipsa Religio nomen accepit“ ait Lactant. Instit. Div. L. IV. Cap. 28. „Religio vera fundamentum est Reipublicae; itaque potissima de ea constituenda Reip. cura esse debet,“ ait Plato de Legibus.

§. 2. Post cataclysmum mundi uniuersalem, Deum unicum agnitum cultumque fuisse, non Mosaica solum traditio, sed cunctorum etiam gentium mythi, de aetate aurea, Saturni temporibus, etc. contestantur; Indicia horum exhibuerunt, atque a Monotheismo ad Polytheismum, idololatriamque descitum fuisse, enuncerunt Daniel Huetius in quaestionibus Aenetanis; Gerhard. Io. Vossius de origine et progressu Idololatriae L. II. Cap. 9. Sam. Bochartus in Hiero Zoico Lib. II. Cap. 10. Wieseman Dr. N. Zusammenhang der Ergebnisse wissenschaftlicher Forschungen mit der geoffenbarten Religion. Übersetzt von Dr. Dav. Hanenberg Cap. V. etc.

§. 3. Aboriginibus nostris, genus ab Magog, filio Jafeti, cunabula in Armenia superioris parte, Aramaea dicta, cum Hunnis, nactis, veri Dei cultum communem fuisse, ambigendum non est: eum enim cum lingua sua Aramaeae maxime affini in posteros transmiserant. Aramaeam fuisse primitiuam Monotheismi sedem literae sacrae Genes. X. cap. etc. docent; linguas Syriacam, Chaldaeam, Arabicam, Armenicam etc. affines fuisse Strabo, in Ponto genitus, contestatur Lib. XIII. et XVI. Confer: Aborigines et incunabula Magyarorum, gentiumque cognatarum pag. 85. Seqq. Die Völkertafel des Pentateuch der Jafetiden, und ihr Armenien von Jos. Görres, Regensburg. J. 1845. Chron. item Thurotzii P. I. cap. IX. *)

§. 4.

*) Gentis nostrae originale proprium nomen Magor, non a congenerationibus solum Hunnis, Bulgaris, Baskiris, etc. sed a vicinis quoque omnibus, Armenis, Persis, Arabibus, Turcis, Georgianis, usitatum, retentumque: Ipsi Graecis etiam notum, frequentatum, diuersimode tamen enunciatum: Scylaci Makari; Herodoto, Xeno-

§. 4. Usu ac necessitudine Persarum, sub quorum etiam signis, cum Moschis, Tibarenis, Mosynneis et Mardis, eodem, quo Moschi ornatu, militabant Maiores nostri, Herodoto *Macrones* (Lib. III. cap. 78.) *Scylaci Makares* (Vol. II. p. 54—55.) dicti, ritus quosdam religiosos adoptarunt: sicut enim Persae veteres Deum sua lingua vocarunt *Jis dan*, ut Thomas Hyde in *Historia veteris Persarum Religionis* aliique docuerunt: appellatione procul dubio ex *Eschta chaldaico* focum perennem exprimente (Exodi 2, 2. 9, 24.) accersita; quin tamen unquam ignem putauerint esse Deum, sed huius duntaxat symbolum; ita etiam ipsi nomen Dei patrio sermone *Isten* dixerunt, dicuntque etiam nunc. Hinc, qui Auaribus, genti Hungaris cognatae, praefuerat Chaganus, iusiurandum daturus, si fidem Romanis datam falleret, ita imprecatus apud Menandrum de legat. lib. II. p. 86. edit. Venet. legitur: „Ut ipse et uniuersa gens Auarum, gladio consumeretur; coelum ex alto ipsis, et Deus ignis, qui in coelo est, irrueret. etc. Acceperunt etiam morem Deo, sub dio, equos sacrificandi, Persis olim proprium: testibus locupletissimis Herodoto, Strabone, Ouidio apud Voësiū l. c. Conf. Dan. Cornides comment. de vet. Hungar. religione. Sed errores quoque participarunt nonnullos: *Magorum* diuinationes, atque malignum, *Arimanni*, bono oppositi, principium, nostris vocabulo *Ármányos*, ac grauissimis maledictis *ördög adta*, et *ebadta*, scandalum usque haereditarium. Cf. praelaudatum Hyde l. c. et Chron. Thur. l. c. c.

§. 5. Primores nostri Parthorum, congenerationalium suorum, imperio deficiente, seculo post Christum quinto, e Ponto Cappadocio emigrarunt, in campisque Caucasiis, inter paludem Moeotidem, ac mare Caspium patentibus, inter Chazaros et Chunos, suos cognatos, consederunt; teste Mose Chorenensi in *Hist. Armeniae* edit. Lond. p. 350. Codice Debrentino apud Reinegg. *Reise nach Kaukasus* I. Th. p. 66. Chronico Thurotzii P. I. cap. IX. Conf. emigrationum ex Armenia tabellam apud Görres. — Conditā ibi, ubi Biturma amnis in Cumam infuit, urbe cognomine Madjar, nomen suum perennarunt: Cod. Debrent. l. c. Coll. rerum Russic. Tomo IV. p. 22. 152—154. — Latis Heraclio orientis Imperanti contra Cosroëm Persarum Regem suppetiis, Anno 618. innotuerant: teste Theophane Chorographo edit. Ven. p. 209—210: Nestore item edit. Schlötzer P. II. p. 114. Sed in cultu religioso a gentibus Scythicis contaminati magis: Theophylacto coaeuo attestante *Hist. Lib. VII. cap. 8.* „Turcae (ita Scriptoribus Bizantinis Maiores nostros compellare placuit) admodum stolide ignem colunt, aeremque, et aquam venerantur; telluri hymnos concinunt, adorant autem tantummodo et Deum nuncupant, qui hanc rerum uniuersitatem aedificauit. Huic equos et boues, et oues sacrificant; habentque sacerdotes, quibus inesse vaticinandi facultatem arbitrantur.“ Edit. Ven. — Ritus confoederationis sacrum Scythicum ab Hunnis adsciuerant: illum de Scythis

phonti etc. *Macrones*, Constantino Porphirogenito olim *Mazari*. Nomen autem tenue, quae in Asia supersunt reliquiae, etiam si idioma mutauerint, retinent *Meger*, a Russis *Megerjak* dicti: V. Aborigines et incunabula Magyarorum. Incunabulorum in Ponto Cappadocio tentorum notitia apud Georgianos et Tiflitanos hodie dum superest. *Ibid.*

agens, Herodotus ita recenset Lib. IV. „Infuso in quemdam calicem fictilem vino, commiscet suum sanguinem, qui feriunt foedus, cultello aut gladio aliquantum corporis incidentes; deinde in calicem tingunt acinacem, sagittas, securim, gladium. Hoc ubi fecerunt, se se mutuis verbis deuouent, postea vinum epotant non tantum ii, qui foedus fecerunt, sed etiam comites hi, qui sunt maximae dignitatis.“ Idem factitatum fuisse a Cumanis refert Joinuillius in vita S. Ludovici Regis Galliae, cum Andronico Graecorum Imperatore confoederatis; additque: canem insuper, quem in medium paciscentes Cumani eduxerant, ambarum partium gladiis petatum, minutimque concisum fuisse, imprecantibus identidem barbaris, ut eodem modo pereant, qui foedus iam iam initum essent violaturi. — Utrumque apud Maiores nostros obtinuisse: vide Belae II. Regis Notar. cap. IV. V. Literas item Episc. Bauariae ad Papam A. 890. In Codice Dipl. Mos quoque Magnis iusta caede; aliis epulis persoluendi, eisdem auctoribus ad nostrates manauit: Scythas, refert Herodotus Lib. IV. ad regis inferias, pro dignitate struendas, multis sonipedum, familiarium, ac Palatinorum, qui in paucis cari erant, etiam in altero saeculo seruituris, gulam praefocare consueuisse; in aliorum vero funeribus epulum pro dignitate instruere in more habuisse. Is ad Hunnos translatus, in exequiis Atilae regis celebratus legitur apud Jornandem de rebus Geticis cap. XLIX. Inolita superstitione ad Maiores quoque nostros propagatus in obitu Leel Capitanei in Chronico Thurotzii P. II. cap. XXV. notatur. Funestum epulum, vulgo tor, exequialis sacrificii complementum, illo etiam cessante, usu venit; quo hilare vinum cum lachrymis bibitur: non ita dudum quod Franciscus C. Károlyi, patri suo Alexandro, patriae columini iusta persoluturus, facile ter mille concitos, summae mediaeque conditionis homines, sumtuosissimis dapibus paut. Caesi autem XLV. boves praepingues; vituli centum, ac longe plures arietes, tercentum; adde auium, ferarumque multitudinem insanam. Ita is ritu prisco parentandum duxit.“ Innocen. Deseritius de Maior. Hung. Lib. III. cap. 5. *)

§. 6. A Saracenis Persia omni, Armeniaque potitis, Chasaris subiugatis, tur-

*) Ugores, Ogores, Hugiuri, Straboni, et Ptolomaeo noti, sedes tenuerunt cis et trans Volgam: illuc collocat illos Theophylactus Simocatta Edit. Niebuhr p. 283—4. „Fuit Ogor gens cum numero tum exercitatione validissima. Haec in Oriente ad fluvium Til (Ethil. Attil. Volga) accolit, quem Turcae nigrum appellare solent. Gentis Ogor vetustissimi Principes Var et Chuni vocabantur.“ Ibidem reperit illos imperatoris graecorum legatus, a Disabulo Turcarum Chano, ad montem Altag, redux, sed iam Turcis subditos, dicens: „Zemarchus per arena paludis (Aral) iter faciens, per decem et duos dies loca perrupta praetergressus attigit ripas non solum fluminis Hic (Emba) sed etiam et Daic (Jaik, Ural) et rursus per alias paludes Atilam (Volgam) inde ad Hugiuros. — Ongororum Dux, qui ibi ex auctoritate Disaboli imperium habet etc. Ita Menander excerpta Leg. edit. Venet. p. 73. Hinc sedium harum accolae Jornandi dicti sunt Hunugari, de rebus Get. cap. Maiores nostri ideo Graecis et Russis, Ugri, Ungri, Ungari; a subditela Turcorum Turci; a morum similitudine Germanis Parthi, Agareni, Angarii; a ditionis identitate: Huni, et Auares. C. f. De peregrinis Magyarorum nominibus. Nos cum Turcis congenerationales haud esse, indoctus iam sit, qui ignoret.

bati Magyari, sedes relinquunt, fluuiisque Terek et Volga traiectis, in Ogoria vel Ugoria Theophylacti Symocattae p. 283—284. Menandri de Leg. Zemarci l. c. p. 108—109. nouas capiunt: Cod. Debrent. l. c. Annales Islamici ad an. ch. 731—3. — Chazaris Albis, Uzis, ac Pacinacitis, confines, teste Constantino Porphyrogenito de adm. Imp. cap. XXXVII. Consentiumt: Nestor l. c. p. 30. Abulgasi edit. Leyden. p. 130. — Commercio pellium pretiosarum ibidem inclaruérant; Paul. Wanefried I, 27. IV; 12. Wilhelm. Rubruquis Cod. Dipl. tomo IV. vol. II. p. 265. Ast a nationibus cultioribus quo magis remoti, eo gentilibus etiam superstitionibus, nisi magis, et ferociores; ignorantiam usque Dei, rudes: tales inuenit eos ad duas dietas infra Bulgaros, descripsitque frater Julianus ex ordine Praedic: „Pagani sunt, inquit, nullam Dei notitiam habentes; sed nec idola venerantur; sed sicut bestiae viuunt. Terras non colunt, carnes equinas et huiusmodi comedunt; lac equinum et sanguinem bibunt. In equis et armis abundant. Strenuissimi in bellis.“ — De facto Hungariae Magnae e tabulario Vaticano.

§. 7. Maiores nostri tales ex Ugoria, seu Hungaria magna, ac ideo Ugri, Ungari, et Hungari dicti, labente seculo nono, ad quaerendas nouas sedes confoederati, egredi statuerunt, ut Belae regis notarius perhibet: „Gens itaque Hungarorum fortissima et bellorum laboribus potentissima, quae per idioma suum proprium *Dentumoger* dicitur — Angusta locorum non ferentes, habito inter se consilio, ut a natali solo discederent, ad occupandas sibi terras, quas incolerent, septem principales personae *Hetumoger* dicti, elegerunt sibi quaerere terram *Pannoniae*, quam audiuerant, fama volante, *Attilae* regis fuisse. — Tunc ipsi VII. principales personae, communi et vero consilio intellexerunt, quod inceptum iter perficere non possent, nisi *Ducem* et *praeceptorem* super se habeant. Ergo libera voluntate et communi consensu elegerunt sibi *ducem* et *praeceptorem* in filios filiorum suorum usque ad ultimam generationem *Alnum*, filium *Ugek*. — Tunc pari voluntate *Almo Duci* sic dixerunt: *Ex hodierno die Te nobis ducem ac praeceptorem eligimus, quo fortuna tua Te tulerit, illuc sequemur. Tunc supra dicti viri pro Almo Duce, more paganismo, fuis sanguinibus in vnum vas, ratum fecerunt iuramentum, et licet pagani fuissent fidem tamen iuramenti, quam tunc fecerant inter se, usque ad obitum ipsorum seruauerunt.*“ In *Historia Ducum* cap. V. *Ut, quomodo fuerint damnati voti, percipiamus, status Europae ciuilis praenoscendus est.*

II. Status Ciuilis Europae saeculo decimo.

§. 8. Fuit Europa seculo hoc, a literis, artibusque bonis lapsis, ferreo dicto, dissidiis ac bellis internis et externis; seditionibus per filios contra Patres, a cognatis contra fratres; a subditis contra Principes suos concitatis, dirissime agitata. Gentes paganae nationibus cultis ac christianis igne et ferro incubuerunt saeuissime. Nec res, nec personae, nec vita ullibi tuta, periculoque immunis: tras caedes, grassationes synodi regiae celebratae *Metensis*, *Lingoniensis*, *Tullensis* I-a et II-a *Aquis grauensis*, *Ticinensis*, *Tricassina* ex aequo, ast frustra impedire laborabant. V. *Concilia* Tomo VI. *Harduini*, et IX. *Labbaei*.

1.) *Status Imperii Occidentalis Anno 888—1024.*

§. 9. Calamitatum maxima Occidentis incubuit imperio. Hoc Carolus Pipini filius, a rebus gestis magnus compellatus, Francia orientali et occidentali adunata, regnis Longobardorum et Avarum euersis, Saxonibus ac Slavis subiugatis, suscepto anno 800-o a Leone III. Papa diademate, resuscitatum artibus bonis ac literis florens, unico filio suo Ludouico Pio superstiti, anno 814-o relinquit. Quod mox continuas passum diuisiones, gentiumque barbararum incursiones: Inter illas celeberrima est haec, quae post immanem sanguinis effusionem, inter filios Ludouici Pii anno 840-o defuncti, pacificatione Verdunensi triennio post coaluit; Italia, cum imperio, seu Roma, Lothario, natu maximo; Francia cum Marchia Hispaniae, Carolo Caluo; Germania a Rheno, cum Charentania, Pannonia, ac Bohemia Ludouico cedentibus; sub conditione mutuae successionis. Singuli regna sua itidem inter filios ac filias, pari modo dispersiti, in dissidiorum uberius incrementum: V. Genealogicam Caroli M. Tabellam. — Gentes Barbarae imperium saeuissime lacessentes, ab occasu et austro Normanni e Dania; ad ortum Saraceni ex Africa; ad boream Slau, ad fluuium Albim fuere: vi et armis Normanni Neustriam; Saraceni Siciliam, Slau Morauiam sibi vendicantes: Confer Chronica Pithaei, Reginonis Prum. Hermanni Cont. Sigeberti; Aimonum L. V. cap. 19. Ottonem Frisingen. Lib. V. cap. 35. Seqq.

§. 10. Carolus Crassus, Ludouici Germani filius, tertio genitus imperium iure haereditario uniuisset anno 885. si tanto oneri ferendo par fuisset. In Gallia ius suum firmaturus, inconsulte sane, omnes Principes, Duces, Comites, et Marchiones haereditarios scripsit; ad supremam mox potestatem aspiraturos. Cum Normannis infeliciter praeliatus, ad pendendumque tributum obstrictus, gratiam omnium perdidit A. 887. Exactoratus ad eam recidit inediam, ut sibi victum precario quaereret ab Arnulfo Charintiae Duce, Carolomanni Bauariae Ducis filio illegitimo. Mortuus anno 888-o: Luitprandus lib. I. cap. 10. Otho Frising. Lib. VI. cap. 13.

§. 11. Amoto Carolo tam Francorum regnum, quam Romanorum imperium diu, multumque fluctuauit. In Gallia Caroli M. e linea collateralis posteriori, regnum aegre tuebantur; principum, qui prouincias non iam ex voluntate regis ad tempus; sed perpetuo iure, quasi proprias habebant, oppressi potentia. Alii Odonem Comitem Parisiensem regem eligunt anno 889.; alii Carolo, Ludouici Balbi filio minorenni, regnum deferunt: fuit inter ambos bello ciuili annus usque 898, quo Odo mortuus est, certatum. A Carolo, qui solus regnauerat, anno 920. desciscunt principes apud Suessionas, Robertumque eligunt, qui contra Carolum pugnans, traiecta per os lancea, XV. Junii 923. occubuit. Ad quasi vacuum regni possessionem Rodolphus Burgundiae Dux accitus, solenniter salutatur; Carolus vero, praetextu reconciliandae gratiae perductus, includitur; captiuus decessit anno 929 relicto filio Ludouico, qui ad auum suum in Britanniam profugit. Huic post obitum Rodulphi anno 936. ex Anglia reuocato, e peregrinatione hac Transmarino dicto, nihil quietius, quam Patri, regnum ambitio factiosorum fecit; obiit anno 954. Lotharius paterni regni, simul et calamitatis haeres, regiae maiestatis imaginem ad

annos circiter duos et triginta sustinuit. Belliduce usus Hugone Aurelianensi, qui anno 956. defunctus, ex Othonis I. Imperatoris sorore, Hugonem Capetum filium, Francorum Ducem reliquerat. Lotharii filius Ludouicus regnum, quod 986. iniit, ab nulla re celebris, finiit A. 987-o Ludouico sine prole defuncto, regnum ad Carolum, ipsius patruum, Lotharingiae Ducem, iure pertinebat; sed ad Hugonem Capetum, Carolo deuicto, rerum summa translata est; qui eam virtute militari suae alligauit dinastiae. — Sigebertus Gemblac. in suo chronico. Aimonius L. V. cap. 45. Ordericus Uticensis lib. I. Flodoardi Chron. Ivonis Carnunt. Chron.

§. 12. Itali vero anno 889. Berengarium, Eberhardi Foroiulensis Ducis filium, elegerunt Regem; alii Vidonem, Lamberti filium, Spoletanum Ducem, regni Francici obtinendi spe deiectum; qui Berengarium persecutus regno fugat; imperiali nomine Italia potitus, anno 894 obiit. Filius eius Lambertus a patre anno iam 892 Imperator consecratus, in venatione Anno 899. interimitur. Perpetui dein in Italia ciuiliu armorum motus suborti. Berengarius, in quem principatus reciderat, alios, et alios dum vixit, nactus fuerat aemulos; Ludouicum prouinciae transalpinae Ducem, ab Adalberto Tusciae Marchione excitum, imperii donatum insignibus, eiusdem Adalberti proditione Veronae captum, oculis et imperio priuat Anno 904.; regno rursus potitus Anno 905. est inunctus. Verum Adalbertus, alique Italiae proceres, Berengarii taedio, Rodulfum Burgundiae regem, ad capesendum Italiae regnum euocant, Anno 922. a quo profligatus Berengarius, Veronae, quo se ex insidiis fuga receperat, Horberti cuiusdam sica anno 924-o sublatus est Filio cognomine relicto. Rodulfum, conspiratione Itatorum Hugo, Comes Arelatensis, domum exegit. Anno 926. Sub cuius annorum viginti regimine Marozia, scortum, tyrannidem exercuerat; cui reges Germaniae a Pontificibus euocati, augustali dignitate sibi vindicata, modum posuerant: Flodoard. Regino in suis Chronicis; Luitprandus Lib. II. cap. 10. Sigonius de rebus Italicis Lib. VI. Otho Frising. Lib. VI. cap. 15. sqq.

§. 13. In Germania Arnulfus, Carolomanni, Ludouici Germanici tertio geniti, filius nothus, Carolo Crasso exauctorato, e ducatu Charinthiae, regnum sine difficultate adeptus, victoria de Normannis ad Lovanium Anno 891. relata, stabiliiuit; aduersus Suatoplugum, Magnae Morauiae Ducem perduellem, et infidum, multum praeliatus, pacem aequae conficit. Anno 892—3. Ad sedandas turbas in Italiam excitus, ambobus aemulis Berengario et Vidone deuictis, Roma expugnata, a Formoso Papa, imposito diademate, Rex creatur Anno 896. Pro ope, fluctuanti Italiae adlata, toxicum in Germaniam reportat, cuius lenta tabe confectus decedit XV. Kal. Dec. Anno 899. filio Ludouico infante relicto. — Regino, Luitprandus, Lamb. Schafnaburg. Hermannus Contractus in suis Chronicis. Sigebertus ad an. 895. Otho Fris. Lib. VII. cap. 11.

§. 14. Ludouici in Germania tertii, septennis, regimen fuerat infaustissimum: Optimates tam saeculares quam ecclesiastici, occasione usi, haereditarios, quin poene independentes se constituerunt; populi Germanici complures in principatus sunt coadunati: Saxones ac Turingi in Saxoniam; Francones ad Rhenum

inferiorem, orientem versus, in Franconiam; ad superiorem Suevi in Alemanniam; ad ostia Rheni in Lotharingiam; ad Danubium et Aenum in Bajoariam etc. coaluerunt. Ipsi Marchiones Austriae, ac Fori Julii independentiam sectati. Ludouicus bellis internis, externisue infeliciter gestis, pacem tributo mercatus, moerore animi, anno regiminis undecimo Anno 911-o mense Augusto desiit; stirpis Carolinae in Germania ultimus surculus. — Ita Marianus, et Regino in suis Chronicis. Otho Frisingen. Lib. IV. cap. XV. Sqq.

§. 15. Regnum Germaniae haerede orbatum a proceribus Othoni Saxoniae Duci, fuerat oblatum, sed is, quod propecta esset aetate, causatus, Conrado, Conradi Francorum Comitis filio, addixit. Qui in primoribus eiusdem, imperium suum detrectantibus, conciliandis satagendum habuit; quos etiam Arnulfo Bauariae Duce, qui regiam ambiebat dignitatem, demto, summa prudentia sibi adiunxit. In gentibus barbaris ab imperii vastatione auertendis, minus felix; septimo regiminis anno 918. morti proximus, ne alium sibi successorem deligerent, quam Henricum, Othonis Saxoniae Ducis filium, imperat; insigniaque regni per suummet Fratrem vterinum destinat. — Luitprand. Libr. II. cap. 7. Lambert et Marian. in suis Chronicis. Otho Fris. Lib. VI. cap. 6.

§. 16. Henricus, Auceps dictus, imperium anno 919. auspiciatus ad internam externamue eius securitatem procurandam aduertit animum: urbes impopulatas muris cinxit, annona prouidit, et militibus; disciplinam militarem reparauit, suosque praeliis contra tumultuantes Slauos gestis, ad exercituandum instruxit. Artibus his, ac voto Simoniacam haeresim extirpandi, duas celebres retulit victorias anno 922 et 933. A Rodulpho Burgundiorum rege Constantini M. lanceam, clauis Christi ornatam, vi expressit anno 929; quae deinceps coram Imperatoribus praeferrī solita est. Quum ad componendos fluctus Italiae proficisci Romam vult, sexto Nonas Julias, anno 936. aetatis LX-o obiit. — Flodoardus, Luitprandus, Sigebertus locis citatis. Witichind. 2. Dithmarus 2. cap.

§. 17. Otho Henrici Aucupis ex Mathilde, Theodorici Saxonum Principis nata, filius primogenitus, regni aditum, anno 936. turbulentum nactus est; suamet matre, quae secundo genitum Henricum ei praelatum ambiebat, turbas excitante. Otho omnes cum Fratre suo conspirantes bellis grauibus superat: Slauos seu Boemos, bello annorum 14. quod cum rege eorum Boleslao (qui fratrem Wenceslaum occiderat) gessit, ad annum 938. superat; tum Belgas siue Lotharingos, quibus Dux Gisibertus, Gerbergae sororis suae maritus, praerat, profligat. Ludouicum Francorum occidentalium regem, qui in Henrici gratiam impressionem in Alsatiam fecerat, fugat; Lotharingia in potestatem victoris venit, ac deinceps in regum Germaniae ditione permansit. Ab Anno 939. Tum tyrannos castigaturus Italiam petiit, ab Adelaide Rodulfi filia excitus. Haec primum Vidonis filio Lothario in consortium data, hocque anno 949-o defuncto, a Berengario II. Berengarii imperatoris nepote, qui regis Italiae titulum anno 950. assumpsit, Adalberto filio coniux destinata, Othoni, in Italiam profecto nupsit anno 950. Seditioe Slaui domum reuocatus, Augustam Vindelicorum obsidione liberat, insigni victoria potitus anno 955. X. Augusti. Slauis Pragensem dat episcopum. Fratri suo Henrico

ducatum Bauariae confert. Itali Berengarii tyrannide offensi omnes, Othonem rursus euocant; atque imperii corona anno 962. incingunt, qui republica annos duos composita, in Germaniam rediit, Berengarium anno 964. secum abducit, anno 964. Bambergae mortuum. Italos, post suum Roma regressum, Albertum Berengarii filium, euocantes, illo pulso, in obsequium redigit anno 965; in periclitium relapsos, magna eorum caede compescit. Anno 966. Post haec Graecos, quibus tum Nicephorus Phocas imperabat, Calabria et Apulia expellit; Religionis Christianae propagandae audissimus. Celebratis Quetlinburgi comitiis, Nonis May, feria quarta ante Pentecosten, anno 873. diem supremum obit, non nomine solum, sed re ipsa Magnus. Ita Flodoardus, Marianus, Lamp. Schaffnaburg. in suis Chronicis. Dithmarus Lib. II. Otho Frising. Lib. VI. cap. 19. Witichindus III. etc. *)

*) Grauis belli inter Othonem I. et huius filium Ludolfum, ac Generum Conradum. quod tandem in magnam Hungarorum perniciem desiit, causam altius inuat repetere: Deceaserat Lotarius Italiae Rex sub finem anni Chr. 950. statimque Berengarius iunior Italiam sibi vindicauit; utque Papiensi Regia, quam Adelhais Lotarii vidua retinebat, potiri posset; eam Adalberto filio suo coniugem dare voluit. Abhorruit sancta mulier a nuptiis sarculi tam mali, cuius pudor non tantum Italiam, sed etiam Ecclesiam tyrannice vexabat. Berengarius repulsa hac irritatus, expugnata Bapiae, reginam diligenti custodiae tradidit, veritus, ne per externas nuptias Italiae, regnum in alium aliquem transferret. Adelhais anno sequente, seu 951. custodia elusis Canusium elapsa, statimque per Berengarium obsessa, per litteras Othonem in auxilium euocauit; qui, spe matrimonii, regnique Lombardiae ductus, expeditionem in Italiam suscipere constituit. Ludolfus Suaeuae Dux, cum suis Alemannis, Othonem patrem praecesserat, eius gratiam aucupaturus; si quid fortiter ageret, eique viam expeditiorem redderet. Sed patruus illius Henricus, Bauariae Dux, Ludolfi honorum et successuum inuidus, per Tridentum legatos suos in Italiam e Bauaria praemisit; et ab eo mentes omnium ita auertit, ut nulla ciuitas, quae vel famulis Ottonis parere solebat, eius filio portas aperuerit. Interea cum copiis suis Otto rex aduenerat, et Adelhaidem obsidione trimestri liberatam, coniugio sibi copulauit. Ludolfus vehementer indignatus, et patruo, quod ab eo suos conatus impeditos intellexerit, et patri, quod per nasciturum e secundis nuptiis heredem, suam sibi portionem imminutum iri crederet; tristis a patre discessit, ac Salfeldiae multos proceres in factionis societatem pellexit. Otto, clandestinae huius in se coniurationis ignarus, quum exacta Ticini hieme, Germaniam repetit A. Chr. 952. Conrado, genero suo Duci Lotharingiae, tutandum Italiae regnum, et persequendum Berengarium relinquit. Hic desperatis rebus suis ultro Conradum accersit, eique se permisit; qui, hac Berengarii submissione delectatus, auctor ei fuit, ut ad Othonem pari cum fiducia se conferret, certam ab eius benignitate veniam pollicitus. Berengarius consilio huic obsequutus mox ad Othonem in Saxoniam se contulit, atque subiectionem omnem promisit; sed contra nitente Henrico Bauariae Duce, nil eorum, quae petierat, obtinuit. Frustrata Berengarii spes ita Conradum pupugit, ut statim ad Ludolfum affinem, ab Ottone socio defecerit, magnamque hac defectione ad coniurationem maturandam momentum contulerit. Otto de coniuratione certior factus, celebratis Augustas comitiis, Italiam Berengario regendam commisit; praeter agrum Veronensem et Aquileensem, quem Henrico Fratri, Bauariae Duci, concesserat. Quum Otto Moguntiam, cuius Archiepiscopus Fridericus factionis adhaeserat, oppugnandam anno 953. suscipit, coniurati, communicatis inter se consiliis et copiis, Bauariam inuadunt: Henricum Ducem cum uxore, liberisque tota regione depellant: direptos eius thesauros militibus suis distribuunt, Hungaros in Germaniae perniciem missis muneribus, accersunt. Suppetias has in Hungarorum perniciem cessasse, videbimus suo loco: cf. Dithmar. Lib. II. Vitichindum Lib. III. et alios.

§. 18. Otho II. a patre adscitus collega anno iam 967. Romae coronatus, die natiuitatis dominicae, cum imperii aditu, bello a Henrico Rixoso, Bauariae Duce, fuerat inuolutus; quod sopiuit potius quam exstinxit Anno 975. Theophaniae, Constantini Porphyrogeniti Imperatoris filiae, quam deperit, coniugio infelix. Anno vero 982. aduersus Graecos, auxilio Saracenorū Calabriam, Apuliamque repetentes, infelicissime praeliatus: nam in insidias perlectus, legiones suas prope omnes amisit, coniuge de Latinis, per populares suos victis, exultante. Ipse in nauī, ad quam confugerat, natando captiuitatem clam dilapsus vix efugit. Redux fores urbis Romae sibi praeclusas reperit. Germaniae Proceres ignominia hac irritati, magnis viribus Rauennae concurrunt, iniuriam ulturi, si aegritudinem animi Othonis leuare potuissent, qua oppressus interiit anno 983. VII. Decembris. — Sigeb. Hermannus. Lamb. Marian. Ditmarus 2. et 4.

§. 19. Otho III. puer admodum Patri anno 984. successit, sed Henrico rixoso aduersante. Corona, Imperatorisque titulo donatus est Romae, anno 990. Biennio post, quam Augustam Mariam Aragoniam, consortem suam, admirabili iustitiae exemplo, adulterii et calumniae convictam flammis addixit; Crescentium per consulatus honorem Romae tyrannice grassantem, inexpugnabili arce septum capit, capitisque damnat; uxorem huius in matrimonium acceptam dimittit. Imperii sedem Romae figere contendit; Fidei Christianae zelo anno 993. domum reuocatus, Gaudentium Gnesnensem Archiepiscopum, Boleslaum, Poloniae regem constituit, defunctus anno 1002. XXIII. Januarii. Praecitati, ac Gotfrid. Vitenberg. Glaber Lib. I. cap. 4. Otho Frising. Lib. VI. cap. 4.

§. 20. Othone III. sine liberis mortuo, Electores Henricum, Henrici rixosi Bauari filium, regem Germaniae cooptant; qui turbis domi compressis, insignia imperii sumsit Romae anno 1014. quo Graeci cum Normannis, et cum utrisque Saraceni, de Apuliae possessione certabant. Ipse Capuae tulit opem; Saracenis deuictis, Graecos eodem impetu compressit; Italiam restituta pace recreauit, impedire tamen nequiuit, quin Normanni in Apuliae ora dominium figerent. Breui postea sanctitate pollens, perpetuum cum Kunegunde regina seruatum virginitatis florem in coelum intulit anno 1024. III. Idus Iulias, Bambergae in Ecclesia, quam episcopio construxerat, sepultus. — Dithmarus Lib. VII. Joann. Villanus. Herman. Lamb. Sigeb. Ursperg. Leo Ostien. L. II. cap. 47. Otho Frising. Lib. VI. cap. 27,

2.) *Status Imperii Orientalis. Anno 889—1028.*

§. 21. Leo, Basilii Macedonis, vel ut aliis videtur, Michaëlis Imperatoris filius, a Basilio, Theodori, Santabareni monachi, calumniis suspectus, aliquamdiu in carcere habitus, ac Senatus duntaxat rogatu dimissus, literis se dediderat, ideo Sapiens ac Philosophus dictus; nihil minus tamen quam seu Sapiens seu Philosophus. Simulatque imperium anno 889. suscepit, iniuriam, quam passus est, ultus, Santaberum vita, Photium Patriarcham, Schismatis architectum, illius factorem, sede depulit. Aduersus Bulgaros, Simeone illorum rege pacem turbante, fortuna variante praeliatus; imperauit otio et voluptatibus deditus, annos

25, menses tres, obiit anno 911. XII. Junii. In *Tactica*, quam caetera inter scripsit, Hungarorum et Sclavorum mores et consuetudines memoriae commendavit. — Zonaras, Glycas, Curopalates, Cedrenus, ad hos annos.

§. 22. Pro Constantino Porphyrogenito, Leonis ex Zoe, quam quartis nuptiis duxerat, filio, pene adhuc infante, illius frater Alexander tutorum iniit Principatum anno 911. Quum Nicolao Patriarcha, quem Leo in exilium relegavit, reducto, nullis homine dignis, ne dum Principe, rebus gestis, tredecim in imperio menses exegisset, in crapulam et libidinem proiectus, anno 912. VII. Junii periit. Pueri septennis curam capessivit mox Nicolaus Patriarcha, cum Zoe matre ab exilio revocata, et aliis patriciis; qui et Constantinum Ducem, Tyrannum, oppresserunt, et Leonem Phocam, victoria de Bulgaris grassantibus relata tumidum, sustulerunt. Octavo imperii anno, Zoe matre exterminata, socer Constantini Porphyrogeniti, Romanus Lecapenus, principatum arripuit: 919. XXIV. Septembris Caesar, Decembri Augustus appellatus; qui anno sequenti Chrystophorum filium suum ad idem fastigium euevit; reliquos duos Stephanum, et Constantinum anno 928. ipso natali Christi die; Theophylactum vero, aetatis annum agentem XVI. Patriarcham Constantinopolitanum, moribus flagitiosum, dixit. Petro vero, Bulgarorum regi neptem suam, Christophori filiam nuptui dedit. Firmato tot praesidiis sibi imperio, Constantinum Porphyrogenitum deturbare solio molitus. Impietate hac motus illius filius Stephanus, XIV-to anno collegii imperialis, anno 944. XVI. Decembris, patrem augustali dignitate spoliatum in insulam relegat; quo exemplo incitatus Constantinus Porphyrogenitus, stirpe tota Romani deturbata, solus moderari coepit imperium; quod inter ebrietatem et socordiam protraxit annos quindecim; anno Christi 959. III. Nouembris, Romani, ut fertur, filii sui patricidio sublatus. Caetera inter Constantinus Porphyrogenitus librum exaravit de administratione imperii, anno 949 — 950. — Glycas, Manasses, Curopalata, Cedrenus Libr. II.

§. 23. Romanus imperium, quod anno 959. iniit, indole paternae haud dissimili, hoc est molli ac soluta, administravit annos tres et menses quatuor, ac Nicephoro Phocae, qui eo tempore Cretam Saracenis eripuerat, reliquit anno 963, aetatis XXI-o. Fuit Nicephorus bellica laude inclytus: nam in Cilicia et Syria contra Saracenos secunda gessit bella; oppidaque complura, et in his Antiochiam reivindicavit; ast sordidum et illiberalem eius animum annales notant. Hic Luitprando ab Ottone M. misso, Theophaniam Const. Porphyrogeniti filiam, Romani Imperatoris sororem, Ottoni II. desponsandam insolenter negavit. Periit Theophanonis coniugis suae, ac Joannis Tzimiscae insidiis Anno 969. XI. Decembris. — Curopalata, Cedrenus, Zonaras, Glycas. Luitprandus de legat.

§. 24. Joannes Tzimisces imperator salutatus anno 969. statim Romani filios, Basilium et Constantinum, collegas adhibuit. Theophanonem, Nicephori uxorem, aliosque, quorum opera Nicephorus interfectus erat, Polyeneto Patriarcha iubente, relegavit. Othoni II. Teophaniam uxorem concessit. Saracenos ad Antiochiam repulit; Bulgaros ac Russos devicit, atque ad pacis condiciones adegit. Quo bello

confecto, triumphantis more Constantinopolim ingressus, B. M. Virginis imaginem quadrigis, qui Bulgaricis constrati erant spoliis, impositam ipse pedes solempni pompa deuexit, ut victoriae illius decus et auctoritatem in eius patrocinium transferret. Pietatis eiusdem argumentum etiam est, quod aureis numis et obolis primus Saluatoris impressit effigiem; cum hac inscriptione: „Jesus Christus Rex Regum.“ Transactis in imperio annis sex, mensibusque totidem a Basilio cubiculario suo, cuius infinitam cupiditatem perstrinxit, veneno dato enectus in expeditione Syriaca Anno 975. IV. Decemb. — Curopalata, Cedrenus, Glycas, Manasses, et Luitprandus l. c.

§. 25. Basilius et Constantinus, Romani Imp. filii, Zimesce mortuo, receperunt imperium anno 975. Haud pauci contra eos usurparunt tyrannidem: imprimis Constantinus Sklerus, seu durus, et Bardas Phocas; hoc belli anno 989. interfecto, illi reconciliatus. Basilius, cui frater Constantinus volens, lubensque curam cessit imperii; Syriam pacat, et Bulgariam diuturno bello subiicit, Samuele rege deuicto, et 15 militum millibus excoecatis domum remissis, singulis centuriis uno monoculo praeceunte. Quorum miserabili sorte perterritus Samuel, paullo post exanimatus est. Basilius Bulgaroetonus voti damnatus Monachi cultum sub imperii insignibus occulte gessit; a concubitu et carnibus deinceps abstinuisse fertur. Princeps bello strenuus, sed auaritia, rapacitate, Graecaque calliditate notatus, annos natos 70, mortuus 1025-o mense Decembri. Eo deterior frater eius Constantinus, nullius homo frugis, rudis, mimisque deditus, biennio post, anno 1028. mense nouembri, Romano Argyro, genero, reliquit labefactum imperium. — Curopolata, Cedrenus, Zonaras, Fragmen. Annalium Aquitanicorum.

3.) *Status Slauinorum ciuilis Anno 884—1000.*

§. 26. Slauinorum genus tempestate hac fuerat numerosissimum: quippe a mari Baltico usque Adriaticum, a fluuio Albi usque Volgam, sparsim, diuersis sub nominibus, diffusum. Procop. de Bello Gothico Lib. III. cap. 14. Jornandes, de rebus Geticis cap. VI. Edit. Grut. Tomo II. Hist. Aug. — Sorbi et Talamincii in Lusatia, Misnia ac Saxoniae parte orientali; Wilsii in Marchia Brandenburgensi; Obotriti in Meclenburg, Kassuboni in Pomerania, trans Oderam fluuium, usque insulam Rugiam. Ad latus sinistrum alpium Carpaticarum Croatae non baptizati; ad Vistulae ripas vtrinque Lechi, dicti Poloni; in Bojohemia Czechi; inter Morauam et Vagum amnes Moraci, al. Marahanenses; ad Alpes Julias vsque mare Adriaticum Windi vel Vendi; in Liburnia et Ilyrico veteri Croatae Albi seu baptizati; inter fluuios Drauum et Sauum Slau; in Moesia superiori Serbi; in Moesia inferiori ad utramque Istri ripam Antes, a Dominis suis Bulgari compellati. A fluuio Danastro usque Volgam Russi ac Rutheni. Extremi Letti: Constantinus Porphyrogen. de adm. Imp. Nestor. edit. Schlötzer. Adam. Bremen. p. 56. Helmoldus Lib. I. cap. 7. Chron. Slau. edit. Lindebrog. p. 189.

§. 28. Fuerant hi liberi, complures tamen aliis gentibus subiecti; regnum primi condiderant Croatae Albi, in Dalmatia et Liburnia, ab Auaribus sibi vin-

dicata, anno 630. post natiuitatem Christi; Principatum similiter Serbi in Bosnia et Seruia; utrumque tamen subin clientelarem Orientis vel Occidentis imperio. Bulgarorum regnum coepit seculo IX-o finiente, diu Imperii Byzantini corruale; sub Basilio Bulgaroctono collapsum. Quod Samo Francus Auaribus depulsis erexerat, post ipsius obitum ad Francos deuolutum est. Nouum auspicati Czechi sub Borzivojo, Hostiwiczi filio, imperioque Occidentali submiserunt clientelare; quod filii eius Spitigneus ab anno 905—915 et Wratisslaus ab anno 915—20. patris uestigiiu insistentes, marchionatu Morauiae auxerunt; Wladricus uero I. ad electoratus imperialis dignitatem illud extulit anno 1014—24. Regnum, quod Marahanenses, ducum suorum Moimari ac huius nepotis Suentopluci rebellione moliti fuerant, multo sanguine ab Arnulfo Imp. extortum, post huius obitum filiorum dissidiis, anno 994. periit. Lechi ad Vistulae ripas utrinque patentes, anno 840 sunt coadunati sub Piasto; clientelari iure Ottoni M. duce Mislao Catholico, foederati; huius filio Boleslao Otho III. cum corona regiam confert dignitatem Anno 1001. Russi alias Rutheni diuersis parebant diu in Halicia, Lodomeria, Chiouia et Susdalia principibus; medii ad Septemtriones subin Varaegos Duce Gosomislo A. 859-o feliciter depulerant, ast Slauis ac Csudis, id est Scytharum reliquiis, mixti res suas componere nequibant; Varaegos proin, ex suis, Gosomisli morientis suasu, ad illas dirigendas exciuerunt; inter eos, qui aduenerant, tres praecipui fuerunt: Rurik (Roderik) Sineus et Trauor; quorum consilio et opera munimenta locis congruis excitarunt, quae inter Nouigradum celeberrimum; terramque omnem a lacu Peisbus usque mare album seu orientale suo iuri addicunt Anno 862. Annos post duos, Sineo ac Trawor mortuis, summa rerum ad Ruricum deuoluta, ditiones singulas cum sua Nouogradensi uniuuit, monarchiamque fundauit anno 864. ampliandam magis. Chiouiam Oskold et Dir, congenerationales sui, Chazaris ademerant, Constantinopolimque fluuio Boristhene (Danapro) deuecti terruerunt. Anno 866. Rurik obiit regimnis anno XV. Christi 879. Filii eius impuberis, Igor nuncupati, nomine rexit Olegus, et omnia, quae cis et trans Danaprum sita ad austrum fuerant, vi et armis subegit; Chiouiam etiam, Oskoldo ac Diro fraudulente excitis et interemptis, occupauit, sedemque monarchiae constituit Anno 882. Post haec nauibus 2000., queis singulis 40. imposuit armatos, Constantinopolim uectus, Leonem Philosophum ad pacem auro redimendam compulit. Anno 889—890.

§. 29: Igor, conscenso anno 904-o solio immanitatem, incursionesque continuauit; anno 912 decem millibus nauium Constantinopolim denuo arctauit; uastitatem igne ferroque circumtulit per Bulgariae, Imperiique ditones, anno 941.; pace extorta obiit 946. cum tutore suo Olego. Olga, Igoris relicta, Swiatoslaui filii tutrix, res moderata est humanius. Filio adulto, Constantinopolim petiit anno 955, ibidemque baptizata domum redux filium, popularesque suos ad christiana sacra traducere, Adalbertus quoque Magdeburgensis Episcopus Russis Euangelium anno 961-o persuadere, satagebant; ast incassum. Nonnullis ad fidem conuersis Swiatoslauus superstitioni suae paganae inhaesit. Caeterum Princeps bellicosus, Bulgariam omnem subegit; ea tamen per Tzimiscen Imperatorem magna

clade eiectus, a Pæcinacitis, quorum auxilio vsus fuerat, domum redux, ad cataractas Danapri occisus 972-o.

§. 30. Post mortem Swiatoslai Russicum imperium inter filios eius, Wladimirum, Jaropolkum et Olegum diuisum fuit; quod Wladimirus annos post octo rursus uniuert, Olego anno 980-o caeso. Ditiones partes in omnes ampliavit; Chazariam inuasit, et urbem Chersonesam Basilio II. Imp. rebellem, expugnatam, sororis illius Annae in coniugium obtinendae pacto detulit: quam ea sub conditione, ut fidem amplectatur christianam, etiam accepit. Pactis conuentis, Wladimirus egregie satisfecit. Baptizatus ipse; etiam suos conuerti, baptizarique fecit: idolo Perun sublato. Imperium legibus quoque datis constituit, a fluuio Danapro usque lacum Ladogam, et ripas amnis Duna, dilatatum inter filios duodecim, quorum natu maior Magnus Russiae Princeps foret, improuide satis diuisit, defunctus anno 1015. Ita Constantinus Porphyrog. Nestor. Cosmas Pragen. locis citatis. Chronographus Mayerburg apud Mabillon pag. 884. Helmoldus. Lib. I. Chron. Leo Diaconus, Cedrenus etc. *)

*) Quantum intersit inter gentis liberae et ingenuae, ac seruilis et ad mancipatum natae conuersionem, audiamus publicum gentis Russicae ad fidem Christianam transitum: „Das Beispiel des Grossfürsten Wladimirs, und vieler Boiaren, die getauft wurden, hatte zwar einen tiefen, jedoch, wie es von einem rohen, noch ganz stupiden Volke zu erwarten war, ziemlich erfolglosen Eindruck gemacht. Wladimir sah ein, dass er um Russland zu Christianisiren, sich seiner ganzen weltlichen Macht bedienen müsse. Von der Treue seines Heeres überzeugt, erliess er also ein Edict; dem zu Folge, an einem gewissen festgesetzten Tage, alle Götzenbilder zerstört werden mussten. Ohne zu Murren, ward diesem Befehle Folge geleistet, und da das Volk, wovon viele noch glaubten und hofften, dass ihre Götter jetzt abschreckende Beweise ihres Zornes geben würden, nun deren völlige Machtlosigkeit sah, so ward Wladimirs Befehl nur noch um so eifriger, und unter Schmach- und Spottreden auf die hölzernen Gottheiten vollzogen; Man zerschlug und zerhackte Sie; warf die Hölzernen in das Feuer, die Steinernen an unsaubere Orte, und um die Nichtigkeit des Hauptgottes Perun seinem Volke recht anschaulich zu machen, liess er den Götzen, gebunden an einen Pferdeschweif, durch alle Strassen Kiews Schleifen, und in den Dnieper stürzen. An die Stelle, wo das Bild des Perun stand, erbaute Wladimir eine nach dem heiligen Basilius genannte Kirche. — Die bereitwillige Folgsamkeit, mit der das Volk sich Wladimirs Edikt gefügt hatte, ermunterte denselben ein Zweites zu erlassen, dem Gemäsz alle einwohner Kiews und der umliegenden Gegend. ohne Unterschied des Geschlechts, Alters oder Standes sich an einem vom Groszfürsten bestimmten Tage, bei dem Flusze Potschajna sich einzufinden berufen worden, Wer nicht erscheinen würde, sollte für einem Feind Jesu Christi und des Groszfürsten erklärt werden. Ohne Murre unterwarf man sich auch dieser Verordnung, und an dem festgesetzten Tage waren schon am frühen Morgen zahllose Haufen Männer, Weiber und Kindern an den Ufern des erwähnten Fluszes versammelt. Jetzt erschien auch Wladimir mit einem Gefolge von Priestern und Geistlichen niederen Ordens. Auf seinen Befehl musste alles Volk reiweise in den Strom treten, und die anwesenden Priester verrichteten auf mehreren hiezu bereit gehaltenen Flössen die heilige Taufhandlung.“ Kercz. l. c. Tomo XXXII. p. 65, 8q.

4.) *Status Pannoniae ac Daciae ciuilib Anno 884—1000.*

§. 31. Pannoniam et oram Danubii citeriorem, caesis partim, partim subiugatis Auaribus, vacuum Carolus M. Bauaris, Slauis et Morauis repleuit; atque Marchionibus subiecit. Tales fuerant Arnulfo imperante, Megingotus, Babo, Beringarius, Marchionum Wilhelmi et Egiscalci, filii, et Brecislaus, vulgo Besprem, cui Arnulfus Pannoniam inter Drauum et Sauum, cum urbe paludarum, commendaauerat; inter se discordes, fideque vani. Partem, quae inter Danubium et Tibiscum tenditur, Moimarum Morauorum Dux ab imperio abstraxit; nepos eius Swendibaldus in regnum euegit, Pannoniae ac Bohemiae partibus auctum, Morauiam magnam compellatum. Reliquum Daciae ab influxu Tibisci in Danubium, alpes usque Carpatas, ditio Bulgarorum clientelaris, in ducatus discerpta, et a Slauis, Bulgaris, Valachis, Ruthenis et Chozaris item Siculis habitata fuit. V. Annales Fulden. ad an. 871—88., Hermannum Contractum, ad ann. 833. Supplemen. Fulden. ad ann. 884—893. Sigebert. Genbl. ad ann. 893. Anonym. de Conu. Charentan. et Baioar. p. XVII.—XX. Nestor. P. II. edit. Schlötzer etc.

§. 32. Rebus foris et in Pannonia, Daciaque taliter constitutis, Hungarorum egressus fuerat auspiciatissimus, cuius ordinem Belae II. regis Notarius ita recenset: „Anno Dominicae Incarnationis DCCCLXXXIV. sicut in annalibus continentur Chronicis, septem principales personae, Hetumoger dicti, egressi sunt de terra Scythica, versus Occidentem. — Venientes autem dies plurimos per deserta loca, et fluuium Etyl, super tulbou sedentes, ritu paganismo transnatauerunt, et nunquam viam ciuitatis vel habitaculi inuenerunt, — donec in Rusciam, quae Susdal vocatur, venerunt sine aliqua contradictione. — Dum per ciuitatem Kieu (Kioy) ad fluuium Denep transiissent, Duces Ruthenorum, scilicet de Kyeu, et de Susdal, rogauerunt Almu Ducem, ut dimissa terra illa, ultra siluam Hovos, versus occidentem, in terram Pannoniae descenderent, quae primo Attilae regis fuisset: laudantes illam ultra modum esse bonam. — Dux vero Almus et sui Primates, inito inter se consilio, petitioni ducum Ruthenorum satisfaciens, pacem cum eis fecerunt. — Tunc duces Cumanorum septem se sua sponte duci Almo subiugauerunt, atque cum uxoribus et filiis suis nec non cum magna multitudine in Pannoniam venire concesserunt. Similiter etiam multi de Ruthenis, Almo Duci adhaerentes, secum in Pannoniam venerunt.“ Belae regis Notar. cap. VII. X. Nestor P. II. p. 112—114. consonat: Im Jahre 888. zogen die Ungern von Kioy vorbei, über einen Berg, der nun der Ungrische genannt wird. Sie kamen an den Dnepper, und standen hier in Weshen (in tentoriis). Sie waren vom Orient hergekommen, und stürzten durch hohe Gebürge, die die ungrischen Berge genannt werden.“ „Et sic per siluam Howos venientes, ad partes Hung descenderunt, et locum quem primo occupauere Munkás nominauerunt, eo quod maximo labore ad terram adoptatam peruenerant. — Slaui vero habitatores terrae, audientes aduentum eorum, timuerunt valde, et sua sponte Almo Duci se subiugauerunt, eo quod audierant Almu Ducem de genere Attilae regis

descendisse, et licet homines fuissent Salani Ducis, tamen cum magno honore et timore seruibant illi, omnia, quae sunt necessaria ad victum, sicut decet Domino suo, offerentes. — Tunc Almus Dux et sui, laetiores facti, ad castrum Hung equitarunt, captumque subintrantes, diis immortalibus magnas victimas fecerunt, et conuiuia per quatuor dies celebrarunt. Quarto autem die, inito consilio et accepto iuramento omnium suorum Dux Almus, se viuentem, filium suum Arpadum, Ducem et praeceptorem constituit.“ *Belae Reg: Not. cap. XII.—XIII.* Partem Hungarorum iter occidentem versus ingressam Regino Prumien. Abbas et Constant. Porphyrog. in terra Lebedia, a Boëbodo ipsorum ita dicta, inter fontes minoris Tanais (Donecz) ac Danaprum patente, annos tres habitasse, Chazaris foederatos, horumque regis consilio Arpadum fuisse ad Principatum eleuatum; inde a Pacinacitis amotos, stirpe Chabarorum auctos, in Atelkusu, inter amnes Baruch, Tyram, Pruth, ac Szeret, proin in Moldauia et Bessarabia descendisse, tradunt; illos anno 889-o terram Atilae unanimes confirmant obdisse: „Anno Dominicae Incarnationis 889. gens Hungarorum, retro ante seculis inaudita a Scythicis regionibus egressa est.“ *Regino Prumien.* „Carolus Imperator a regno depositus est, et obiit in octaua Theophaniae anno eodem. Et Arnulfus in regnum eleuatur; in cuius temporibus Agareni (Hungari) in istas regiones venerunt.“ *Annal. Sangalenses, etc.*

§. 33. Arpadus, suprema auctoritate auctus, nihil sapientiae, ad fundandum regnum necessariae, desiderari passus est: praepremis utrumque Imperatorem sibi deuinxit: Leoni Sapienti suppetias tulit primas anno 891-o quas Constant. Porphyrogenitus sic exponit: „Leo Augustus, cum aduersus Simeonem, Bulgarorum regem bellum instrueret, — ducem nomine Schlerum ad Danubii fluminis ripas cum celocibus misit, munera Turcis oblatum, et ad arma contra Simeonem excitaturum. Profectus ille, et auxilium nactus, cum Arpade, et Cusane Turcorum ducibus foedere inito, ad Imperatorem rediit. Simeone cum (Nicephori) Phocae copiis occupato, Turci traiecto Danubio, totam Bulgariam captiuam fecere. His auditis, Simeon mouet aduersus Turcos. Hi in contrariam ripam transeuntes, cum Bulgaris certamen ineunt, ipseque Simeon in fugam vertitur, vix Distrae receptus incolumis.“ *L. c. cap. 40.* Continuator item Theophanis ait: ad annum 891. „Dum Simeon Nicephori copiis aciem opponit, omnem Turci Bulgaricam ditionem vastant, ac diripiunt; audiuit Simeon, aduersusque Turcos vertit impetum, Turci iterum traiecto Danubio, consorta cum Bulgaris manu, eos penitus profligant; ita ut Simeon Distram incolumis vix euaserit.“ *In Leone cap. IX. p. 164.* — Suppetias Arnulfo latus Luitprandus ita deplorat: „Arnulfus, quum Zwentibaldum Marauanorum Ducem — sibi viriliter repugnantem, debellare nequiret, depulsis his, proh dolor! munitissimis interpositionibus, — Hungarorum gentem, — in auxilium conuocat, si tamen auxilium dici potest, quod paulo post, eo moriente, tum genti suae, tum caeteris in meridie, occasuque degentibus graue periculum, immo excidium fuit. — Deuicto namque Zwentibaldo, Arnulfus pace potitur; Hungari interim obseruato exitu, contemplati sunt regionem.“

Ad annum 893. Annales Sangallenses: „Arnulfus contra Marauenses pergebat, et Agarenos, ubi reclusi erant, dimisit.“—Idem Arpadus: terram sibi ac suis, donis, legatorum precibus, ac iure Attilae conquirat; Marte usus, postquam arte frustratus est. Vim oppositam duntaxat fregit; subiectis pepercit; suos largitionibus amplis, captiuos libertate donata, hospites liberalitate exhibita sibi delucrat. Victor tandem, ocium nactus, per 34 dies regni negocia, iuraque constituit; inde loco, quo ordo legibus in gentem alias liberam inductus est, nomen Szer, quod Hungaris ordinem significat, adhaesit: Belae regis Notar. cap. XIV—XL. Suentibaldo mortuo anno 995. obsedit Morauiam magnam; Arnulfo Imperatore ad extrema deducto, Dacia omni aquisita, Pannoniam petiit: resistentibus caesis, aut fugatis. „Constant. Porphyrog. l. c. de adm. Imp. cap. 41. ait: „Morauiae Princeps Suendoplocus fortis, terribilisque populis finitimis fuit. Post Suendeploci autem mortem (anno 994.) anno uno in pace exacto, orto dissidio et bello ciuili inter filios eius, planissime eos extirparunt, terramque retinuerunt. — Et habitant quidem trans Danubium Turci in terra Morauiae, atque etiam ulterius, inter Danubium et Sauum fluuios.“—Item Luitprandus Coaeuus: Primo mortis Arnulfi, natique eius (Ludouici infantis) anno (900) Hungari magno collecto exercitu, Morauorum gentem sibi vendicant.“ Lib. II. cap. I. Tum Anonym. Belae regis notarius: „Budâ profectus ad Rabam et Raptzam, Slauorum et Pannoniorum gentes et regna vastauit, et eorum regiones occupauit.“ Cap. L. Tum Duces suos ad gentes vicinas anarchicas, discordes et seditiosas plectendas dimisit: „Hi et Charinthinorum, Moroanensium fines crebris incursionibus diripuerunt; quorum multa millia hominum in acie gladii occiderunt, praesidia subuerterunt, et regiones eorum possederunt.“ Ibid: „Quin et Hungarii hostes noui, Italiam magna ex parte vastauerunt, et confecto praelio victores, viginti millia ex Italia una die peremerant. Ibidem exploratam Boioariam inuadentes, circa Anesum fluuium plurimas praedas abducunt.“ Ita Herman. Contr. ad ann. 900. „Ultra castrum Leopoldi (Laybach) Dux Godifridus, Duxque Hardus, cum Aquilegiensi Patriarcha, illis occurrunt. In eo praelio uterque Dux occiditur, Patriarcha vero fuga saluatus est. Exinde spoliata Stiria, maxima cum praeda in Pannoniam redeunt; et postea Bulgariam spoliant.“ And. Dand. Chron. Lib. VII. cap. X. p. 10. Parsum iis duntaxat Ciuitatibus, ac populis fuit, qui oblato tributo, datisque obsidibus se submiserant: Ita Belgrado, Spalato, Zagrabiae, Posegae et Dalmatis, Croatis, Slauoniis ac Bohemis: Belae Notar. Cap. XXXVII. L. LIII. LV. „Dux vero Arpad, accepto iuramento Primatum et militum Hungariae, filium suum Zultam Ducem, cum magno honore eleuari fecit. — Posthac anno Dominicae Incarnationis DCCCVII. migravit de hoc saeculo.“ Idem cap. LII. — Quam immaniter saeuitum a principio in Christianos et templa fuerit, Episcoporum Bauariae ad Leonem IX. PP. datae literae docent; queruntur illi quippe: „Ipsi (Marachanenses) Ungarorum non modicam multitudinem ad se sumserunt, et more eorum, capita suorum Pseudo-Christianorum penitus detonderunt, et super nos Christianos immiserunt, atque ipsi superuenerunt; et alios captiuos duxerunt, alios occiderunt, alios ferina carcerum

fame et siti perdiderunt; innumeros vero exilio deputauerunt, et nobiles viros ac honestas mulieres in seruitium redegerunt, Ecclesias Dei incenderunt, et omnia aedificia deleuerunt, ita ut in tota Pannonia nostra, maxima prouincia tantum una non appareat Ecclesia, prout Episcopi a vobis destinati, si fateri velint, enarrare possunt, quantos dies transierunt, et totam terram desolatam viderunt.“ V. docum. nro. V. *)

§. 34. Ne ob tenellam Zoltani aetatem securitas interna, externaque periclitaretur, quosdam, qui Principi in dirimendis litibus, ac bellis continuandis vicariam nauarent operam, communi consilio duxerant constituendos: „Transactis quibusdam temporibus, inquit Belae regis Notarius cap. LIII. Dux Zulta cum esset tredecim annorum, omnes primates regni sui communi consilio, et pari voluntate, quosdam rectores regni sub Duce praefecerunt, qui moderamine iuris consuetudinis, dissidentium lites, contentionesque sopirent; alios autem constituerunt duotores exercitus, cum quibus diuersa regna vastarent.“ Huc spectant Constantini Porphyrog. verba: „Habent autem (Hungari) primum Ducem exercitus principem e prosapia Arpadae, cum quo duo alii Gylas (Gyülés) et Charachan (Kár-Kán) qui iudicum vicem obinent!“ — „Bultzus tertius princeps et charchan Turciae; Bultzus autem hic Charchán filius est Cale Charchan; estque Cale nomen proprium, quum Charchan sit dignitas, sicut et Gylas, quae tamen maior est quam Charchán.“ Cap. 40. — Bellum, quod lacescente Ludouico infante ad fluum Lech a ducibus Hungarorum gestum est, eidem factum exitiale, Luitprando testante Lib. II. cap. II. „Dum regis populus Hungaros, doli ignarus, impetu validissimo insequeretur, omni ex parte prodeunt insidiae, quasi victi, ipsi victores interimunt. Rex ipse e victore se victum esse, miratur; fitque illi non opinatus grauior casus. — Hungari voti compotes facti, Christianorum hac tam immensa nece, propriae non satisfacere nequitiae; sed ut rabiem perfidiae satiarent, Boioariorum, Saxonum, Francorum, omnia deflagrando regna, percurrerunt. Nec quisquam erat, qui horum praesentiam, nisi labore non paruo, natura munitissimis praestolaretur in locis; factusque est per nonnullos annos populus hic tributarius anno 910-o: Confer Belae Reg. Notar. cap. LIV.—„Dux vero Zulta, post reuersionem militum suorum, fixit metas regni Hungariae: ex parte Graecorum usque ad portam Wacil, et usque ad terram Racy (montem Haemi); ab oc-

*) Si Auentinum audimus, omnem bellicam Hungarorum artem nouimus: „Rursus, ait is Annal. Austr. P. 1. p. 232.“ Rursus, cum procul abesse credebantur, aderant; eadem velocitate et sequebantur, et fugiebant; dum te vicisse putares, in discrimine maximo eras. Eminus sagitta Ugri inimicos petebant; nec enim aperto Marte, pedestri praelio, acie congregi, ense comminus pugnare, urbes obsidere, oppida oppugnare, castella expugnare, tum nouerant; sed nunc cedendo, nunc urgendo, insidisque dimicare soliti erant. Et tantus in illis dolus, tanta velocitas, tanta peritia militiae inerat, ut absentes an praesentes, fugientes an instantes; pacem simulantes, an bellum gerentes, perniciosiores essent, in incerto haberetur. Dum igitur verso equo instant, utroque modo spicula spargunt, tela ingerunt, undique fessos inuadunt, superant, sternunt, caedunt etc.

cidente usque ad mare, ubi est Spalatina ciuitas; ex parte Theonicorum usque ad pontem Guncil (ad Aenum); ex parte Boëmorum fixit metas usque ad fluuium Moroa, et eodem modo ex parte Polonorum, usque ad montem Tatur.“ cap. LVII. Hos regni limites indicat etiam Constantinus Porphyrog. de adm. imp. cap. 40 — 41. „Confines autem Turcis (Hungaris) sunt ad Orientem Bulgari, ubi eos Ister fluuius, qui et Danubius dicitur, separat; Septentrionem versus (trans Alpes Carpatias) Pacinacitae; ad Occidentem Franci; ad Meridiem Crobati. — Et habitant quidem trans Danubium etiam Turci, in Morauia, atque etiam ulterius inter Danubium et Sabam fluuios.“ — Hungarorum in Christianos, ac loca sacra furor sub Zoltano increuit: „Rege Berengario (qui Hungaros euocauerat) mortuo, atque Rodulfo absente, Ungari, Duce Salardo (Zoltano) Italiam depopulantur Papiam quoque urbem populosissimam, atque opulentissimam igne succendunt; ubi opes periire innumerabiles, ecclesiae XLIII. succensae; vrbis ipsius episcopus cum episcopo Wercellensi, qui secum erat, igne fumoque necantur; atque ab illa poene innumerabili multitudine ducenti tantum super fuisse memorantur, qui ex reliquiis urbis incensae, quas inter cineres legerunt, argenti modios octo deferunt Hungaris, vitam murosque ciuitatis vacuae redimentes. His expleti Hungari, per abrupta transeuntes alpium iuga, veniunt in Galliam, — inde inopinato per deuia montis euadentes, Gothiam (Septimaniam) impetunt.“ Flodoardus, Luitprandus ad annum 924-o. Hermannus Contractus remotissimas Hungarorum excursions ita narrat ad an. 926. „Ungarii, vastata Alemania, totam Franciam, Alsatiam, atque Galliam, igne et gladio saeuientes percurrunt. Burchardus Dux occiditur,“ — Quantam stragem fecerunt illis diebus, aut quanta monasteria succenderint; melius iudicamus silere, quam calamitates quoque nostras verbis quoque iterare.“ Ita Vitichindus ad an. 927. — Anno 937. IX. Aprilis Hungari, adhuc in paganismo perdurantes, Franciam, Burgundiam, Aquitaniam, ferro et igni depopulari coeperunt. Peruenientes autem Senonis, ciuitatem, incenderunt coenobium S. Petri, vastantes omnem prouinciam. — Remanente ibi solummodo oratorio S. Serotini; quod minime potuerunt incendere.“ Chronicon S. Petri viui, apud Pagium Tomo III. p. 835. — „Dum Dux Zulta, A. 947. scribit Belae Reg. Notarius et sui milites, ita radicati essent; tunc Dux Zulta duxit filio Tocsun uxorem de terra Cumanorum, et ipso viuente, accepit iuramenta suorum nobilium, ac filium suum Toxum fecit Ducem, ac Dominatorem super totum regnum Hungariae. Tertio anno regni sui filii de ergastulo corporis viam uniuersae carnis ingressus est.“ Cap. LVI.

§. 35. Toxus, initia principatus illustri quodam facinore auspicaturus; arma in Italiam, quam mutuis partium studiis, inter Lotharium Hugonis filium, et Berengarium iuniorem, senioris e Gisela filia nepotem, excitatis, scissam audiuit, conuertit: „Toxus Ugrorum Rex, iram in Italos imbelles, dites, dissentientesque, conuertit Anno 947. Italiam robore Ugrorum aggreditur: Berengarius, Rex Longobardorum, decem modis numum pacem ab hoste precatur. Lactantes, infantes, pueri, puellae, viri, foeminae, sacrati, profani, quisque censum pro capite, nem-

pe nūmum pependit.“ Lupus protospata ad ann. 947. Sigiber. Gemblacen. ad an. 949. Dissidiorum, quibus Ludolfus contra patrem suum Othonem I. Henricus Ba-
 uariae Dux contra fratrem; Conradus Dux Lotharingiae, contra socerum, con-
 spirauerant occasione, minus auspicate usus fuerat, exitio quippe illi cessit maxi-
 mo: „Inimici Athonis (Othonis) ait Belae regis Notarius cap. LVI. Regis Teuto-
 nicorum, in necem eius detestabili facinore machinabantur; quia cum per se ni-
 hil mali ei facere potuissent, auxilium Hungarorum rogare coeperunt; quia scie-
 bant, quia Hungari essent insuperabiles in asuetis bellorum laboribus, et pluri-
 mis regnis Deus per eos, furoris sui flagella propinassent. Tunc illi Athonis regis
 inimici miserunt nuncios ad Toxum ducem virum bellicosum, et rogauerunt eum
 dato auro multo, ut adiutorio Hungaro praedictum Regem Othonem inuaderent.“
 — Ambitione hac principum Germaniae, in Othonem conspirantium, inducti Hun-
 gari per Charintiam immissi, Germaniam per biennium populati, sed Ludolfo ad
 gratiam Patris reducto, Conrado, qui viae Dux fuerat, reconciliato, ad Augustam
 Vindelicorum internecione luerant: Fulcinus Abbas Laubiensis, Synchronus in vi-
 ta S. Ursuari, apud Bolland XVII. April. „Erat in ea coniuratione, inquit, prin-
 ceptus ipsius regis filius Luidulfus, — atque cum eo Cono (Conradus) dux, paulo
 ante fortissimus. — Hi Hungaros, antiquam pestem, sollicitauerunt, ut regnum in
 se ipsum diuisum, inuaderent. Hac, ut dicere instituiamus, occasione saeua Hun-
 garorum gens, et qualem nunquam terra nostra sensit barbariem, a peruersis ci-
 uibus illecta, transitis Germaniae et plerisque prouinciis Galliae, cui iam nobi-
 lis ille Francorum populus insederat, omnia ferro et ignibus vastatura totam se in-
 fudit. In hac acie Cono, quem praediximus, cum suis sequacibus militauit. Sed
 ubi Traiectum ventum est, quam Mosa alluit, incertum, qua factione, dissidium
 fecit. Hungari Hasbaniam igne et rapina aggressi, Carbonariam petunt. — Sed
 ipsam gentem perfidam nequaquam passus est Deus impune ista egisse: si quidem
 anno subsequente (954.) Luidolfo ad gratiam patris sui reducto, cum iam prope es-
 set summa dies, et ineluctabile tempus, quo propitius Deus terrae populi sui
 ultus sanguinem seruorum suorum, retribuere vellet vindictam, in hostes eorum,
 agrauata est ultra modum, et omnino intolerabiliter superbia ferocissimorum Hun-
 garorum.“ Confer Sigebertum Gemblac. ad an. 953—5.—Imminutum Augustana cla-
 de suorum numerum instauraturus Toxus, nouos ex aliis prouinciis colonos liben-
 ter admisit, ac fortassis inuitauit etiam: „Audita pietate ipsius, ait Belae regis
 Notarius Cap. LVII. multi hospites confluebant ad eum, ex diuersis nationibus;
 Nam de terra Bular (Bulgar trans Volgam) venerunt quidam nobilissimi domini
 cum magna multitudine Hismaelitarum (Cazarorum ad ostium Volgae degentium,
 Islamismum professorum), quorum nomina fuerant Billa et Bocsu, quibus dux per
 diuersa loca Hungarorum condonauit terras, et insuper castrum, quod dicitur
 Pest, in perpetuum concessit. Billa vero et frater eius Bocsu, a quorum progenie
 Ethey descendit, inito consilio, de populo secum ducto, duas partes ad seruiti-
 um praedicti castri concesserunt, tertiam vero partem suis posteris dimiserunt. Et
 eodem tempore de eadem regione venit quidam nobilissimus miles, nomine He-

ter, cui etiam Dux terras et alias possessiones non modicas condonauit.“ Tum ibidem: „Et in eodem tempore de terra Bissenorum (Bessorum, Bascatir, Bas, Chalybum, ad Volgam peraeque) venit quidam miles de ducali progenie, cuius nomen fuit Thomizoba, pater Urcund, a quo descendit genus Thomoy, cui Dux Tocsun dedit terram habitandi ia partibus Remy usque ad Thisciam, ubi nunc est portus Obad.“ — Toxus secundam et aduersam sat, diuque fortunam expertus, auo, patreque mansit ferocior, ideo etiam Urzus appellatus, ceu ferox et rapax, ait Aloldus ad annum 955. Duobus filiis Geyza, et Michaële relictis obiit anno 972. ad villam Takson cis Danubium sepultus: Belae reg. Not. cap. LIII. Chron. Thur. P. II. cap. XLII.

§. 36. „Urso mortuo, ait idem Aloldus in notulis ad annum 972. Ungari elegerunt Geizzam, suae quidem gentis, sed natura mitiorem, quam barbari patres sui fuerunt: Hunc gratia Dei praeuenit, ut prudens consideraret, mala maxima, quae sua gens tot aliis regionibus intulit, et crudeles strages, quas ipsa vicissim passa est; et ideo in pace maiorem spem habuit. Igitur admisit consilium, sibi a Deo inspiratum, et proposuit formare Pannoniam suam in rempublicam, et illam ditare non amplius iniustis praedis, sed licitis lucris. Et quia terram suam nouit esse bonam et fertilem, suasit gonti suae, ut arma deponeret, et merces suas potius vicinis distraheret, quas sibi prouincia sua copiose germinaret.“ Otho M. rebus in Italia compositis, nuper in Germaniam cum filio reuersus, pro suo veram religionem propagandi studio, Brunonem Episcopum Verdensem, ad Geysam, quem pacis amicum compererat, legatum destinauit anno 972. Piligrinoque, Passauiensium Episcopo, inuiandum commendat. Legationem Geysa reciprocavit: „Otho imperator senior, scribit Lampert. Schaffnaburg. ad an. 973. cum iuniore venit Quidilinburg, ibique celebrauit sanctum Pascha X. Kal. April.; illucque venerunt legati plurimarum gentium, videlicet Romani, Graecorum, Beneuentanorum, Itolorum, Ungarorum, Danorum, Sclauorum, Bulgarorum, atque Russorum cum magnis muneribus.“ Geysam nuptiis alligatum, refert Chronicon Thuroczii de Gyula Transilvaniae principe loquens: „Habebatque filiam nomine Sarolt; pulcherrimam; de cuius pulchritudine prouinciales duces diutius loquebantur; quam Geysa Dux consilio et auxilio Beliud, qui terram Kulam possederat, duxit in uxorem legitimam.“ P. II. cap. 4 — Legationis effectum, pacem initam, ita celebrat Hartwic in vita S. Stephani Edit. Pray, cap. I. „Ea siquidem tempestate (anno 973.), qua gens praefata (Hungarorum) Dei ecclesiam depopulabantur, erat in ea princeps quidam quartus ab eo, qui ingressionis Hungarorum in Pannoniam dux primitus fuit nomine Geyza; seuerus quidem et crudelis, veluti potentialiter agens in suos; misericors autem et liberalis in alios, et praecipue Christianos, ritu paganismo licet adhuc quidem obuolutus, tamen appropinquante spiritualis fulgore charismatis, cum omnibus circumquaque positarum prouinciarum vicinis de pace coepit attente tractare. — Statuit insuper praeceptum cunctis Christianis ducatum suum intrare uolentibus, hospitalitatis et securitatis gratiam exhiberi. Clericis et Monachis potestatem concessit suam praesentiam adeundi, quibus uoluntarium libenter auditum

praebens orthodoxae fidei semen, pectoris in horto satum, delectabatur germen emittere.“ Pax haec mox anno 974. interrupta est contra Othonem II-um Henrico Bauariae Duce, vetere Hungarorum foederato, rebellante; diuque, capto etiam et exauctorato Henrico (Aloldus Annal. Lib. III.) haud integrata, quod idem Aloldus ad annum 979. postquam castrum Melicense Hungaris ademptum, ac Leopoldo Babenbergensi collatum, retulisset, innuit: „Geysa tamen Osterrichiam, a manibus suis ex maxima parte occupatam, non dimisit, sed constanter retinuit. Neque suos ibi commorantes prohibere valuit ab excursibus ac praedis, ad quas in reliquam adhuc terram Australem saepe quasi ex insidiis, excurrerunt.“ — Pace tandem restaurata Geysam lumine fidei illustratum, filiumque Waic dictum genuisse, memorat ad annum 980-um: „Geysa vero Ungaris pacis fructum dulciter quoque gustavit; dum sequentibus annis illustratus lumine fidei agnouit verum Dominum ac Deum Jesum Christum. A cuius deinde filio Stephano Ungaria in regnum florens et Christianum transiuit.“ C. f. Ditmarum annal. vet. p. 382. Hartuicum Edit. Pray p. 125. — Propter ademptum Hungaris Mellicum arma denuo resumta, et munimentis nonnisi contra Hungaros in confinio Bauariae extractis ad annum 987-um excussa: Auent. Annal. Boic. Lib. V. pag. 338. Confer Dipl. anni 984—7. Tum Geysa, seruato more Maiorum, ad firmandum filio suo successionem, fidei sacramentum ab omnibus praestari voluit: „Postquam, ait Hartuicus l. c. p. 123. transacta pueritia, gradum adolescentiae ascendit (anno 994—5) conuocatis Hungariae primatibus, cum ordine sequenti, per communis consilii colloquium, filium suum Stephanum post se regnaturum populo praefecit, et ad hoc corroborandum a singulis Sacramentum exegit.“ — Successori a se destinato sponsalia Giselaе Henrici Rixosi, Ducis Bauariae, pro quo tot bella gesserant Hungari, filiae e Gisela Conradi Burgundiae Ducis filia susceptae expetiit anno 995-to. Hermannus Contractus: „Henricus dux Bauariae obiit, et filius eius ex Gisela, Conradi regis Burgundiae filia, itidem Henricus, imperator postea futurus, ducatum interim obtinuit. Huius soror Gisela, Stephano regi Ungarorum, — in coniugium data.“ „Postea vero, subiicit Ademarum l. c. ipsi filio eius (Geysae); Stephano, Otho II. Imperator, sororem Henrici, postea Imperatoris, in coniugio dedit.“ — Supremae sibi curae duxit idem Geysa, rempublicam militibus, colonisque hospitibus firmatam filio relinquere: quam exponit Ranzanus Indice VIII. sequentibus: „Quum non essent ei tantae vires, quibus fieret a se facile, quod rei exigebat necessitas, clam dat literas, ad plerosque principes Christianos, per quas aperit laudabile suum sanctumque consilium, ac propterea petit, ut in tanta rerum mole sua quisque mittat idonea auxilia. Mittuntur igitur vndique Christianorum Principum in Hungariam copiae.“ Milites ingressos longa serie recenset Chron. Thurotzii P. II. cap. XI. Colonos e Germania innuit Andreae II. diploma Zathmár-Némethiensium anno 1231. concessum V. in Codice. „Posthaec, inquit Hartuicus l. c. p. 124. Geysa dierum plenus, anno dominicae Incarnationis nongentesimo nonagesimo septimo, seculi nequam aerumnas coelesti mutauit gaudio.“

Status Religionis et Ecclesiae Christianae ab anno 889—1000-um.

§. 37. Statum religionis et Ecclesiae, hac disturbiorum domi forisque, incursionum item barbarorum tempestate, praesertim si etiam studia literarum, artiumque bonarum neglecta in censum vocemus, tristem, afflictumque fuisse, nemo sane mirabitur. Vi, potentia, seditionibus parte una dominatis; parte alia in clero ambitionem, simoniam, auaritiam, concubinatum; in populo saeuitiam, omnigenamque morum dissolutionem regnasse, comperimus. Superiori Prouidentiae in acceptis referendum, seculo hoc, omnino ferreo; nullam inualuisse haeresim, ipsum Photii Constantinopolitani Patriarchae schisma, quod occidentalis et orientalis ecclesiae unitatem rupit, sopitum feliciter fuisse; Romanos Pontifices muneri suo Apostolico iugiter intentos; alios Praesules vitae sanctimonia, Principes christianos complures, zelo religionis Christianae propagandae, emicuisse. Nos eos laudaturiduntaxat, qui in gentis Hungariae conuersionem quopiam modo influxerant. *)

1.) *Romani Pontifices.*

§. 38. Ca' am' tas maxima sedi Apostolicae incubuit: Romanorum Pontificum eligendorum potestate ad cleri, ac partem in omnem mobilis populi arbitrium delapsa, post obitum S. Nicolai anno 967—946. dominante. Mox iidem a Patriciis, Tyrannis, ac Romanis Imperatoribus, vi potentia, technis etiam muliebribus instituti et destituti annum usque 1099-um.

Stephanus II. Papa anno 885—991. Postquam omne suum patrimonium in egenos impendisset, pauper adeo, ut lampades in templo ac domi oleo prouidere nequiuert. Huius regiminis anno quarto penetrarunt Hungari in Pannoniae regiones.

Formosus ex Portuensi Episcopo, ac sanctae sedis Apostolicae legato, factus summus Pontifex anno 891—896. Arnulfum Germaniae regem, ad Guido-

*) Hanc in rem ita monet Frid. Kercz: „Die nach dem Tode Kaiser Carolus III. in Frankreich und Italien beginnende völlige Auflösung aller bürgerlichen Ordnung, nebst der damit verbundenen, noch grössern sittlichen Entwürdigung der Völker, musste natürlicher Weise nach und nach auch einen verderblichen Einfluss auf die Kirche zur Folge haben. Verschiedene der letzten Päpste des neunten Jahrhunderts suchten, so viel sie konnten, dem immer mehr anschwellenden Verderben entgegen zu wirken. Aber der Erbfolg entsprach nur selten ihrem wohlthätigen Streben, und der schwache Damm, den sie dem überall triumphirenden Verbrechen, entgegen setzten, ward endlich im Anfange des zehnten Jahrhunderts durchbrochen, und am Ende sogar, jedoch um einzigesmal, der Stuhl des heiligen Petrus mit Blut und Laster besudelt. — Die Trauer der Kirche des Sohnes Gottes, jetzt eine kurze Zeit lang vielleicht auch andere, als blos ausgezeichnete heilige Freunde Gottes, auf dem päpstlichen Stuhle zu sehen, scheint mit Sergius III. zu beginnen; welcher nach der äusserst kurzen Regierungen der drei, nach dem Tode Johannes IX. schnell auf einander folgenden Päpste, Benedikt IV. Leo V. und Christoph im Jahre 904. den Päpstlichen Stuhl bestieg.“ l. c. Tom. XXXI p. 263—4.

nis et Berengarii tyrannidem comprimendam exciuit; quo absente Hungari in Moravia magna et Pannonia occupandis, profecerunt.

Joannes IX. anno 901—6. Huic Episcopi Bauariae querulati sunt de institutis, in praedictum ipsorum, quinque novis in Moravia magna episcopis. V. nro. XV. XVI.

Joannes X. anno 912—928. Theodora matronae Romanae artibus in sedem apostolicam irrepit; Italiae contra Saracenorum potentiam saluti fuit; obtentis enim Constantini Graecorum Imperatoris, et Berengarii Longobardorum copiis auxiliariis, eos internecione deleuit; Berengario corona imperiali imposita anno 906. gratificatus. Vitam in carcere clausit. Flodoard. de Pontific. p. 549.

Leo VII. anno 936—940. Gerardo Passauensi episcopo ius archiepiscopale Laureacensis Ecclesiae restituit, palliumque misit anno 937. Literas vide in Codice. Leoni Otho M. Stephanum IX. illegitime suffecit.

Agapetus II. anno 946—956. Hic liti aemulatione Salisburgensis contra Passauensem Archiepiscopum excitatae, Pannonia inter utrumque diuisa, finem facere satagebat, comminatus Salisburgensi: si parte Pannoniae contentus non foret, sit totam amissurus. V. Codicem.

Joannes XII. vocatus antea Octavianus, anno 956—965., ab Italiae Tyrannis multa passus, Othonem M. e Germania euocat, Berengarioque, ac filio huius Adalberto superatis, eum imperiali diademate redimit anno 962-o. Qui reciproce iura et bona status pontificalis communit, reseruato Imperatoribus ad electionem Romanorum per legatos suos influendi iure; ad destituendosque Berengarium et Albertum iuramento Joannem Papam coegit; quod hic post illius reditum illico temeravit. Cf. Du Meznil Lib. XLIII. p. 3. Inde seditio, vis, caedes usque annum 965. quo Joannes XIII. Narriensis Episcopus est ad sedem Romanam communi optione eleuatus; qui in carcerem iniectus, Othonis M. in Italiam iter denuo, quarta vice, necessarium fecit, multorum caede cruentum. An. 967. idem Joannes in libertatem assertus, Othonem, Magni filium, sacra corona incinxit. Vitae calamitosae finem fecit anno 972-o.

Benedictus VI. anno 973. praefuit mensibus nouem, cui in carcere concluso Bonifacius, locum eius inuadere cupiens, fauces elisit: datis ad Fridericum Salisburgensem Antistitem literis iurisdictionem in totam Pannoniam ei addixisse fertur.

Benedictus VII. anno 974—983. Bonifacii artibus repulsis Piligrino, Passauensium Archipraesuli Pannoniam omnem, cum Moesia, seu partibus transdanubianis, in Dioecesim concessit, episcopatusque erigendi potestatem fecit. Anno 974-o Vide nro. XVIII.

Joannes XVI. anno 986—996. A Crescentio Magnate Romano multum vexatus, ab Othone III. defensus, Adalberto Pragensium episcopo, ut ad dioecesim suam reuerteretur, author fuit. Anno 995-o.

Gregorius V. anno 996—999-um. Fuit Othonis III. e sorore nepos, Bruno nomine, illoque consentiente Pontifex electus; Othoni coronam augustalem imposuit; sed post eius abitum, illi anno 998-o Crescentius Joannem Antipapam aemulum obiecit; ast Otho Romam aduolans, Crescentium obsidione Romae cinxit,

captumque peremit; ab Antipapa vero poenas repetiit. Gregorius periculo solutus Adalberto, Praga Romam reuerso, ut sedem vacuam impleret, denuo commendavit. Anno 996-o.

Sylvester II. vulgo Gerbertus, mediocris fortunae parentibus in Aquitania ortus, monasticae vitae deditus, scientiarum studio Galliam et Hispaniam, Cordubam usque peragrans, mathematicis, physicisque scientiis afficiebatur maxime; Roberti, Regis Galliarum, et Othonis III. Imperatoris praeceptor, Remensis et Rauentaensis A. Episcopus antea, patrocínio Othonis electus Romanus Pontifex anno 999-o praefuit usque annum 1003-um; legationem e Hungaria benigne accepit, reciprocavitque. Cf. Reginonem Prum. Abbatem an. 908. Flodoardum in fragmentis de Rom. PP. Annales Metenses Hermmannum Contractum, Ditmarum Lib. I. Luitprandum lib. III. Petrum Bibliothecarium, Leonem Diaconum, Ademarum Mon. Ecolismen. Dionys. Petanii ration. temp. P. II. p. 137 — *)

II. Viri verbi Divini praeconio illustres.

I. *Wolfgangus.*

§. 39. Erat quidam vir, genere ingenuus, virtute strenuus, natione Alamanus, nomine quidem Wolfgangus. Is primum inter Canonicos, siue Clericos, laudabilem et castam duxerat vitam; dein arctioribus regulis implicari desiderans, in Suevia apud coenobitas, qui solitarii vocantur, monacchum professus est. — Acrius intendens ibi aciem mentis in speculum geminae dilectionis, monasterium et monacchum deserens, imo secundum Apostolum maiora aemulari charismata cupiens, per Alamanniam deuenit exsul in Noricum, ad cuius orientalem partem cum humili comitatu pertendens, praedicandi gratia Pannoniae petiit confinia, ubi veterum frutices errorum extirpare, ac steriles squallentium cordium agros euangelico ligone proscindere, semenque Dei inseminare frustra laborabat (Anno 972). Piligrinus, Passauiensium Praesul, eo quod dolebat, tantum colonum in sulcis sterilibus expendere laborem, reditum eidem imperavit. Itaque reuocatus, omnique humanitatis studio susceptus Wolfgangus, apud Piligrinum rogatus commorabatur aliquot dies, hoc inter caetera prudenti tractans mente, quare prohibitus sit ab adducenda ad Deum Pannoniorum gente? Clam eo a Piligrino commendatus, ab Ottone M. Francofurtum excitus, Episcopus Ratisbonensis denominatus, anno 973. Obiit ibidem an. 995. Breues Annales Einsidlen. p. 789. Mabillonius Tomo VII.

II. *Piligrinus.*

§. 40. Piligrinus, Peregrinus, ab Othone M. episcopus Passauiensis creatus est anno 971. praeceptum ab eodem acceperat anno 972-o, ut Bruonem e mo-

*) Merita ac demerita Pontificum Romanorum seculi X-i sane iudicaturus, sciendum, quod Graueson inter Scriptores seculi XXX. de Luitprando monuit: „Scripsit Historiam sex librorum usque ad V. caput Libri sexti, caetera alterius esse; stilus testatur. Item Legationem suam Constantinopolitanam. Liber de Pontificibus ab omnibus peritis Historicis ei abiudicatur, ob stili diuersitatem, et ob silentium Sigeberti, Frodoarti et Trithemii. Neque chronicon et aduersaria eius sunt.“

nacho Corbeiensi Episcopum Werdensem, legatum suum, instrueret necessariis, atque cautissime ad fines Hungarorum deduceret. Legationis huius successu animatus Pilgrinus, sub occasione pacis fiduciam sumpsit praedicationis; ac post decessum Othonis M. et Udalrici Augustani Praesulis anno 973. ad christianae doctrinae sementem tota late Hungaria spargendam, strenuas ex monachis et canonicis operas misit. Largam, quam messuit, benedictionem Benedicto VI. Papae cum exultatione perscripsit. Oborta anno 973. Henrici Bavariae Ducis contra Othonem II. seditione, Imperatori suo fidissime adhaerens Pilgrinus a Hungaris, Henrici foederatis, irruptiones, aduersaque plurima passus, et qui ab eo in Hungariam missi fuerant praecones, solum vertere coacti sunt; quod pro hostibus a Hungaris haberentur, ut ipse Otho II. inquit: „Pilgrinus sanctus Ecclesiae Patauiensis Praesul venerandus, partibus nostris favens, pro viribus, fide inconcussa, in perturbatione ac vacillatione regni Baioriorum, ab adversariorum perniciosissima persecutione, tam in incendiis, quam interfectione familiae, ac deuastatione non paruam episcopatus sui passus est iacturam“ ad an. 975. Cf. Lamp. Schaffnab. ad an. 977.— Restituto mox in Ducatum Bauariae Henrico, propter castrum Mellicum Hungaris ademptum, atque Leopoldo Babenbergensi marchionatus nomine donatum, Hungarorum cum Austriis concordia reintegrari nequiuit. Aloldus ad an. 987. Litium finem non superuixit Pilgrinus anno 991. e viuis sublatus. Schreiwinius hoc elogium Pilgrino scripsit: „Pilgrinus A. episcopus Laureacensis, sedit Patauiacae annis XII. electus anno domini 971.. Iste fuit vir magnificus, et ecclesiam suam strenue tam temporalibus, quam in spiritualibus gubernauit. Huic Papa Benedictus VI. pallium misit, ad scripta sua, in quibus se a personali accessu ad sanctorum Petri et Pauli limina, prout desiderauerat, excusat propter neophitam gentem.“ Apud Stilling. Tom. I. p. 476.

III. Adalbertus.

§. 41. Adalberti vita omnis probatio, martyriumque fuit. E nobiliori Bohemorum, ad Pragam, domo satus in baptismo nomen *Woyt iech* suscepit Anno 956. A parentibus piis, postquam vita periclitatus fuisset, seruitio Dei deuotus, Adalberto Magdeburgensium Praesuli, et apud Russos Verbi Diuini Praeconis, formandus traditur. Illi Praesul illustris in confirmationis unctione nomen suum Adalberti imponit, delectisque paedagogis educandum concredit. Curae impensae fructus reddidit is uberrimos: pietate enim humilitate, ac zelo fidei operibusque misericordiae effloruit. Tutore suo anno 981. defuncto Adalbertus noster se in gremium familiae suae recepit. A Ditmaro, primo Pragensium episcopo, sacerdos ordinatus anno 983. Paulo post, Dithmarum agonem agentem conspicatus, oneris pastoralis discrimen coepit expauescere, ac subfugit. Praesul constituitur inuitus; Othonem II. Imp. in Italia moratum 984. sequitur, ibique ab illo baculo et annulo inuestitur, a Wiligiso vero Moguntiae Archiepiscopo, qui eidem ibi ministrarat Veronae episcopus consecratur. Domum reuersus Pragam humilis ac nudipes ingreditur. Praesulatum, prouentibus episcopalibus quadrifariam, in Ecclesiae, capituli, pauperum et domesticas necessitates (parte hac minima) diuisis, auspatur;

Episcopus verbo; bonis operibus, et exemplo, iuxta cor Dei. Sed clerum ac populum nactus in fide leuem, bonis operibus mortuum, omnique lasciviae immersum. Quem cum annorum trium opera corrigere frustra laborasset, dolore percitus, munus pastorale apud Sedem Apostolicam deprecari, terram sacram inuisere, ac se in monasterium quoddam condere, animo constituit. Oportune aduenit Straquasius, quem Boleslaus fraticida filium, scelus commissum expiaturus, monasterio deuouit; ei baculum pastorem, ceu in manibus ipsius, propter ducalem sanguinis nexum, magis fructuosum, porrigit; postquam, is ceu monachus indignus, oblatum reiecisset; Adalbertus relicto episcopatu, iter arripit, Romamque petit. Eo cum peruenisset anno 989-o, Theophana Imperatrix, Othonis II, vidua, de consilio Adalberti edocta, magnam pecuniae vim, eidem, pro anima mariti defuncti Hierosolymis offerendam, tradit. Secundum hoc Palaestinum iter ingressus Cassinum venit; ubi a Monachis, ignotus, ut coepto desisteret, admonitus, persuadetur; postquam agnitus, sub incolatu Cassinensi, fuisset, ad S. Nilum, Monachorum Graecorum in valle Luci Abbatem accedit, utque in numerum fratrum reciperetur, ab eo enixe petit. Sed Nilus, ut Romam reuenteretur, ei persuasit; cuius secutus consilium, se potestati Abbatis Leonis, monasticae regulae, in monasterio Sanctorum Bonifacii et Alexii subiicit Anno 990. In hoc monasterio quinquennio versatus est, adhaerente ei Gaudentio, fratre suo, omni obedientia, ac humilitate ambulans inter fratres. Terminato vero quinto monachatus anno, anno 995. Legati Bohemorum cum literis Archiepiscopi Moguntini Romam veniunt, Praesulem suum a Pontifice Maximo reposcentes, emendationemque populi promittentes; quorum votis cum annuisset Pontifex Joannes XVI. decreto Synodi ad sua reuerti compellitur Adalbertus. Ad Bohemiam ubi appulit iuxta positus Hungaris, nunc nuncios misit, nunc se ipsum obtulit. Postquam vero in corrigendis Bohemorum moribus expertus est, se in vanum laborare, praeceptum evangelii, et exemplum S. Pauli sequi statuit, in monasteriumque Romanum regredi. Per hunc reditum praedicato euangelio Hungaris, ab errore parum mutatis, umbram christianitatis impressit. Vix Romae monasticam resumit vitam, quum illico iussu Pontificis Gregorii quinti ad Ecclesiam suam redire compellitur. Paret quidem mandato Adalbertus, urbeque cum fratre Gaudentio, qui et Radla ac Radun a scriptoribus vocatur, pluriumque Benedictinorum monasterii praedicti comitatu, egreditur, sed non recta Pragam ingressus; animos Bohemorum eminus exploraturus, quoniam animo erga se essent, Gaudentium ac nonnullos Benedictinos in Bohemiam praemittit. Exceptus interim ipse a Geysa, domoque huius gaudio maximo. Eo quum venisset Gaudentius, populum reperit, erga Adalbertum pessime animatum, eoque sceleris prolapsus, ut in peruiugio S. Wenceslai, fratres Episcopi, spectante Gaudentio, interemerint. Hac de caede certior factus Adalbertus, Gaudentio, cum sociis in Hungaria relicto, ipse in Poloniam paucis comitibus diuertit, Ducemque Boleslaum adiit, a quo perhumaniter est susceptus. Certior ibi factus, abnuere Bohemos ipsius praesentiam, ut qui, si rediret, occisos fratres vlturus esset, postquam duas epistolas, unam ad Stephanum

Ducem, alteram ad Gaudentium, apud reginam agentem, e Polonia destinasset, cum Gaudentio evocato, nauibus et custodibus a Boleslao suppeditatis, Prussiam, euangelium praedicaturus, petiit; ubi non multo post anno 996. IX. Kal. May, palmam martyrii obtinuit. — E duabus eius vitis, quas duo coeui conscripserant; Ditmaro Libro VII. Analista Saxone, Annalibusque Hildesheimensibus collatis. *)

IV. Bruno.

§. 42. Fuit quidam Bruno nomine contemporalis et conscholasticu meus inquit Ditmarus, ex genere clarissimo editus, sed diuina miseratione prae caeteris parentibus inter filios Domini electus. Hic ab Ida venerabili matre sua unice dilectus, magisterio Gildonis Philosophi, traditur, et omne quod habere debuit, cum abundantia suggeritur. Huius Pater erat Bruno, senior, egregius et per cuncta laudabilis, amicus mihi consanguinitate, et omnibus erat proximus familiaritate. Filius autem eius et aequiuocus, cum mane ad scholas ire debuisset, antequam ab hospicio exiret, veniam petiit, ac ludentibus nobis, in oratione is fuit. Otio negotium praeposuit, et sic fructificans, ad maturitatem peruenit. A tertio desideratur Othone et suscipitur; quem non longe post deserens, solitariam quaesiuit vitam annis XI. Is vero post mortem gloriosissimi Imperatoris, regnante tunc secundo Domini gratia Henrico ad Merseburg veniens, benedictionem, cum licentia domini Papae, episcopalem ab eo petiit, et eius iussione ab Archiepiscopo Tagmone, consecrationem, et quod ipse detulit huc pallium, ibidem suscepit,

*) Quanam pietate Adalbertus post obitum continuo fuerit cultus, Ditmarus a Leibnitio editus Lib. IV. p. 353. ita persequitur: „Postquam Prucorum (Prussorum) mentes a Christo alienas freno sanctae praedicationis edomare tentaret, cuspide perfossus IX. Kal. May capitis abscissione, optatum semper solus ex suis martyrium percepit: absque omni gemitu, ut in ipsa nocte in somnis vidit, cunctisque fratribus praedixit: Putabam, inquit, me missam celebrare, solumque communicare.“ Sed nefandi sceleris auctores eum iam exspirasse cernentes, ad augmentum sui sceleris, diuinaeque ultionis, corpus pelago mersere beatum, caput sude, conuiciando, figentes et exultando redeuntes. Quod Bolislaus Misecanis filius, comperiens - data mox pecunia, Martyris mercatur inclyta cum capite membra. Imperator autem Romae certus de hac re effectus, condignas Deo suppliciter reddidit Odas, quod suis temporibus talem sibi per palmam martyrii assumsit famulum.“ — Et iterum p. 357. „Postea Caesar (Otto III.) auditis mirabilibus, quae per dilectum sibi martyrem Deus fecit Adalbertum, — eo pergere festinavit. — Decursis tunc Milcieni (Misniae) terminis, huic ad Diedesisi pagum primo venienti Boleslaus — parato in loco, qui Ilua dicitur, suimet hospicio multum hilaris occurrit. Qualiter autem Caesar tunc ab eodem susciperetur, et perusque ad Gnesin deduceretur, dicto incredibile, ac ineffabile est. Videns a longo urbem desideratam nudis pedibus suppliciter aduenit, et ab Episcopo eiusdem, Ungero, venerabiliter susceptus, ecclesiam introducit, et ad Christi gratiam impetrandam martyris Christi intercessio profusis lacrimis inuitatur.“ Denique lib. VII. p. 414.) „Postera die. id est IV. Id. Junii Thieddegus Pragensis Antistes et martyris Christi successor Adalberti, viam uniuersae carnis fideliter adiit. — Is cum Voitegus ex huius mundi caligine, ut praedixi, subtraheretur, — sedem suam a tertio Ottone ad regendum suscepit.“

anno 1004. Dein ob lucrum animae laborem subiit diuersae ac grandis viae, castigans corpus inedia, et crucians vigilia. Multa a Bolislauo, caeterisque diuitibus bona suscepit, quae mox Ecclesiis ac familiaribus suis et pauperibus, nihil sibi retinendo, diuisit. In duodecimo conuersionis ac inclitae conuersionis suae anno, ad Prussiam pergens, steriles hos agros semine diuino studuit foecundare; sed spinis pullulantibus horrida, non potuit facile mollire. Tunc in confinio praedictae regionis et Russiae, cum praedicaret, primo ab incolis prohibetur, et plus euangelizans capitur, deindeque amore Christi, qui ecclesiae caput est XVI. Martii, mitis ut agnus decollatur cum suis XVIII. Corpora tot Martyrum insepulta iacuerunt, quoad Bolislauus id comperiens, eadem mercatur, ac domui suae aquisiuit solatium. Facta sunt autem haec in tempore serenissimi Regis Henrici, quem Deus omnipotens triumpho tanti praesulis honorificavit, et multum, spero, saluauit. Pater autem praedicti Antistitis longe post infirmatus, vt ipse mihi narrauit, praecepto filii monachicum suscepit habitum et XIV. Kal. Nouembris in pace quieuit.“ Pag. 398. Hunc Brunonem Ademarum confudit cum Brunone, qui ab Othone M. missus in Hungariam venit; is fuit Werdensis Episcopus, sedit ab anno 962. usque 975., quo VII. Idus Maii obiit, ut annalista Saxo Annal. Austr. P. I. p. 259. notauit. Bruno hic, episcopus in partibus, in Hungariam neutiquam venit; sed nec alii: Bruno frater Othonis M. episcopus Colonien, nec Bruno, frater Othonis III. Romanus Papa venerant. Haec ad clarificanda, quae sequuntur, advertamus oportet.

III. Status religionis, in Hungaria, incolarum subditorum.

1) *Abarum subditorum, et Slauium Pannoniae incolarum.*

§. 43. Abares iteratis cladibus, Slaui, Charantani dicti, deditione subiuerant Caroli M. Imperatoris iugum, qui sua interesse ducebat, gentes subditas ad sacra quoque christiana amplectenda cogere. Initium a Carentanis ac Pannoniae inferioris accolis, sumtum. Labor perficiendus Arnoni, Curolo praeprimis charo, delatus (Alcuinus epist. VII.); qui rebus e voto cedentibus post Virgilli obitum Iuuauiensibus Praesul datus a Leone III. Papa Archiepiscopatus insignia atque Caroli Imperatoris auctoritate, in Bauariam et inferiorem etiam Pannoniam iurisdictionem reportauit: „Leo, inter caetera inquit, — cum consensu et voluntate filii nostri Domini Caroli — Regis, vobis ordinauimus, secundum sanctiones Patrum, Archiepiscopum Arnorem, Ecclesiae Iuuauensium. — Qui dudum noster Cor-episcopus, nunc autem frater noster, et Coepiscopus, vester autem Archiepiscopus. — Usum pallii tribuentes ei dedimus in mandatis, ut secundum Canonicas institutiones omnibus Ecclesiis (Frisingiae, Reginensi, Passauiensi, Niwenburgensi, Prouinciae Bayoariorum) canonicè valeat impertiri. (vide Cod. Dipl. Tom. I. p. 147—9.) Constitutionem hanc pontificiam Carolus Imperator confirmauit: „Carolus (ait Alcuinus epist. CIV.) partem Pannoniae, circa lacum Pelissa inferioris Pannoniae, ultra fluvium, qui dicitur Rapa, et sic usque Drauum fluvium et eousque, ubi Drauus fluit in Danubium, prout potestatem habuit, prae-

nominavit eum doctrina et ecclesiastico officio procurare populum, qui remansit de Hunnis et Slaus, in illis partibus, Arnoni, Juuaviensium episcopo.“ Ibid. p. 119. Consentit Anonymus de conversione Carentanorum. „Anno 796. ipse Imperator praecepit Arnoni Archiepiscopo pergere in partes Schlauoniae, ac providere omnem illam regionem et ecclesiasticum officium, more episcopali colere, populosque in fide et christianitate praedicando confouere; sicut ille fecit illuc veniendo. Consecrauit Ecclesias, ordinavit presbiteros, populumque praedicando docuit. — Tunc iussu Imperatoris ordinavit Deodoricum Episcopum et perduxit in Sclauoniam, dedit in manus Principum, commendans ei regionem Carentanorum, et confines eorum occidentali parte Draui fluminis, usque dum Drauus fluit in amnem Danubii; Nris XII—XV. C. f. n. LI. — Ecclesias a Carolo M. in Pannonia pro neophytis exstructas laudat Ludouicus Pius, illius filius, Diplomate anni. 823.

§. 44. Urolfus Valtrici, in sede Passauensi, in quam Ecclesiae Metropolitanae Lauriacensis, ab Auaribus destructae, dignitas transiit, successor, iura archiepiscopatus sui tuiturus, ad munus Apostolicum se conuertit. Auaribusque, Pannoniam superiorem incolentibus Euangelium eo cum fructu annunciat, ut et Chaganum ipsorum Tutundum, et partem plurimam lucri Christo faceret. Annal. Pythaeani ad an. 695—9. His quoque Carolus pari pietate ecclesias excitauit necessarias. Ut Dipl. laudatum.

§. 46. His animatus ad Slaus quoque Marahanenses, qui oppositas Danubii oras adcolebant, Euangelica luce illustrandos transgreditur; labor Apostolicus ei hic etiam e voto cedit; nam Principem eorum, Imperio clientelarem, Moymar nomine, atque populi plurimos, a crassa gentilismi superstitione ad fidem Christi conuertit. Hanc, cum in Auaria tum etiam Morauia firmaturus, quatuor constituit episcopatus: Fauieanensem (Viennae) Vetuariensem (Ouarini?) Speculo Juliensem (Welehradini) ac Nitriensem (Nitriae), horumque confirmationem, ac dignitatis suae metropolitanae restaurationem, ab Eugenio II. Papa petiit, impetrauit quoque, testibus eiusdem Eugenii literis, quae sic habent: „Eugenius Episcopus — Ratfredo S. Fauianensis Ecclesiae, et Methodio Speculo Juliensis, quae et Soriguturenensis nuncupatur, atque Aleuino S. Nitrauiensis Ecclesiae, parique modo Annoni S. Wetuariensis Ecclesiae Episcopis, simul etiam Tutundo, nec non Moymaro, Ducibus, et primatibus exercitibusque plebis Hunniae, quae et Auaria dicitur, et Morauiae. — Reuerendissimus Urolphus S. Lauriacensis Ecclesiae Episcopus et Sanctissimus frater noster, vester autem spiritualis Pater, qui per sum sanctam praedicationem adoptiuos Deo vos genuit filios, — ad Apostolorum limina veniens, nouam Ecclesiam nostris benedictionibus informandam, subnixae commendauit. — Quem nos doctissimum diuini oraculi ministrum saluti vestrae cognoscentes per omnia necessarium, — ab hac sancta Romana matre Ecclesia vobis rectorem transmisimus, atque in praefatis regionibus Hunniae, quae et Auaria appellatur, sed et Morauiae, prouinciarumque Pannoniae, siue Misiae, Apostolicam vicem nostram atque Dioecesim, ac ius Ecclesiasticum exercendi; et usum ac potestatem antecessorum suorum videlicet S. Lauriacensis Ecclesiae Ar-

chiepiscoporum, sibi ac successoribus suis canonica auctoritate committimus, atque huius constitutionis nostrae decretum subscriptionis privilegio confirmamus. Pallium praeterea iuxta consuetudinem antiquam sanctitati suae dedimus, etc. Anno 826. V. Cod. Dipl. tomo I. pag. 158. Sqq.

§. 47. Neophytarum in Auaria et Moravia Ecclesiarum pax Archipraesulum Salisburgensium ambitione in omnem Pannoniam, quin et Moraviam, ubi non seminarunt, Carolinae dispositionis §. 43. intuitu iurisdictionem arrogantium, fuit turbata: „Priuinnae, certe, Adelramus Archiepiscopus, Arnonis in Ecclesiae Juuaviensis sede successor, in loco vocato Nitrauo, consecrauit ecclesiam, ut in Hist. Conu. Carentanorum legimus l. c. Reginarius Urólphi in sede Passauensi ab anno 837-o successor (teste Pagio) ad metropolitanam suam auctoritatem manutenendam, euangelii apud Morauos praedicationem continuauit. V. Cod. Dipl. Tom. I. p. 149. Lis inde erumpens Archiepiscopatum diuisione componi tentata: Ludouicus Germanicus, Ludouici Pii filius, Bojorum (ab anno 825) Rex, accersiuit anno 839. Reginoburgum, Pontificem Salisburgensem, Aldramum, ac Passauensem Reginarium; et audito utroque sententiam hunc in modum tulit; ut regio, quae ultra Commagenos montes est, inter utrumque Antistitem diuidatur; aquilonarem occidentalemque oram, qua Spiraza amnis exoritur, et cum altero Spiraza et Arabone confluit, Passauensis Antistes haberet; reliqua orientem et austrum spectantia procurerentur a Salisburgensi. Actum Raganeshurg Anno Christo propitio DCCC. XXXIX. Anno XVII. Ludouici Imp. filio eius Ludouico regnante in Bojaria, anno V. XIV. Kal. Decembr. Luna XVI. Indict. VIII. Angelramus ad vicem Gozbaldi scripsi et subscripsi. Cod. Dipl. tom. I. p. 162.

§. 48. Non tantum Auariam, sed Moraviam etiam cis Danubium, porro quoque penes Passauensem Archiepiscopatum permansisse, Praesulum Bauariae, ad Joannem IX. P. P. datae literae certum faciunt: „Terra, inquit, Sclauorum, qui Maraci dicuntur, Regibus nostris ac nobis, cum habitatoribus suis subacta fuerat, tam in cultu religionis quam ex tributo substantiae secularis: quia exinde primum imbuti et ex paganis Christiani facti sunt. Et idcirco Patauiensis Episcopus ciuitatis, in cuius ditione sunt, illius tempore populi ab exordio christianitatis eorum, quando voluit et debuit, illuc nullo obstante intrauit, et Synodalem cum suis et etiam ibi inuentis, conuentum frequentauit, et omnia, quae agenda sunt, potenter egit, et nullus ei in faciem restitit.“ V. ad ann. 899. Cod. Dipl. tom. I. p. 229—230. Postquam Moymaro defuncto, Rastices, alias Radislaus, cum nepote suo Suatopluchio, clientelae regis Ludouici nuntium misit anno 846. bellumque acerrimum gessit annis 855—864. Bauaris Praesulibus, ac Presbiteris, ceu inuisis, partim interdictis, partim eliminatis, religionem Christianam in Moravia intercidiisse oportuit; quemadmodum Episcopi Bojariae querulati: „Olim, inquit, comites etiam nostri, terrae confines, placita secularia illuc contulerunt, et, quae corrigenda sunt, correxerunt, tributa tulerunt, et nulli eis restituerunt, usque dum incessente corda eorum diabolo, christianitatem abhorrere, et omnem iustitiam detrectare, belloque lacessere, et obsistere sac-

uissime coeperunt adeo, ut via Episcopo, et pradicatoribus eo non esset; sed libitu suo egerunt, quae voluerunt." l. c. p. 230.

§. 49. Rastices, pace confecta, ut religioni lapsae consuleret, praecones Euangelii, qui populi sibi subiecti linguam nossent, eumque fidei rudimentis ac literis informarent, a Michaële III. Orientis Imperatore, destinata Constantino-polim legatione, requirendum duxit; optato cum euentu: nam, uti Cyrilli et Methodii biographus in agenda prima, ab Antwerpiensibus ad IX. Martii edita, perhibet: „Philosopho (Constantino) reuerso Constantino-polim, audiens Ratislaus Princeps Moraviae, quod factum fuerat a Constantino in prouincia Chazarorum, ipse quoque genti suae consulens, ad praedictum Imperatorem nuncios misit; nuncians hoc, quod populus suus ab idolorum quidem cultura recesserat, et christianam legem obseruare desiderabat; verum Doctorem talem non haberet, qui ad legendum eos, et ad perfectam legem edoceat; rogare se, talem hominem ut ad partes illas dirigat, qui pleniter fidem et ordinem diuinae legis et viam veritatis populo isti ostendere valeat; cuius precibus annuens Imperator eundem super nominatum Philosophum ad se venire rogauit, eumque illuc, idest in terram Sclauorum, simul cum Methodio, germano suo, transmisit, copiosis valde de palatio suo datis expensis.“ Nro. VII.

§. 50. Missioni huic euangelicae Constantinus ac Methodius integerrime, felicique cum successu responderunt: „Quumque (continuat idem Legendarius) ad partes illas, Deo praeparante venissent, cognoscentes loci indigenae aduentum illorum, valde gauisi sunt; quia et reliquias B. Clementis secum adferre audierunt, et euangelium in eorum linguam a Philosopho praedicto translatum. — Coeperunt itaque illi ad id, ad quod venerant, peragendum studiose insistere, et paruulos eorum literas edocere, officia ecclesiastica instruere, ad correptionemque diuersorum errorum, quos in populo illo repererant, falcem eloquiorum suorum inducere; sicque ab rasis et exstirpatis de agro illo pestifero multifariis vitiorum sentibus diuini verbi germina seminare.“ — Ecclesias erectas Rastices ac Suatoplugus dotarunt. V. numero VIII. Haec anno 860. facta: V. Kalendarii uniuersalis, tomo III. p. 44.

§. 51. His laboribus Apostolicis perceptis Nicolaus I. Papa Constantinum ac Methodium Romam euocat; iussis parent exciti; ast Pontificem non inueniunt superstitem anno 867. X. Nouembris defuntum. Hadrianus I. XVI. Decembris anno eodem consecratus, benigne suscipit aduenas; episcopalique ornat gradu; ast hunc deprecatur Constantinus, sumtoque Cyrilli nomine monasticam amplectitur disciplinam. Papa Methodium solum ad labores euangelicos consummandos remittit, ad aemulationemque, quae inter Salisburgensem et Pataviensem Antistites eruperat, sopiendam, Archiepiscopali dignitate auget. Hinc Methodius non Marahansium duntaxat, sed Sclauorum etiam, qui Pannoniam inferiorem accolebant, Doctor et pastor factus est, in Bauarorum displicentiam: Historia conuersionis Charentanorum, saepe laudata teste: „Qui (Richpaldus Archipresbiter Moshurgensis Pannoniae inferioris) multum tempus ibi demoratus est; exercens suum potesta-

tive officium, sicut illi iniunxit Archiepiscopus suus (Salisburgensis) usque dum quidam Graecus, Methodius nomine, nouiter inuentis Sclauinis literis, linguam latinam, doctrinamque Romanam, atque literas auctorabiles latinas philosophice superinducens, vilescere fecit cuncta populo; ex parte Missas et Euangelia, ecclesiasticumque officium illorum, qui hoc latine celebrarunt. Quod ille ferre non valens sedem repetiuit Iuuaiensem.“ Itcm infra: „Tempore ergo, quo dato et praecepto Domini Caroli Imperatoris, orientalis Pannoniae populus Iuuaiensibus coepit regi Praesulibus, usque ad praesens tempus, sunt anni septuaginta quinque; quod nullus episcopus alicubi veniens habuit potestatem Ecclesiasticam in illo confinio, nisi Salisburgenses Rectores; neque presbiter aliunde veniens, plus tribus mensibus ibi suum ausus est colere officium; prius quam suam dimissoriam episcopo praesentauerat Epistolam. Hoc enim obseruatum fuit, usque dum noua orta est doctrina Methodii philosophi.“ l. c. Acta proin haec sunt anno 873-o.

§. 52. Haec, praesertim iurisdictio Methodio in Pannoniam inferiorem quoque prolata, non episcopis solum, sed et Principibus Germaniae, displicuit: ast Joannes VII. PP. Pannoniam suismet asseruit iuribus, Methodium vero ipsis non destitit commendare; Ludouico, Regi Bauariae rescribens: „Joannes Episcopus, dilecto filio, Ludouico regi glorioso. Inter caetera multis ac variis, manifestisque prudentia tua poterit indiciis deprehendere Pannoniam Dioecesim, ab olim Apostolicae sedis fuisse priuilegiis deputatam; si apud Excellentiam Tuam iustitia Dei locum, sicut decet, inuenerit. Hoc enim Synodalia gesta indicant; Historiae conscriptae demonstrant; verum, quia quibusdam hostilium turbationum similitatibus impediens, illic ab Apostolica sede non est diu directus Antistes, hoc apud ignaros venit in dubium, etc. Anno 879. V. Cod. Dipl. tom. I. p. 186. Hunc in sensum Paulum etiam Anconitanum Praesulem, suum in Pannonia ac Germania Legatum, edocuit: ibid. pag. 187. Carolomanno autem Pannoniae ac Charinthiae Principi, significauit: „Joannes Episcopus, glorioso viro, Carolomano dilecti filii nostri Ludouici regis filio. Reddito ac restituto nobis Pannoniensium Episcopatu, liceat fratri nostro Methodio, qui illic a sede Apostolica est ordinatus, secundum priscam consuetudinem libere, quae sunt Episcopi gerere. — Anno 871. Ibid. p. 190. — Montemero vero, Slauoniae Principi, Priuinae nepoti, ita scripsit: „Joannes Episcopus Montemero, Duci Sclauoniae. — Monemus te, ut progenitorum tuorum secutus morem, quantum potes, ad Pannoniensium reuerti studeas dioecesim. Et quia illic iam Deo gratias, a sede Beati Petri Apostoli episcopus ordinatus est, ad ipsius pastorem recurras sollicitudinem. — Anno 876. Ibid. p. 196.

§. 53. Suatoplugus, Suentboldus, etiam Zwentmarus dictus, qui Rastici, oculis orbato, atque in monasterium detruso successerat anno 870. in principatu, Methodium, ob linguae vulgaris, ut videtur, in sacris usum temeratae fidei apud Joannem VIII. Papam insimulauit. Hic Methodium a fide orthodoxa descuisse miratus, Romam ad confessionem fidei euocat, ut literae eius loquuntur: „Joannes — Zwentomaro de Morauia. — Quod autem, sicut Joanne Presbi-

tero vestro, quem nobis misistis, referente, didicimus in recta fide dubitatis, monemus dilectionem vestram, ut sic teneatis, sic credatis, sicut sancta Romana Ecclesia, ab ipso Apostolorum Principe didicit, tenuit, et usque finem seculorum tenebit; — et sicut Antecessores nostros, sanctos videlicet Apostolicae sedis Praesules, parentes vestros, ab initio docuisse; cognoscitis. — Quia vero audiuimus, quia Methodius, vester Archiepiscopus, ab antecessore nostro Hadriano, scilicet Papa ordinatus, vobis directus, aliter doceat, quam coram sede Apostolica se credere verbis et literis est professus, valde miramur; tamen propter hoc direximus illi literas, vt absque omni occasione, ad nos venire procuret.“ Anno 879. l. c. p. 211. — „Reuerendissimo Methodio, Archiepiscopo Pannoniensis Ecclesiae. — Audimus, quod non ea, quae sancta Romana Ecclesia, ab ipso Apostolorum Principe didicit, et quotidie praedicat, in docendo doceas, et ipsum populum in errorem mittas. — Unde his Apostolatus nostri literis tibi iubemus, ut, omni occasione postposita, ad nos de praesenti venire procures, ut ex ore tuo audiamus, et cognoscamus, utrum sic teneas, ac praedices, sicut verbis et literis te sanctae Romanae Ecclesiae credere promisisti, an non? ut veraciter cognoscamus doctrinam tuam. — Audimus etiam, quod Missam cantes in barbara, hoc est in Sclauonica lingua; unde iam literis nostris per Paulum, Episcopum Anconitanum, tibi directis prohibuimus, ne in ea lingua celebres sacra Missarum sollemnia, sed vel in Latina, vel Graeca lingua, sicut Ecclesia toto orbe terrarum diffusa, in omnibus gentibus dilatata cantat. Praedicare vero aut sermonem in populo facere, tibi licet; quoniam Psalmista omnes admonet: Dominum gentes laudare; et Apostolus: Omnis, inquit lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei patris. — A. 879. Ibid. p. 212.

§. 54. Idem Papa Methodii Archiepiscopi fidem, facto examine, integram reperit; usum linguae Sclauonicae in sacris publicis, porro quoque indulsit; ac Suatoplugo commendatum remisit: „Dilecto filio Suatopulchro, glorioso Comiti. — Fratrem nostrum Methodium, Reuerendissimum Archiepiscopum S. Ecclesiae Morauiensis, una cum Semisisno fideli tuo, ad nostram pontificalem praesentiam venientem — interrogauimus coram positis Fratribus nostris episcopis, si orthodoxae fidei symbolum ita credat, et ita caneret, sicut Romanam Ecclesiam tenere, et in sanctis uniuersalibus synodis a sanctis Patribus, secundum Euangelium Christi, Dei nostri, auctoritatem promulgatum atque traditum constat. Ille autem professus est, se iuxta Euangelium et Apostolicam doctrinam, sicut sancta Romana Ecclesia docet, et a Patribus traditum est, tenere ac psallere. Nos autem illum in omnibus orthodoxum et proficuum esse reperientes; vobis iterum ad regendam commissam sibi Dei Ecclesiam remisimus; quem veluti pastorem proprium ut digno honore ac reuerentia, laetaque mente recipiatis, iubemus; quia nostrae Apostolicae auctoritatis praecepto, Archiepiscopatus ei priuilegium confirmauimus, et in perpetuum Deo iuuante, firmum manere statuimus.“ — Wichinum insuper, itineris comitem, Nitriensem consecrauit episcopum: „Ipsam quoque, ait Presbiterum nomine Wichinum, quem nobis direxisti, electum episcopum, consecra-

uimus sanctae Ecclesiae Nitriensis; quem suo Archiepiscopo in omnibus obedientem, sicut Canones docent, esse iubemus.“ Anno 880. Ibidem.

§. 55. Nec tamen Methodio licuit priuilegiali Archiepiscopatus sui munere pacifice frui: a Wichino Nitriensi Praesule, ob linguae vulgaris usum vel alias quaspiam causas, secretae cuiusdam, Romae acceptae, instructionis obtentu, diuersis lacescitis molestiis, quas Methodius, aeger animo, quaerulis ad Papam literis detulit. Afflictum Joannes Papa responsis paterne solatus est, omnemque secretam repulit a se instructionem: „Auditis, inquit, per tuas literas variis casibus, et euentibus tuis, quanta compassione condoluerimus, ex hoc aduertere poteris — neque Episcopo illi, palam vel secreto, aliud faciendum iniunximus, et aliud a te peragendum decreuimus: quanto minus credendum est, ut sacramentum ab eo episcopo exegerimus, quem saltem leui sermone super hoc negotio allocuti non sumus.“ Anno 881. l. c. p. 217. Wichinus anno 898. gesto suo muneri nuncium misit, et profugus apud Arnulfum Cancellarii imperialis munus primum obtinuit, tum Passauensem episcopatum; a quo tamen post mortem Arnulfi, synodi Salisburgensis sententia interdictus fuit anno 899. Anno huic proximo Methodius apostolicum munus suum consummauit. Ibid. p. 228.

§. 36. Anno eodem, qui Methodio ultimus fuit, Archiepiscopatus Moraviae, et Nitriensi episcopatus vacantibus, Joannem VIII. P. P. prouidisse, per legatos destinatos; literis Praesulum Bauariae docemur; sic enim ferunt: „Venerunt, ut ipsi promulgarunt, de latere vestro tres Episcopi: videlicet Joannes, Archiepiscopus, Benedictus et Daniel episcopi, in terram Sclauorum, qui Maraci dicuntur, et ordinauerunt in uno eodemque episcopatu unum Archiepiscopum, si tamen in alterius episcopatu Archiepiscopium esse potest, et tres suffraganeos illius, episcopos; absque scientia et consensu episcopi, in cuius fuere dioecesi.“ Cod. Dipl. tomo I. p. 229—30. Ast quisnam ille Archiepiscopus Moraviae? Quo in loco fixus? Quinam tres hi episcopi? An etiam introducti? Mihi quidem videtur neutiquam. Ab aditu sedium suarum, vero simillime, Hungarorum in Morauiam irruptione anno 900 o fuerunt impediti: de quibus scilicet Luitprandus testis coaeuus ait: „Primo mortis Arnulfi anno (900) Hungari magno collecto exercitu, Marauanorum gentem — sibi vendicant, castra diruunt, Ecclesias consumunt.“ Lib. II. cap. I. Sed nec ultra Fauianensis, Vetuarensis, Speculo-Lunensis, Nitriensis episcoporum ullum vestigium. Totum Moraviae episcopatum, Pragense unitum fuisse, mox videbimus. Quin Morauiam magnam, pastorum Ecclesiasticorum defectu, sub dominio Hungarorum, in paganismum denuo recidisse, comperimus: Constantinus enim Porphyrogenitus, Morauiam hanc tempore suo vocat: Baptismo carentem. l. c. cap. 40. Id protestatur etiam Bracyslaus, filius illustris regis Bohemorum: „Illachrymavi sane, inquit, et intimo corde sum compunctus, quando videbam loca illa sacra, ubi coepit Christianitas, per Ungaros tum paganos, deuastata, et diruta, atque in ruderibus dissipata iacere, et ecclesias in illis partibus terrae nostrae omnes, ad unam spoliatas, et profanatas existere.“ V. nro. XXXV.

§. 57. De statu religionis apud Bulgaros, aliosque indigenas, qui ab ostio Draui trans Tibiscum, usque ad cataractas Istri, iugaque Carpati coluerant, constat nobis minime: num Bogorio, rege Bulgarorum, sub Michaële Orientalis Imperatore, sacris iniciati fuerint etiam isti Christianis: id unum claret, nulla apud ipsos tempore aduentus Hungarorum seu episcopatus, siue ecclesiarum occurrere vestigia. Si fuerit etiam iisdem umbra quaedam christianismi impressa, sub Hungarorum dominio paganorum, deterisa omnino est. Praelaudatus Constantinus omnem, quae ultra Sirmium est regionem, uno Moraviae, baptismo carentis, nomine complectitur loco citato. Regnante Stephano Akthum Bulgarorum Dux, Baptismum, ac ritus graecos Vidino intulisse legitur. In vita S. Gerardi.

IV. Status Religionis apud Hungaros ab anno 889—1000-um.

§. 58. Maiorum nostrorum, postquam Pannoniam ac Daciam obsederunt, notitia Dei, ac cultus nihilo melior factus eo, quem in Ugoria exhibuerunt: Arpadum quidem Belae regis Notarius cap. 39. Deo, rerum omnium Domino, supplicentem inducit: „Dux Arpad, inquit, cuius adiutor erat Dominus omnium, armis indutus, ordinata acie, fuis lachrimis, dominum orans, suos confortans milites, dicit etc.“; ast pluries repetit: „Hungaros Diis immortalibus victimas fecisse, ac conuiuia celebrasse: Cap. XIII. Ditmarus vero notat: „Hic Geyza, variis Deorum vanitatibus inserviens, cum ab Antistite suo argueretur, inquit: diuitiae mihi abundant, et ad haec agenda libera facultas et ampla potestas est.“ Ipsos ritu pure puteque pagano sacrificasse, certum: „In eodem loco, more paganismo, occiso equo pinguisimo, magnum Aldumas (sacrum epulum) fecerunt,“ ait idem Belae Notarius: cap. XVI; „Gauisi sunt gaudio magno; et more paganismo, fecerunt Aldumas. — Per totam unam hebdomadam solemniter comedebant, et fere singulis diebus inebriabantur propter euentum tantae laetitiae.“ Idem cap. XXII. — Ad puteos sacrificarunt; ad arbores, fontes ac lapides offerebant“ Decret. S. Ladislai nro. 21. — Daemoniis se dedicarunt; radentes capita sua; ac cincinnos ad partes tres demittentes“ Magis suis ac Pythonissis diuinandi protestatem inesse arbitrati. Aruspiciis, incantationibus dediti.“ Chron. Thurotz. P. II. cap. XXXIX. Strigas, veneficos, homines subuertere et occidere credebant.“ Dec. S. Steph. II. nro. 21. 42. — „Per canem ac lupum, aliasque nefandissimas res sacramenta et pacem egerant.“ Episcopi Bauariae ad Joann. XI. PP. querulantes anno 901. V. nro. XXV. Alienae religioni domi forisque immanes: „Ita ut in tota Pannonia nostra, maxima prouincia, tantum una non appareat ecclesia etc. Annales Fuldenses ad ann. 900. — „Episcopos lapidari, presbiteros exterminari, clericos strangulari, decimatores suspendi, ecclesias destrui, campanas confringi, postularunt a Bela I. Chron. Thur. Part. II. cap. 49. Item: „Et coeperunt comedere equinas pulpas, et omnino pessimas facere culpas: tam quippe clericos quam laicos, catholice fidei seruatores, interfecerunt, quam plurimas ecclesias destruxerunt.“ Ibid. cap. XXXIX. „Pannonia occupata — coeperunt cir-

cumpositas regiones bellis assiduis infestare, ecclesias destruere, christianos affligere.“ Thom. A. Diac. Spalat. Hist. Salon. cap. II. „Abari, qui dicuntur Ungari, in his temporibus ultra Danubium peragrantes, multa miserabilia perpetrare: nam homines et vetulas matronas penitus occidendo, iuenculas tantum, ut iumenta, pro libidine exercenda, secum trahentes, totam Pannoniam, usque ad internecionem deleuerunt.“ Annal. Fulden. P. V. ad annum 894. etc. — Gentem tantae superstitioni innutritam, hisque moribus barbaram, armis praeterea insolentem, quanti operis fuerit ad pacis, suique abnegationis religionem conuerti.

V. Grande Hungarorum ad fidem Christianam conuersionis opus eiusue media.

§. 59. Quam conuersionis Hungarorum opus exploremus, prius diuersas vias ac media, quae Deus, neminem volens perire, sed omnes ad agnitionem veritatis peruenire, fidei lumen dispensare comperitur, aduertamus animo: medium ordinarium eius praedicatio Euangelii est, uti dictum: „Euntes in mundum uniuersum praedicate Euangelium omni creaturae: qui crediderit ac baptizatus fuerit, saluus erit“ Marci 19, 15—16. Item: „Quomodo inuocabunt nomen Domini, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante?“ ait Doctor Gentium ad Rom. 10, 14. Media vero extraordinaria sunt profecto multiplicia: inter quae ipsa etiam bella, captiuitates, nuptiae etc. locum obtinent, ut dudum obseruauit Sozomenus: „Omnibus, inquit is, fere barbaris ad christianorum religionem transeundi occasio oborta est ex bellis, quae subinde cum exteris gessere. — Ea tempestate cum innumerabilis barbarorum multitudo ex variis gentibus collecta, ex Thracia in Asiam traiecisset, eamque omnem depopulata esset, et alii aliunde Barbari Romanos sibi finitimos pari modo aggressi essent, multi Christiani, etiam sacerdotes, a Barbaris capti, cum illis commorati sunt; qui cum vitam sanctissimam et ab omni reprehensione vacuam ducerent, ac virtutibus superarent inuidiam: admirati illos barbari, cum ob vitae integritatem, tum ob miracula ab eis patrata, prudenter se facturos putarunt, Deumque propitium habituros, si eos, quos meliores viderant, imitarentur ac diuinum Numen perinde colerent ac illi. Proinde quum eos sibi praecipere iussissent, quae agenda erant, instituti sunt ab illis, atque exinde ad ecclesiasticos conuentus admissi.“ Hist. Eccl. Lib. X. cap. 9. 10. Illustres huiusmodi captivos, qui quasi Apostoli religionem christianam ad gentem Gothorum intulerunt, laudat S. Basilius epist. 166. Alii alios. Hinc etiam Francorum in Gallia, Longobardorum in Italia, Slaui in Illyrico, prima conuersionis origo petenda: quod nimirum nationes illae christianis immixtae, iisque familiariter conuenientes, primum quidem morum barbariam deposuerint, dein placidiores effectae, ciuilem etiam cultum, didicerint, et ad veram Christi religionem per gradus pervenerint. — Occasione etiam nuptiarum principes, ac per hos indigenas subditos ad fidem Christi adductos, plurima docent exempla: ita

nouissime Micislaum Polonorum Dominum per Dombrawcam, christianam, Wladimirum, Russorum Monarcham, per Annam Graecam, desponsas etc. *)

§. 60. Jam ita a natura comparatum est, ut quo bardior una quaequae natio et a cultu et humanitate remota magis est, eo pertinacius ritibus inhaereat suis, atque eo minus a more, atque instituto maiorum, in rebus praesertim ad religionem pertinentibus, recedat, apposite obseruavit sane iam Dionysius Halicarnas. Antiquitatum Romanarum Lib. VII. p. m. 474. inquit: „Has enim (colendorum Deorum ac Geniorum caerimonias) iam diutissime seruant cum Graecae, tum Barbarae nationes, nec quidquam in eis censent immutandum, irae Diuinae metu: potissimum vero hoc Barbari persuasum habent, multas quidem ob causas, quas enumerare tempus non sinit, nec longa temporum serie adduci potuerunt, hactenus, ut cultum Deorum, quorum sacra more patrio celebrant, dediscere, aut aliqua ex parte immutare voluerint, vel Aegyptii, vel Afri, vel Celtae, vel Scythae, vel Indi, aliaque ulla gens barbara, nisi quae in aliorum potestatem redacta, ritus victoris recipere coacta fuit.“ Maiores quoque nostros, diuina potentia, qua uniuersa ducuntur, atque gubernantur, in Europam euocatos, non ordinariis duntaxat, sed et extraordinariis viis ac mediis fuisse sensim a superstitione sua pagana ad religionem Christi traductos, comperimus.

§. 61. Genti bellicosae bella, caedes inferenti, clades fuerant media ad veri Dei agnitionem ac cultum perueniendi. Tales fuerant 1). Hungerorum infauista in Germaniam excursio anno 920-to, quam ex Hermanno Contracto discimus: „Ungarii vastata Alamania, Franciam, Alsatiam atque Galliam, igne ac gladio aeuientes, percurrunt. Burchardus Dux occiditur.“ Exitum eius vero eius-

*) Quamvis Hungari, euerso Morauorum regno, Pannonia omni subacta, subitaneis incursionibus, actis praedociniis terrore nominis sui omnem perculerint Europam, nihilque minus quam sacra affectauerint christiana: non deerant tamen a principio viri, Evangelicae veritatis studiosi, qui ad obeundam inter ethnicos hos praedicationis prouinciam animum ceperint. Praecipua hoc in merito laus, Gerardo, Passauensium Praesuli debetur. Hic praecessorem suum Urolfum, Auarum et Slauium, Apostolum imitaturus, munus hoc amplexus est. Quod ut rite obiret, ne ab Archiepiscopo Salisburgensi obicem pateretur, iurium suorum in Pannoniam omnem confirmationem, et pallium Archiepiscopale censuit a sede Apostolica praeuie obtinendum. Utrumque obtinuit a Leone PP. IV. ast nihil non egit Archi Praesul Salisburgensis apud Stephanum VIII. Papam, ut Gerardum hoc culmine deiceret; incassum quidem, nec tamen Herolphus Salisburgensis repulsam sustinere voluit. Ad Agapitum II. Papam denuo causam appellauit; qui querela illius examinata, Gerardo Passauensi Praesuli iurisdictionem in Pannoniam et Morauiam Archiepiscopalem, submissa pallio, confirmauit potestatem Hungaris euangelium annunciandi, sedesque episcopales constituendi detulit, silentio Salisburgensi imposito; Vide literas documento nro. XVII. Ast Gerardum rescriptum hoc superstitem haud reperit anno 946-o defunctum. Quo minus successor illius Adalbertus conuertendis Hungaris operam dare potuerit, Toxi, qui Zoltano successerat, immanitas obstitit: is dum vixit, nullum praesonem Euangelicum Pannonias adire passus est. Homo ferox, et instar belluae, a quo nomen (Orsi) habebat. ait Aloldus l. c. Wolfgangus etiam limites regni, naui accedere ausus; vita periclitatus fuit.

dem ex Vitichindo, teste locupletissimo, comperimus (lib. I.) „Quantam stragem fecerint illis diebus, aut quanta monasteria succenderint, melius iudicamus silere, quam calamitates nostras verbis quoque iterare; Rex autem (Henricus Auceps) erat in praesidio urbis, quae dicitur Wezlarā (in Vestfalia). Nam rudi adhuc militi, ac blelo publico insueto, contra tam saeuam gentem, non credebat. Contigit autem quemdam ex Principibus Hungarorum (Zoltanum) capi, vinctumque ad regem duci. Ungari vero ipsum in tantum dilexerunt, ut pro redemptione illius, innumera auri et argenti pondera offerent. Rex autem easpernens expostulat pacem; tandemque obtinuit, ut reddito captiuo, cum aliis muneribus, ad nouem annos pax confirmaretur.“ Cf. etiam Sigebertum ad annum 824. Coradam Urspergensē ad annum 825-tum.

2). Funesta Hungarorum ad Merseburgum pugna anno 839-o: Nostrates induciis nouennalibus lapsis, legatos ad Henricum mittunt, consueta munera tributi loco postulatuos; ast is, quum eo temporis intervallo, urbibus muris cinctis, militibus bello Slauico ac Danico exercitatis, tantum virium sibi accepisse, censeret, ut frontem Hungaris obuertere iam auderet, legatis eorum non sine ignominia, reiectis, ferrum, non amplius expectare, iussit. Repulsa hac irritati Hungari bellum continuo decernunt, raptisque confestim armis, Dalamincios in societatem belli exciscunt; rati hos, quibus alias opem contra Henricum tulissent, promptos se inuenturos; sed ab his quoque, quod graues illos hospites sint experti, cum contumelia, canē decrepito oblato, repulsam patiuntur. Henricum autem cum iusto exercitu non paratum duntaxat, sed et obuium nacti. Luitpandus, lib. II. cap. VIII. adiuncta pugnae persequitur; ac denique concludit: „Hungari abiectis arcubus, demissis spiculis, phaleris etiam, quo expeditius equi current, proiectis, fugae solum operam dabant. Verum omnipotens Deus, qui eis pugnandi audaciam abstulerat, fugiendi etiam copiam abnegabat. Caesis igitur, fugatisque Hungaris, immensa captiuorum turba dissoluitur, atque in laetitiae cantum vox gemitus commutatur.“ Vitichindus Annal. lib. I. breuius: „Post haec, inquit, legati Vngarorum adierant regem, pro solitis muneribus; sed ab eo sprete, in terram suam vacui sunt reuersi. Haec audientes Auares, nihil morati, cum graui, hostilique manu festinant, intrare Saxoniam, et iter agentes per Dalamantiam, ab antiquis opem petunt amicis. Illi vero scientes, eos festinare ad Saxoniam, Saxonesque ad pugnandum cum eis esse paratos, pinguissimum pro munere eis proiciunt canem. Et quum non esset iniuriam vindicandi locus, ad aliam pugnam festinantibus, cum ridicula satis vociferatione longius prosequuntur amicos. Igitur, quum poterant, repentino impetu intrant fines Thuringorum, illam totam terram hostiliter peruagantes; ibique diuisis sociis, alii ad occidentem pergebant, ab occidente ac meridie Saxoniam quaerentes intrare. Sed Saxones pariter cum Thuringis congregati, inito cum eis certamine, caesis ducibus, caeteros illius exercitus occidentalis per totam illam regionem errare fecerunt; quorum alii fame consumpti, alii frigore dissoluti, alii autem caesi sunt aut capti, ut digni erant, miserabiliter perierunt. Qui autem in Oriente remansit exercitus, audiuit

de sorore regis, quae nupserat Vidoni Thuringo — quia vicinam urbem inhabitaret, et multa pecunia ei esset auri et argenti: unde tanta vi urbem expugnare coeperant, ut nisi nox visum pugnantibus impediret, urbem caperent. Ea vero nocte audientes de casu sociorum, regisque super eos aduentum, cum valido exercitu (nam castra metatus est Rex iuxta locum, qui dicitur Riaede) timore percussi, relictis castris, more suo, igne fumoque ingenti, agmina diuisa collegerunt. Rex vero postera die producens exercitum, veritus est, quemadmodum euenit, ut hostes, viso milite armato, fugae statim indulssissent; misit legionem Thuringorum cum raro milite armato, ut inermes prosequerentur, et usque ad exercitum pertraherentur. Actumque est ita: sed nihilominus videntes exercitum armatum, fugerunt, ut, peracto milliario, vix pauci caederentur; vel caperentur. Castra vero inuasa, et omnis captiuitas liberata est. Rex vero victor reuersus, modis omnibus gratiarum actiones diuino honori, ut dignum erat, soluebat. — Tributumque, quod hostibus dare consuevit, diuino cultui mancipauit, et largitionibus pauperum deseruire constituit.“ — Chronicon Mindense numerum exercitus Henrici, ac Hungarorum ita notat ad an. 834. „Henricus Imperator tantum quatuor millibus improuisus hostes aggreditur, et ad confusionem maximam exterminauit. Qui vero de illis gladium euaserant, misere nudati recedunt; qui fuga fuerunt elapsi, turpius in paludibus submerguntur; qui vero ad fugam expeditiores erant, venientes ad socios in obsidione Thuringorum, tantum fecerant horrorem, ut similiter cum fugientibus fugerent.“ Flodoardus etiam numerum caesorum prodidio: „Contra quos profectus Henricus cum Baioariis, et Saxonibus, ceterisque quibusdam sibi subiectis omnibus, omnes usque ad internecionem sternit, quorum XXXI. millia caesa referuntur; praeter eos, quos absorbuit fluuius; et qui viui capti sunt, ad an. 833. Concinit Aloldus ad annum eundem. „Gloriosus Hainricus, qui Lotharingiam imperio recuperauit, barbaricos Hunnos, innumerabili multitudine in Germaniam irruentes, apud Merseburg cruenta strage deleuit.“

3) Internecina ad Augustam Vindelicorum clades: Non alius genti nostrae funestior annus fuerat, quam 855-tus, sub Duce Toxo internecina ad urbem Augustanam caede notatus. Hungarorum, Germaniam incurrentium numerum diuersi diuerso numero signarunt: Hepidanus ad an. 855. meminit: „Otto Rex, cum Agarenis (Hungaris) pugnabat in festiuitate S. Laurentii, eosque Deo adiuuante, deuicit; et erat numerus eorum centum millia.“ Regino autem ad eundem annum, „Hungari cum tam ingenti multitudine exierunt, ut non nisi terra eos dehisceret, vel coelum eos obrueret; ab aliquo vinci se posse dicerent.“ Cupierant bello civili, quod inter Ottonem, ac fratrem huius Henricum, Bauariae Ducem, obortum fuerat, in rem suam uti, sed ab hoc destituti; quemadmodum Vitichindus Annal. Lib. III. prodidit: „Otto, inquit, Germaniae Rex, ingressus Saxoniam, circa calendas Julii, obuios habet legatos Ungarorum, tamquam ob antiquam fidem et gratiam eum visitantes: re autem vera. ut quibusdam videbatur, euentum belli ciuilibus considerantes. Quos, quum secum aliquot diebus

retinisset, et aliquibus munusculis donatos remisisset in pace: audiuit a nunciis fratris (Henrici) ducis scilicet Baioariorum, quia ecce Hungari diffusi inuadunt terminos tuos, statuuntque tecum inire certamen.“ Noricum omne a Danubio flumine usque ad siluam nigram deuastantes, Alemanniam concremantes, Augustam ciuitatem, quae tunc immis, sine turribus, circumdata muris, firma ex se ipsa non fuit, obsederant, ut Gerardus in vita S. Udalrici perhibet cap. XVI. Quam S. Udalricus qua pietate sua, qua militum praesidiariorum, viriliter pugnantium virtute contra Hungaros conseruabat, ab Othone vero, cum exercitu adueniente, obsidione feliciter liberata fuit. Ad Licum annum pugna decretoria certatum; Conrado etiam Duce, qui ante Hungaros per totam Germaniam hostiliter circumduxerat, pro eodem Ottone fortiter praeliante. Adiuncta pugnae Vitichindus prolixè transcripsit Annalium libro III. Concludit denique: „Totum pondus praelii ex aduerso iam adesse, conspiciens Rex, — arrepto gladio, et clypeo, ac sacra lancea, ipse primus equum in hostes vertit, fortissimi militis et optimi Imperatoris officium gerens, hostium audaciores primum resistere, deinde, ut socios viderunt, terga vertere; obstupe facti, nostrisque intermixti, extinguuntur. Caeterorumue alii, equis fatigatis, villas proximas intrant, circumfusisque armatis, cum moeniis pariter concremantur; alii flumen contiguum transnantes, dum ripa ulterior ascendentes non sustinet, obuoluntur ac pereunt. Eo die (X-a Augusti) castra inuasa, captiuique omnes erepti; secundo die ac tertio a vicinis urbibus reliqua multitudo in tantum consumpta est, ut nullus aut rarus euaderet.“ — Hermannus Contractus omne hoc bellum paucis ita describit (ad an. 855.) „Ungarii cum tantis, ut nunquam ante, copiis percursa Baioaria, Licum fluvium transeunt; Basilicam S. Aerae Augustae incendunt; S. Episcopum Udalricum episcopum, multa instantia diuinum implorantem auxilium, Augustae cum suis obsessum, armis circumstrepunt; sed, superveniente cum exercitu Ottone Rege, IV. Idus Augusti, pugna valida nimis committitur, multum humani sanguinis funditur; caedes Ungarorum immensa sequitur; alueus fluminis fugientium cadaueribus oppletur; et paucissimis fuga elapsis, innumerabilis eorum exercitus ad interuentionem deletur; ipsi, qui tunc efugere poterant, per totam postea partem Baioariam capti trucidatique sunt; inter quos Reges eorum comprehensi, Ratisbonae patibulis suspensi sunt. In ipsa pugna ex nostra parte, inter alios multos, Conradus, dux bellicosus et pius, gener regius, et sancti frater episcopi, Theobaldus, sororis eius filius; Reginaldus comes, auiae meae patruus, occubere.“ Hungaros captos ac Ratisbonae suspensos, Vitichindus l. c. rectius Duces appellat, dicens: „Tres Duces gentis Ungariae capti, Ducique Henrico praesentati, mala morte, ut digni erant, multati sunt; suspendio perierunt,“ ad an. 855. Hepidanus ad annum Eundem unum ex his regulis ita signat, ut aduertit possit: „Multi illorum, ait, comprehensi sunt, cum rege eorum, nomine Pulszi (Bulsu, et Bulchu) et suspensi sunt in patibulo.“ Declarat nonnullis cum erroribus Chronicon Thurotzii: „Regnante vero per Alimanniam Conrado primo (Othone primo) Hungari egressi, quibusdam partibus Teutoniam deuastatis, cum ad ur-

bem Augustam peruenissent, Ulrico (Udalrico) episcopo cum ciuibus et Sueviae primatibus resistentibus, tandem cum Hungari eandem obsiderent ciuitatem, obstinati, nolentes de urbe recedere, missis nunciis ad Conradum memoratum, ut celeriter urbanis succurreret, idem non omisit venire. Hungaris igitur se in caute circa obsidionem ciuitatis gerentibus Alemannius et Italicus (Bohemicus) exercitus illos inuasit ex abrupto; ut si fugere voluissent, non potuissent: ex una parte fluuio, qui illis diebus per canales mirabiliter inundauerat, impedimentum faciente, ab altera vero exercitibus praedictis circumvallantibus, sicut muris, illosque constringentibus. Sic itaque arctati ab hostibus quidam captiuat, ex eis aliqui crudeliter sunt necati. In quo loco Leel et Bulchu illustres capitanei captiuati sunt. — Detentique sunt sine mora, et Ratisbonae patibulo suffocati.“ Part. II. cap. XXV. Cf. etiam Belae Notarium cap. XXXIX. qui rectius illos in fuga comprehensos innuit: „Tandem Bauarorum et Alemannorum nefandis fraudibus Lelu et Bulsuu capti sunt, et iuxta fluuium Hin (Aenum) in patibulo suspensi, occiduntur.“ Tertii suspensi mentionem ingessit praelaudatus S. Udalrici biographus: „Tempore, inquit, magni Othonis, qui ad Licum fluuium, sub S. Udalrico, pontifice glorioso, Hungaros prostrauit, et reges eorum Lelium et Assur (Sur) Ratisbonae, principibus hoc fieri adiudicantibus, in patibulis suspendit. E fugatis septem feruntur, continuas inter persecutiones, domum pertigisse.“ In Chronico Garstensi, ad an. 855. „Ungarii totam Bauariam depopulantes, iuxta urbem Augustam, Deo iuvante, ab Othone rege pugna victi, immensa caede necantur IV. Idus Augusti usque ad septem viros.“ Chronicon Boioaricum idem his verbis affirmat: „Barbari vero — usque ad internecionem, septem tantum residuis, omnes deleti sunt.“ Idem refert, licet non suo loco et ordine chronicon Thurotzii: Chron. P. II. cap. IX. „Hungarorum exercitum Dux Saxoniae, apud Thuringiae ciuitatem, dentis VII. Hungaris, interfecit. Septem autem ex ipsis reseruatis, amputatis auribus misit in Pannoniam: ite inquit ad vestros Hungaros taliter enarrantes, ut amplius non veniant in hunc locum tormentorum — Hungaris autem VII. sine auribus, pro eo, quod viui redierunt, et se occidi cum sociis non elegerunt; communitas poenalem sententiam dedisse perhibetur: nam omnia quae habebant amiserunt, tam in re stabili, quam mobili, et ab uxoribus et pueris illos separantes, pedites sine calceis, proprium nihil habere permiserunt; semper etiam insimul de tabernaculo in tabernaculum mendicando, usque dum uiuerent, ire compulerunt. Qui quidem septem ob offensam huiusmodi Magyarkák, et Gyoz (Gyász) siue Lazari sunt vocati.“

4-a. Hungarorum ingens clades anno 958: Hungari ab Augustano praelio tres annos quieti fortunam ad occidentem aduersam experti, ad orientem duxerant tentandam; ast parte quoque hac destituti: „Turcis vero, scribit Simeon Logotheta edit. Ven. p. 371. par. 486. ad ipsam usque urbem per Paschae solemnias, excurrentibus, Thraciamque omniae populantibus, ac quum multam egissent praedam, misit statim Imperator (Constantinus Porphyrogenitus) Pothum Argyrum, patricium, et excubitorum domesticum, cum subiecta illi legione, Bucellariorum-

que, et Opsicii et Thracesii Duces, qui e vestigio eos insequerentur; noctuque irruentes eorum stragem fecerunt, et contrucidarunt; praedamque at quotquot captiuos habebant, receperunt." Continuator Theophanis idem refert edit. Venet. p. 216. par. 288. „Turcis porro, expeditione aduersus Romanos suscepta, et ad ipsam usque urbem, per diem festum Paschae excurrentibus, Thracesque, quotquot in eos incurrebant, captiuos ducentibus, multamque praedam abigentibus; mox Imperator Pothum Argyrum, patricium et excubitorum domesticum, cum sua legione, ducisque Bucellariorum et Opsicii ac Thracesiorum, misit; qui traicientes e vestigio eos insequerentur, quamobrem, Deo acceptis Porphyrogeniti precibus, communiti, facta noctu in hostem impressione, eorum late stragem dederunt. Expugnatis illorum castris: praeda recepta, atque captiuu. Turci vero ingenti ea clade, ac fuga confusi, ad sua reuersi sunt." Clades haec iterata in eadem Thracia anno 962: teste eodem continuatore, p. 225. Par. 300. Tum in Bulgaria, bello, quod pro Russis, Pacinacitatis sociati, anno 970-o et 971-o inauspicatissime gesserant teste Cedreno edit. Ven. p. 522—524. *)

*) Godefridus Schwartz (Initia Religionis christianae inter Hungaros, Ecclesiae Orientali asserta, eademque a dubiis et fabulosis narrationibus repurgata. Anno 1790. in 4-to) redarguit dicens (p. 16.) „Plerique Hungarorum clades, Ottonianam praesertim, in praesidium adsciscunt, hisque Hungaros impulsos statuunt, ut consilia agitent auariora; quae vicini ipsorum Carni, Norisi, Bauari et tota captiuorum apud Hungaros multitudo, pijs suggestionibus auerint, donec in integrum resipiscerent. Verum clades illae, quamuis graues admodum genti Hungariae acciderint, per eas tamen domum quiescere, vires colligere, exercitusque instaurare, potuerunt. Veteris hinc calamitatis memoria, quae, quoties occursabat, acerbum quoque vulnus, infame videlicet Ducum suorum supplicium, quos bello captos, victores laqueo enecarunt, refricabat, non magis eos christianis conciliare, quam vindictae flammis accendere debebat. Captiuorum autem, quis nescit sortem esse abiectissimam, tenuesque consultores a Dominis adunco plerumque naso suspendi? Aliud itaque accesserit oportet, inde factum sit, ut Hungari christianos, siue illi vicini, siue captiuu apud se fuerint; amore potius complerentur, quam ulcisci vellent, eorumque consilia faciles admitterent, non repudiarent, exacerbatu." — Ad hanc Schwartzianam perorationem regerimus: Ad Hungarorum mentes, et animos ad christianorum sacra mores et instituta consideranda disponere omnino potuerant clades, quas ab illis sunt perpessi: erant enim illae internecinae; „Anno 912. (narrat Heptadius coetus in suo Chronico: Agareni (Hungari) Alemanniam intrauerunt; Erchanger, et Pertholt, frater eius, et Godalricus Comes, auxiliante illis nepote eorum Arnolfo, optimo Duce Boioariorum, totum exercitum eorum iuxta Ine (Aenum) fluium penitus occiderunt, usque XXX. Viros." Tales clades Hungari aliis gentibus intulerunt nunquam; erant item iteratae intra dimidium saeculum septem: tot cladibus breui temporis spatio, mulctata nulla gens fuerat. Multitudo etiam captiuorum, ac christianorum, Hungaris subditorum maior, insigniorque erat, quam usquam alibi: attentionem itaque omnino merita. His nihilominus ad Hungaros christianos conciliandos accedere oportuit quidpiam aliud quoque, accessitque: quod Doctissimus Criticus, qui Saroltam Gyulae filiae baptismum, christianam pietate educatam, Geysam pro christiana omnibus mulieribus lincolniensis reginae, quod non vidit, exaggerat; Legationem vero pacis, religionisque christianae gratia ab Ottone M. factam, non vidit, vel videre noluit. Hanc oportuit ad Geysam et Hungaros christianos conciliandos accedere, accessitque.

§. 62. Haec horum usque extrema Toxi Ducis tempora iniquitas, prima ad Hungaros conuertendos dispositio fuit: ipsorum quippe animos ad Deum christianorum suo cum numine comparandum aduertit: aduersitates profecto suas repetierant, a Dei christianorum ad victorias influxu: Vidisse nempe se, sub conflictum, eundem christianorum circumuolasse exercitum. (aquilae signa militaria fuerint), ideoque suo etiam symbolo alas affinxisse feruntur; ast in cassum: cum alae artificiales naturalibus aequiualeere haud potuerint. Alii lanceae christianorum (S. Mauriti) qua ipsi caruissent, victoriam ad annum Lycum adtribuebant.*) Alii narrabant: se S. Aflrae monasterium, ob praesidium Dei christianorum, succendere haud potuisse; alii item: monasterii a se accensi tegulas ad facies suas vibratas, alii se monachum orantem, iteratim percussum, caedere haud potuisse: haecque singula christianorum Deo, ceu omnipotenti, in acceptis referenda censebant: Confer: Miracula S. Ursmani, quae habentur apud Bollandum ad XVIII. Aprilis, Vitam item S. Udalrici a Gerardo coeue perscriptam.**)

*) Causa hac Hungari baptizati omnium primum lanceae S. Mauriti compotes fieri concupiverunt, facti quoque per Ottonem III. V. ut infra §. 74.

**) Ea tempestate, qua Hungariorum gens detestanda ignecremis vaporibus cuncta denastauit, sanctae Idae oratorium quoque nefanda legio adiit: cruces, capsulas, et omnem ornatum ecclesiasticum depraesati sunt. Deinde in altiora scandentes, foveos nonnullos in laquearibus construxerunt; sed virtute Dei carbo sopitus, nulla flammarum incrementa haurire valuit, excepto quod raras quasque tabulas insidendo peredit, per quas sine mora semiusta ligna in inferiora proiecit. Hoc opere casti, peruicaci conatu nolarius aggressi sunt, campanas saltem deposituri; sed ad has in vanum occurrerunt, quia eas nullis argumentis euadere potuerunt. Hi namque ut legitur:

Ignorant iusto, sed semper viuere rapto,
Omnia sub fraude deducunt tempora vitae.

Tandem victae pertinaciae, et virium elumbes effecti, aliquid ibi esse diuinae huminis suspicati sunt; ac mox solius fugae cupidi, pedibus talaria nectunt. Quae autem vi diriperant, post illorum ventilationem, in castris reperta sunt et suo loco incolis omnia ressituta. Ex vita S. Idae. Percz. Monum. Germ. Hist. tomo II. p. 573. — Item: „Ubi eo ventum est, ut desperaretur omnino; tantum audiebatur Kyrie Eleison, et S. Ursmae! adiua, more gentis usitato. Jam irruptionem Hungarorum timentibus, iam in mutuis osculis haerentibus, iam plerisque deditioem pangentibus; ecce! ex respectu miserationis Dei, duae ex adytis templi euolant columbae: subsecuta est illico pluuia praegrans; quae gentilitiam illis sagittandi artem cordarum distentione frustrauit. Pauorquoque ac timor talis in eos irrui, ut maturarent fugam. — Ecclesiam S. Pauli, et ambitum claustrum ignis consumserat, dormitorio illaeso, et monasterio tentato, sed miseratione Dei tutato. — In commemorationem autem tam mirificae liberationis diem illam festiuam sanxere, sibi et posteris IV-o nonas Aprilis anno 954. quo meruerunt Laubienses Ursmani et Ermini meritis ab Hungarorum obsidione eripi.“ E Martyrologio ad 18. Aprilis. p. 566. Simile quid tradit Frodoardus, Scriptor coaeuus, primae auctoritatis (apud Inchoffer ad an. 937.) „Coeli, inquit pars ardere videbatur, et Hungarorum persecutio ab eadem parte, per Franciam insequeuta. Qua villae et agri depopulati, domus Basilicae, quae conflagratae, captiuorum ducta multitudo: Nonnullas tamen Ecclesias (ad Rhemos) ignibus applicitis, non valuerunt succendere. — In B. Basoli Ecclesia, cum quidam Hungarorum ascendere super

§. 63. Altera conuertendorum Hungarorum dispositio Othoni Magno debetur: fuit is religionis christianae propagandæ studiosissimus: ad pacandos etiam Bohemos submissis euangelii praeconibus, et episcopatu Pragensi constituto vsus fuerat; rediit ex Italia, comperto Geysae, qui Toxo truculento successerat, animo miti ac placido, eundem, submisso Brunone Werdensi episcopo, ad pacem, admittendosque fidei christianae praedicatores exciscit, literis ad Piligrinum, Passauensium episcopum hanc in sententiam datis: „Otto, Dei gratia, Imperator Augustus. Piligrino, venerabili Pataviensis Ecclesiae episcopo, salutem et gratiam. Brunonem episcopum vestrae mittimus et committimus dilectioni, ut, quibuscunque apud vos indiguerit utensilibus, abundantissime adiuuetur; et tam vestris hominibus, quam et caballis, aliisque in itinere rebus necessariis, quanto propius possit, Ungarorum confinio honorifice ac cautissime deducatur. Nobis enim illuc erit delegandus, quo rex eorundem nostro quam propere arbitrio sit colligandus. Vobis ergo magnopere sit studium hanc cautissime fieri legationem. Nam si, ut apud nos sedet, prosperabitur, vobis in hoc, vestrisque, consuletur. Valet.“ Anno 972. V. Codicem Dipl. Successum huius interuentionis desideratum, reciproca legatione Geysa Dux manifestauit.

§. 94. Collatum ad eandem fuerat etiam per indigenas Hungariae christianos, atque illos, qui alienis e ditionibus capti adducti sunt: horum multitudo erat omnino numerosa, origine Hungaris paganus certe maior: hi sacerdotes sibi dari, proles suas baptizari, instantissime desiderabant; ministerii spiritualis obtinendi gratia supplices facti: Geysae Duci igitur nequaquam erant negligendi; fide ac fidelitate ipsorum inculcata spectata, de quo Hartuicus in vita S. Stephani edit. Pray. cap. I. p. 117—118. ita loquitur: Ea siquidem tempestate, qua gens praefata (Hungarorum) Dei ecclesiam depopulabatur, erat in ea Princeps quidam quartus ab illo, qui ingressione Hungarorum in Pannoniam dux primitus fuit, nomine Gayza; seuerus quidem et crudelis, veluti potentialiter agens in suos, misericors autem et liberalis in alios, et praecipue christianos; ritu paganissimo licet adhuc quidem obuolutus: tamen propinquante spiritualis fulgore charitatis, cum omnibus circum quaque positarum prouinciarum vicinis, de pace coepit attente tractare, ut iam in illo posset agnosci, cuius filius desideraret

altare nitens, arae manum applicuisset, ipsa manus eius altaris inhaesit lapidibus, nec omnino quivit anelli, donec caeteris Hungaris Arae Saxum, circa ipsam manum incoidentibus, partem lapidis, qui manui eius inhaeserat, ad admirationem omnium proferre coactus esset Ethnicus.“ Insuper quiddam poene incredibile subnectit: fuisse videlicet ea calamitate caeteros inter Monachum Orbacensem, Huebaldum nomine, in in captiuitatem redaotum, quem dehortantem Hungaros trucidare voluissent, nec tamen vulnerare valuissent. Quin aliquando vestibus nudatum, dum sagittis undique petiissent, illae ceu ab adamante resiliuerint, nullo ictus vestigio in corpore relicto. Denique dum nudum vibrato gladio in frustra concidere perexissent, ne quidem cutem vel vibicem inciderint.“ Hae narrationes, seu suspiciones, animos Hungarorum afficere omnino potuerant.

feri, secundum dictum Saluatoris nostri, dicentis in Euangelio: Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Statuit igitur praeceptum, cunctis christianis, ducatum suum intrare volentibus, hospitalitatis ac securitatis gratiam exhiberi, Clericis et Monachis potestatem concessit, suam etiam praesentiam adeundi. Idem e Piligrini quoque literis, quibus se ab Hungaris inuitatum, multisque precibus oratum, ut si minus ipse venire posset, alios illuc in opus euangelii dirigeret, robur accipit. Cf. infra.

§. 65. Hungaris conuertendis primus praedicato, cum fructu, Dei verbo, operam impendit, Piligrinus, Passauensis Episcopus: hic scilicet postquam Ottonne I. mortuo, filius eius Otto II. imperium capessuisset, anno 973-0 ab exequiis Udalrico Praesuli Augustano, mense Julio mortuo, persolutis, reuersus, Hungarorum inuitatione percepta, ad doctrinae christianae sementem tota late Hungaria spargendam, strenuos ex monachis ac canonicis operas misit. Tantam mox in agro nouo messem collectam fuisse testatur literis ad Benedictum VI. destinatis, significans, ut anno necdum transacto, quinque millia capitum sacri fontis aspersione coetui christiano, e Nobilioribus Hungaris, fuerint aggregati. Tam faustis ideo christianae religionis in Hungaria initiis laetus Piligrinus hanc per duos suos Presbiteros ad Papam destinauit epistolam: „Ordinis ac nominis charismate praerogato sanctae Romanae Sedis uniuersalis Pontifici, Benedicto, Piligrinus sanctae Lauriacensis ecclesiae humilis seruitor, fidelitatem precum, deuotumque seruitium Notum fieri dignetur Vobis, summe sacerdotum praesul, quod supra omne animi mei desiderium, nunc delectarer et Apostolorum visitare limina vestraque obtabili perfrui praesentia, et ea facie ad faciem, quae literis et internunciorum committo iudiciis, sanctissimae Paternitati Vestrae coram ratiocinari; nisi quod a nephya Ungrorum gente huc ire prohibeor; apud quam, foedere pacto, sub occasine pacis, fiduciam sumsimus operam exercere praedicationis. Huius enim terror gentis ex longo tempore, etiam aliarum prouinciarum praedicatoribus, meae dioecesis, hactenus aditum clausit; ad quas nihilominus praesentis opprtunitas temporis, ire me vocauit. Quibus Deus omnipotens, qui solita sua pietate semper dispersa congregat, aperire dignatus est ianuam cordis sui, diu clausam, ut, discisso velamine duritiae suae depositaque ferina crudelitate, leui iugo Domini colla submittant. A qua ergo praefata Ungrorum gente, multis precibus ipse inuitabar venire, aut missos meos in opus euangelii illuc dirigere. Ad hos dum trasmitterem satis idoneos viros, ex monachis, canonicisque presbiteros, atque de singulis ecclesiasticis gradibus clericos, et vita et omni conuersione illorum sic ordinata, quemadmodum in gestis Anglorum didici; tantum diuina gratia suis institutionibus fructum statim ministravit, ut ex eisdem nobilioribus Ungaris, utriusque sexus, catholica fide imbutos, atque sacro lauacro ablutos, circiter quinque millia lucrarentur. Christiani autem, quorum maior pars populi est, qui ex omni parte mundi illuc tracti sunt, captiui, quibus nunquam soboles suas licuit, nisi furtiue Domino consecrare, modo certatim, nullo

obstante timore, offerunt eos baptizare, et gratulantur omnes, tamquam de peregrinatione sua in patriam reducti, quod christiano more oratoria audent construere, et, licentia percepta, linguam ligatam in laudem Saluatoris praesumunt soluere. Ipsi etiam barbari, mira omnipotentis Dei operante clementia, quorum licet adhuc gentilitate sint quidam detenti, nullum tamen ex illorum subditis vetant baptizari, nec sacerdotibus inuident, quocumque lubet proficisci; sed ita concordēs sunt pagani cum christianis, tantamque ad inuicem habent familiaritatem, ut illic Isaias videatur impleri propheta: lupus et agnus pascentur simul; leo et bos comedent paleas. Factum est ergo, ut poene cuncta Ungrorum natio sit prona ad percipiendum fidem sanctam. Sed et aliae Sclauorum prouinciae ad credendum promptae; et est ibi messis quidem multa, operarii autem pauci. Unde quoque visum est, iam necessarium esse, quatenus sanctitas vestra illic aliquos iubeat ordinari episcopos: quia et quondam Romanorum, Gepidarumque tempore, proprios septem Antistites eadem orientalis Pannonia habuit et Moesia, meae sanctae Lauriacensi, cui ego indignus ministro, ecclesiae subiectos; quorum etiam quatuor, usque dum Ungri regnum Bauarorum inuaserunt, sicut praesenti cognitum est aetati, in Morauia manserunt; quod nimirum graue, ac valde onerosum est mihi, vt tot pontificii parochias solus praedicando circum eam, quibus necessitate, et adiutorii inopia cogor nunquam meam subtrahere praesentiam.“ Tum excusationem iterat; pallium archiepiscopale expetit, Symbolum fidei praedicatae promit; Concludit denique: „Qualiter ergo ex praelibata fide idiotas erudire debeam, et ipse in suscepta nouitiorum ecclesia conuersari; rescripto paternitatis vestrae cautius flagito, ut merear edoceri.“ Cod. Dipl. p. 260. Sqq. Responsoriae Pontificiae desiderantur; sed Benedictus VII. Papa Galliae, ac Germaniae Episcopis conuersionem Hungarorum significauit, his verbis usus: „Votis exsultantibus in laudem omnipotentis Dei erumpimus, non solum sancta Lauriacensis ecclesia, hostium cessante terrore, cum accolis suis, pace ac tranquillitate potitur; verum etiam ipsi dudum inimici, illum, quem persecuti sunt, more gentili, iam iam Christum baptizati profitentur, et sacerdotes modo habere desiderant, ac prout rudes scire poterunt, venerantur; ecclesias quasdam in sua terra, quas patres incendio dederunt, posteri restaurare videntur.“ V. Cod. Dipl. ad an. 975. p. 266. Sqq. *)

*) Cum Schwartzius Saroltam, Geysae coniugem, Gyulae filiam, electum illud vas fuisse, quo diuina bonitas, ante Legati Ottonis M. aduentum, anno 972. usa sit. ad Geysam coelesti veritate imbuendum, supponit, quod non probauit, neque ullus edocere possit: scilicet Saroltam anno 972-o Geysae nuptam iam fuisse: Nam Geysam anno 972. regimen adisse, Brunonisq̄te legationem suscepisse, certum: ast. ante haec iam Saroltam sibi copulasse, incertum: quin imo si Thurotzii verba audimus, et Stephanum anno 979. natum respicimus, Ducatu iam assumpto, proin post legationem nuptam, ad religioni Christianae fauendum, inflexisse Geysae animum, ne prudens quidem coniectura censenda. Ex aduerso legatum Oltonis, et praecones euangelii foedere pacis anno 973. Kalendis Aprilis pacto aduenisse: „Foedere pacto, ut ait Piligrinus, sub occasione pacis, fiduciam sumsisse se operam exercere praedicationis“ certissimum.

§. 66. Euangelium a praeconibus Patauinis praedicatum, a Geysa Duce auditum, quin et exauditum fuisse, verba Hartuici innuunt dicentis: „Clericis ac monachis potestatem concessit suam praesentiam adeundi; quibus voluntarium aditum praebens, orthodoxae fidei semen, pectoris in horto satum, delectabatur germen emittere.“ l. c. Ipsum baptismum sacrum nequam tamen suscepisse, tum Piligrini tum etiam Pontificiae literae sat clare produnt: ambae tam illustris lucrum immemores haud futurae, si laticae sacro tinctus fuisset. Quod etiam conuersatio illius inter gentilismum ac christianismum fluctuans affatim docet: quam utpote eius episcopus Piligrinus redarguit: „Hic Geysa variis Deorum vanitatibus inseruiens, cum ab Antistite suo ob hoc redargueretur, reposuit: diuitiae mihi abundant, et ad haec agenda libera facultas est, et ampla potestas“ ut notauit Ditmarus l. c. Quod moratus taliter fuerit baptismum suscipere, cautela parte una fuerit Hungarorum, qui quinque duntaxat millia traduntur sacra amplexi christiana, pluribus autem superstitioni pertinaciter adhaerentibus, qui irritandi, absque periculo, non videbantur; partim causa ea, quam reddidit Stillingus in vita Sancti Stephani: „Nam, quum oborto anno 974-to bello, Hungari tuerentur partes Henrici Bauariae Ducis, Piligrinus vero Ottonis secundi, quotquot missi a Piligrino in Hungariam erant, procul dubio solum vertere coacti sunt, quod pro hostibus haberentur a Hungaris.“ Similitates hae vigerunt tam sub Othone II. quam etiam aliquamdiu sub Othone III-o: quod patet ex huius diplomate anno 985. regni autem eius II-o, quod ita habuit: „Notum sit cunctis, — — qualiter Piligrinus, sanctae Patauiensis Ecclesiae venerabilis Praesul, Episcopatus sui pertinentiam, in orientali plaga barbarorum (Hungarorum) limiti adiacentem, creberrima eorum deuotione infestari, nostrae conquestus est pietati; a quibus etiam barbaris, moderno nostri quoque regni tempore, miserabili laesione adiecit, tam irreuerabili se damno laesum, in interfectione ac direptione ecclesiae suae familiae, praeter innumerabilia praedationum et incendiorum dispendia, ut absque habitatore terra episcopi solitudine siluescat.“ Cod. Dipl. tomo I. p. Licet proin Geysae Duci, quod Katona inuicibiliter demonstrauit Hist. criticae de Ducibus p. 221. anno 979. filius Vaic natus fuerit, hunc tamen continuo baptismum etiam fuisse, nec ratio ulla, nec vestigium; Patre quoque necdum baptisato: *)

§. 67. Impeditum taliter Euangelii ministerium Adalbertus, Pragensis Episcopus resumere, iure quodam suo, cum Moravia ad ipsius pertinuerit dioecesis, satagebat: Biographus certe eiusdem attestatur pag. 600: „Non tacendum, ait, quod Adalbertus iuxta positus Ungaris nunc nuncios suos misit, nunc se ipsum

*) Bavarorum cum Hungaris confoederatio anno 912-o coepit: Arnulfus, Bauariae Dux, victoriam magna Hungarorum caede ad fluvium Aenum partam, suum in commodum vertit: filiam Principis, ut videtur Zoltani sororem, sibi desponsando: quae baptizata, Agnes nuncupata fuit. Pacto hoc et Bavaris per Hungaros paratum fuit; et bello impetitis suppliciae laes, exulibus Principibus hospitium datum: Cf. Heppidanum, Cont. Regnonis, Mar. Sootum, Chron. S. Galli ad an. 913. Anonym. Belae Regis Not. cap. LV. Chron. Thur. P. II. cap. XXIV.

obtulit; quibus etiam ab errore suo parum mutatis, umbram christianitatis impressit.“ Conuersionem Hungarorum ab Adalberto factam, taliter extenuatam, alter eiusdem Biographus non dubitat ita describere: „Intermiscetur cum paganismo polluta religio, et coepit esse deterior barbarismo; languidus, et toepidus Christianismus.“ Apud Stilingum nro 100. Facto proin hoc religionis Christianae inter Hungaros progressum interrompi, aut exinaniri, necesse fuit.

§. 68. Eiusdem refocillandi, promouendique occasio nuptiae Geysae Ducis filii fuere: principium Hartwicus sic aperit: „Conuocatis, inquit, pater suus Hungariae primatibus, cum ordine sequenti: per communis consilii colloquium, filium suum, post se regnaturum populo praefecit, et ad hoc corroborandum a singulis sacramentum exegit.“ Id anno 993., Othone tertio ex Italia reuerso, factum colligimus, tam ex Hartuico, quam ex Thuroczii Chronico, qui postea subiungit: inde Filium Geysae quadraginta sex annos rexisse; qui non a coronatione ipsius, sed ab eo tempore, quo eum pater in partem curarum regni adsciuit, completi sunt. Mox anno 994-o, ut iurium suorum haeredi coniugem etiam daret sollicitus, Giselam, Henrici Rixosi Bauariae Ducis, Hungarorum foederati filiam, Henrici Imperatoris facti sororem, delegit; de qua Sigebertus Gemblacensis coaeuus auctor „Gens, ait Hungarorum, hactenus idololatriae dedita, hoc tempore ad fidem conuertitur per Giselam, sororem Imperatoris, quae nupta Hungarorum regi ad hoc sua instantia regem adduxit, ut se ac totam Hungarorum gentem baptisari expeteret, qui in baptismo Stephanus est vocatus.“ Ad an. 1010. Breuiarium Romanum de S. Henrico ad 15-am Iulii lect. V. inquit: „Pannoniam adhuc infidelem tradita Stephano regi sorore sua in uxorem, eoque baptisato, ad Christi fidem perduxit“ Otto Frisingensis episcopus de eodem Henrico: Chron. Lib. VI. cap. 27. „Sorore sua Gisela, Stephano Ungarorum Regi in uxorem data, tam ipsum, quam totum eius regnum ad fidem vocauit.“ Germanorum omnium testimonia Auentinus his expressit (Annal. Boic. Lib. V. nro. 8-o. „Adsunt legati Ugrorum, — Rectori eorum, filio Geyzonis — Gisela, soror Henrici despondetur hac lege, atque omnino, ut ille explosa falsorum Deorum superstitione, Christi unius et veri ac summi Dei cultum cum popularibus reciperet. Accepit conditionem Princeps Ugrus: statim aqua lustrica tingitur, Stephanus appellatur, et a Caesare Rex nuncupatur. Gisela igitur fatale sortita nomen, tamquam obses, ac fidei vinculum, nuptui datur, cuius ope ac consilio Ugri Philosophiam Christianam sectari coeperunt.“

§. 69. Geysam baptisatum, Christianum factum, ac quidem hac nuptiarum filii occasione, testium tam domesticorum, quam exterorum fide digno testimonio exploratum tenemus: Hartuicus ex Hungaris vetustissimus: „Quid inquit plura? Adest tempus coelitus dispositum; credit ipse, cum familiaribus suis et baptisatus est; et omnes ditioni suae subditos se pollicens Christiano nomini mancipaturum.“ Edit. cit. pag. 119. Simon de Keza in appendice: „Dux namque Geycha, de genere Turul, cui prae ceteris Hungaris oraculum profluxisse de superius dicitur, ut reciperet fidem christianam catholicam et baptismum; quia ma-

nus gestabat sanguine humano madatas, nec erat idoneus ad fidem conuertere tantam gentem, licet ipse, domusque eius per S. Adalbertum Baptismi gratiam recepisset.“ Initio. Dithmarus de patre S. Stephani ita loquitur: „Huius Pater erat Deix nomine, admodum crudelis. et multos ob subitum furorem suum occidens. Qui cum christianus efficeretur, ad corroborandam hanc fidem contra reluctantes saeuit, et antiquum facinus, zelo Domini exaestuans, abluit.“ Script. Brunsv. Tom. I. p. 420. Ademarus Egolismensis, qui Chronicon suum anno 1030-o conscripsit in Chronico suo ait: „Brunus (Albertus) conuertit ad fidem Ungriam prouinciam. — Regem Ungriae baptisauit, qui vocabatur Geitz, et mutato nomine in Baptismo Stephanum vocauit, quem Otto Imperator in natali protomartyris Stephani a baptismo exceptit.“ Brunum cum Adalberto Scriptorem confudisse, iam praemonuimus. Durum illud responsum, quod episcopo suo, eum arguenti, dedisse scribit Dithmarus, ante, non post baptismum dederat, nec Adalberto, sed Piligrino: „Nam cum Geysae nunciatum esset, beatum Adalbertum (sunt verba Hartwici) Bohemiensis Ecclesiae Pontificem ad se venturum propter conuersionem ipsius ac fidei non fictae profectum, Domino Deo laudis hostiam oblaturum — — — Dux obuiam ei cum fidelibus quibusque processit, honorabiliter eum suscepit, et, ut per visum monitus est, modis omnibus obedientiae filium se fore monstrauit.“ l. c. p. 111.

§. 70. Geysam Othonis III. tempore fuisse baptisatum, Anonymus Synchronus fragmenti Historiae Aquitanicae Auctor, hunc in modum perhibet: „Eo tempore, Othone II. moriente; Otho filius eius, tertius actu et nomine, imperium assumpsit; qui Philosophiae intentus et lucra Christi cogitans, ut ante tribunal Iudicis duplicatum talentum redderet, Domini voluntate populos Ungariae, una cum rege eorum ad fidem Christi conuertere meruit.“ Annal. et Hist. Franc. Script. apud Pithaeum. p. 524. Huic concordat iterum Ademarus: „Brunus (Adalbertus) inquit, conuertit ad fidem Ungriam prouinciam. — — Regem Ungriae baptisauit, qui vocabatur Geitz; quem Otho III. imperator in natali protomartyris Stephani a baptismo exceptit.“ l. c. Haud dissentit Aloldus, ad annum 980. ita scribens: „Geizza vero Hungarus pacis fructum dulciter quoque gustauit: dum sequentibus annis illustratus lumine fidei, agnouit verum Deum ac Dominum Jesum Christum. A cuius deinde filio Stephano in regnum florens et Christianum transiuit.“ Apud Labb. Bibliothecae tomo II. p. 168. Cum itaque sub Othone III. fuerit baptisatus Dux Geyza, ille vero 984-o duntaxat anno imperio sit potitus, baptismus eiusdem ad seriora tempora, ad Baptismum filii eius Stephani, et Alberti in Hungariam aduentum est retrudendus.

§. 71. Stephanum, Geysae filium, fuisse baptisatum gentium omnium scriptis est exploratum maxime; quaeri duntaxat potest: per quem? et quo tempore? — Stephanum ab Adalberto, Pragensium episcopo suscepisse baptismum, tam domestici, quam exteri Scriptores contestantur. Aperte scribit Hartwicus his verbis: „Nascitur interea praedictus a Domino Principi filius. — Hunc Deo dilectus Adalbertus Episcopus chrysmali baptismo secundum credulitatis suae veritatem intinxit, nomen sibi impositum est Stephanus.“ l. c. p. 122. Idem affirmat Chro-

nicon Thurotzii hoc modo: „Intrauit ergo primo Deodatus, de Comitibus S. Seuerini, de Apulia, qui fundator exstitit monasterii de Tata, et parator. Iste etiam cum S. Adalberto, Pragensi Archiepiscopo, S. Regem Stephanum baptisauit.“ Part II. cap. 10. Idem testatur Bela IV. Rex Hungariae, in suo diplomate anni 1263. in haec verba: „Qui (Deodatus) etiam S. Regem Stephanum praenomina- tum, cum sancto Adalberto Episcopo, de fonte baptismatis subleuauit.“ De hac communi Hungarorum sententia testimonium praebuit Albericus Monachus sub initium saeculi XIII. inquit: „Dicunt Hungari, quod S. Adalbertus, Episcopus Pragensis, Regem Stephanum ad fidem conuertit, et baptisauit.“ Apud Leibnitz. Access. Hist. tomo II. pag. 45. Confirmant illam Scriptores exteri: Annalista Saxo: „Stephanus, inquit, Religiosus Ungrorum Rex obiit, qui cum omni gente sua, ad fidem Christi conuersus fuerat; hunc sanctus Adalbertus Episcopus et Martyr baptisauit.“ Ad annum 1038. In Chronico Werdensi sic legitur: „His temporibus S. Adalbertus Pragensis Episcopus, Stephanum regem Ungarorum cum multis baptisauit.“ Script. Brunsv. Leibn. tom. II. 215. Item Riccobaldus Ferrar. „Sanctus Adalbertus, Pragensis Episcopus, natione Bohemus, agnoscitur: hic baptisauit Stephanum Regem Hungariae.“ Iterum: „Rex Stephanus virtutibus fuit insignis; qui Baptisatus fuit a Beato Adalberto.“ Murat. SS. Ital. tom. IX. col. 240—241.

§. 72. Huic testimoniorum consensui silentium Biographi Albertini officere non potest: mirum omnino hoc silentium facti tam memorabilis foret, si insolitum una esset, communeque; ast insolitum non est: cum Biographi Albertini aliarum quoque rerum, memoria dignarum incurii arguantur. Certe nec praedicati per Adalbertum euangelii in Hungaria, ac conuersionis per eundem factae meminerunt, quorum tamen testes habemus tam externos, quam domesticos, exceptione omni maiores: Cosmas Pragensis, Adalberti conterraneus ait: Postquam insignis Christi signifer, Praesul Adalbertus, retibus fidei cepit Pannoniam simul et Poloniam, ad ultimum, dum in Prussia seminat verbum Dei, hanc praesentem vitam pro Christo feliciter terminauit martyrio IX. Kal. May. Ad an. 996. Mencken. Tom. I. Col. 200. Annalista Saxo sic: „Postquam signifer Christi Praesul Adalbertus retibus fidei cepit Pannoniam simul et Poloniam, ad ultimum, dum in Pruciam seminat verbum Dei, cuspide perfossus IX. Kal. Maii capitis abscissione optatum semper martyrium solus ex suis percepit.“ Apud Eccard. tom. I. p. 303. Haec consonat etiam Hartwicus noster; inquit: „Igitur iubente Principe Geyza, sit ubique congregatio indomitae gentis, et per Sanctum Adalbertum sunt conciones, et per suas exhortationes continue conuertuntur, et baptisantur alumni patriae, statuuntur in multis locis Ecclesiae.“ L. c. p. 121. Si tam momentosi successus potuit Biographus Adalbertinus immemor fieri, potuit peruenire baptismi per S. Adalbertum Stephano regi collati non meminisse. Idem de silentio Dithmari tenendum.

§. 73. Stephanum pubertatis iam annum ingressum, adeoque Giselae sponsuum, filium cum Patre suo baptisatum, clarescit praeprimis ex Scriptorum te-

stimoniis: Hartuicus enim ait de ipso: „Hunc Deo dilectus Adalbertus, secundum credulitatis suae veritatem, intinxit.“ L. c. p. 122. Quod si hoc: eius aetatis fuisse debuit, quum baptismum suscepit, qua iam ipse fidei veritatem assequi potuerit ac pro se, patrini loco spondere.“ Nec etiam Hartuicus Stephanum eo, quod Baptisatum post natiuitatem referat, illum in infantia baptisatum ponit; imo verbis praelaudatis serius baptisatum, non obscure testatur. Testimonio item scriptorum coaeuorum iam conuersus, iam neophytus, et similia dicitur, quae de baptisato in infantia neququam obtinent. Fulbertus certe ab anno 1007—1028. Episcopus Carnotensis, ita ad Bonipertum Quinque-Ecclesiensem Episcopum expressit salutem: „Ad ultimum saluere te optamus, praecantes, ut illam nouam ac gloriosam adoptionis prolem, summi Regis, regem scilicet Stephanum ex nostri parte salutes.“ V. Cod. Dipl. Summi regis noua adoptio, seu neophytus, non potest dici iam in infantia baptisatus. Radulphus Glaber haec de Stephani ac Hungarorum conuersione habet: „Ipsa denique Hungarorum gens, post tot patrata flagella gentibus illata, cum suo Rege ad Catholicam fidem conuersa; quae prius consueuerat crudeliter rapere aliena, libens impertitur pro Christo propria.“ Lib. I. cap. V. Hermannus Contractus: „Stephanus ait, Hungarorum Rex, bonae memoriae obiit, qui se ipsum cum tota gente sua, ad fidem Christi, ex gentili errore conuertit.“ ad ann. 1038. Marianus Scotus: „Stephanus Rex Ungarorum Christianus obiit, qui cum omni gente sua ad fidem conuertitur.“ Ad annum eundem: Sigbertus Gemblacensis: „Gens Ungarorum, hactenus idololatriae dedita, hoc tempore ad fidem Christi conuertitur. — Rex Hungarorum eo adductus, ut se ac totam gentem Hungarorum baptisari expeteret, qui in Baptismo Stephanus est vocatus.“ l. c. Albericus Monachus dicit: „Dicunt Hungari, quod S. Adalbertus Pragensis Episcopus, Regem Stephanum ad fidem conuertit, et baptisauit.“ Tot et tam diuersi non erant dicturi Stephauum se conuertisse, conuersum etc. nisi pubertatis iam aetate credidisset, sacroque lauacro ablutus fuisset. Accedit: Adalbertum in Hungaria praedicationi, ac baptisationi Hungarorum ante 995-um annum immoratum fuisse, nullo testimonio confici posse: Vide vitam illius, supra §. 42. *)

*) Quibus difficile videtur creditu Geysam, qui, ut Hartuicus exprimit: orthodoxae fidei semen pectoris in horto satum delectabatur germen exmittere, l. c. p. 119. ab anno 973, usque 995. susceptionem baptismi distulisse: meminerint, quaeso, eiusmodi catechumenorum moras insolitas quondam neququam fuisse: uti facto Constantini M. et Aurelii Augustini compertum satis est. Alia quoque causa fuerit, cur non statim abiecta patria religione, nouae sacris initiari se voluerit: quod Christianae doctrinae rationem diligentius ediscendam, ac suae, et reipublicae quoque securitati consulendum, censuerit: ad quod agendum, cum tempore opus esset, hoc ei Pilgrimiani Missionarii haud inuiti, concesserint: cum et Eduinum Anglorum Nordumbrorum Regem, annuente Paulino Episcopo idem fecisse Beda memoriae in gestis Anglorum commendauerit (Hist. Eccles. Angl. L. II. cap. 9. et 13.) et Pilgrimus epistola ad Benedictum Papam testis sit, se missorum suorum ad conuertendos Hun-

§. 74. Geysam cum tota sua domo, idest cum Stephano filio, uxore sua Sarolta, fratre Michaële, eadem occasione per S. Adalbertum fuisse conuersos ac baptisatos, dupplici constat testimonio: „Quid plura? ait Hartuic. l. c. p. 119. adest tempus coelitus dispositum (praesentia Adalberti praemonstrati) credit ipse cum familiaribus suis, et baptisatus est.“ Ademarum l. c. „Sanctus autem Brunus (Adalbertus) conuertit ad fidem Ungriam prouinciam. — Regem Ungriae bapsisauit, qui vocabatur Geitz, et mutato nomine in baptismo, Stephanum vocauit: Quem Otto Imperator in natali protomartyris Stephani a baptisate excepit, ac regnum ei liberrime habere permisit, dans ei licentiam ferre lanceam sanctam ubique, sicut ipsi imperatori mos est; et de lancea S. Mauritii, ei concessit in propria lancea; Rex quoque supra dictus, filium suum baptisari iussit, et S. Bruno imposuit ipsi nomen sicut sibi Stephanum. Postea vero ipsi filio eius, Stephano, Otho Imperator, sororem Henrici, postea Imperatoris, in coniugium dedit.“ In Chron. l. c. Alia occasione Geysam, alia item Stephanum a S. Adalberto baptisatum fuisse, nullum est indicium. Quamuis recentioribus de Sancto Stephano Lectionibus Ecclesiae Hungaricae propriis, dicitur is a Sancto Adalberto in infantia baptisatus, tamen aliam fuisse XIII-um usque seculum Hungarorum sententiam supra euicimus. Omnes Stephani baptismum cum sponsalibus Gizelae coniungunt: Abbas Urspergensis ita scribit: „Horum (loquitur de Henrico ac Brunone) sororem, bonae memoriae foeminam, Gizelam, Rex Ungarorum, qui Stephanus dicebatur, in coniugium expetiuit; sed eam ducere non promeruit, donec se christianae religionis rudimenta, et sacri baptismatis sacramenta, cum omni gente sua suscepturum, promisit.“ Confer etiam Othonem Frisingen. Chron. Thuronen. ad an. 1226. Riccobald. l. c. Dandulum in Chron. Lib. IX. P. XLVI. *)

garos vitam et agendi rationem sic ordinasse, quemadmodum in gestis Anglicorum didicerit.“ l. c. Distulisse: vel illa Geysae inter gentilem superstitionem, ac sensa Christiana fluctuatio euincit. Quippe subditorum suorum, partim pro patriis ritibus pugnantium, partim a Christiana fide ad eos relapsorum seditionem metuerat; tempori se accommodans priuatim quidem Deum christianorum coluit; publice autem auitas sectatus est vanitates, usque dum excitorum militum praesidio sat tutus, a S. Adalberto necessaria edoctus, se, totamque suam domum sacro lauacro expiandum duxerit. Hic est ille tepor, quem mox immodico religionis christianae zelo satagebat expiare, teste Ditmaro l. c.

- *) Hartuici testimonium, Geysam cum familiaribus suis, seu non tantum filio, sed etiam coniuge Sarolta credidisse, baptizatamque fuisse, et domesticorum traditio confirmat maxime: Id enim Simon de Keza disserte prodidit appendicis initio, inquit: „Quia Geysa manus gestabat sanguine humano madatas, nec erat idoneus ad fidem conuertere tantam gentem licet ipse, domusque eius per sanctum Adalbertum baptismi gratiam recepisset.“ Item Ranzanus: „Eis, loquitur de Geysa, et uxore eius Sarolta) deinde expectantibus, miroque sperantibus desiderio, ut diuina in illis adimpleretur prouidentia; venit in Hungariam, Dei seruus Adalbertus.— Excepit est a Geycha per benigne et omni, quo decuit, honore et reuerentia postea vero, quam inter se communicauerunt, quae rei, cuius causa diuina iussit:

§. 75. Geysa Dux baptizatus partes suas in Hungaris ad religionem christianam conuertendis, edicto, ac domicilio pro ministris verbi Dei construendo expleuit: Hartwicus ita prosequitur: „Igitur iubente Principe, fit ubique congregatio indomitae gentis; et per sanctum episcopum fiunt conciones, et per suas exhortationes continue conuertuntur, et baptizantur alumni patriae, statuuntur in multis locis ecclesiae: lux quippe, quae illuminat omnem hominem, tenebris expulsis, in Hungaria coepit enitere.“ De pia eius magnificentia ipse Stephanus perhibet testimonium: „de monasterio S. Martini, in monte supra Pannonia sito, ab genitore nostro incepto, quod nos — ad finem perduximus.“ Dipl. anni 1001. V. nro. XXIV. Confer etiam Dithmarum loco praecitato. *)

one, venerat S. Antistes, visa sunt utilia: Geysa, eiusque uxor, nihil morati ad suscipienda christianae pietatis fidei sacramenta vehementer inflammantur. Quid multis opus est verbis? Constitutus est dies, quo et ipsi, et multi viri nobiles, multique alii, tum mediocris, tum humilis generis homines sacro Baptismate in Christo renati sunt.“ Ind. VIII. Cum his testimoniis contradicat nemo, de baptismo autem Saroltae prioris taceant cuncti: valet Criticorum regula: „Ut patriis annalibus, quum contraria veteribus et aetati Hungarorum aut coaeuis aut supparibus scriptoribus narrent, non facile defero; ita dum isti silentio praetereunt ea, quae domestici narratione complectuntur, si caeteroquin cum antiquorum annalibus conciliari possint, non video, cur horum auctoritas in aliorum silentio non valeat.“

- *) Godefridus Swartz, ut Stephanum ante sponsalia baptizatum argueret, non erubuit Hermannii Contracti verba corrumpere (l. c. pag. 3.) „Hermannii, ait. in notis de Henrico Imperatore ista sunt: Huius soror Gisela Stephano, Regi Ungariorum, qui se ad Christi fidem conuerterat, quasi vere iuxta nomen suum fidei obses, in coniugium data.“ In duabus celeberrimis editionibus Pistoriana, et Canisiana legitur interim sic: „Huius soror Gisela Stephano Regi Ungariorum, cum se ad fidem Christi conuerteret, quasi vere iuxta nomen suum fidei obses, in coniugium data.“ Hic textus et verbis et sensu discrepat ab eo, quem Schwartzius recitauit: Stephano conuerso datam fuisse Giselam coniugem; cum stipulata Stephani conuersione, proin et Baptismo, data fuerit: adeoque hunc a baptizatis parentibus natum, in infantia sacris undis ablutum, christiana institutione educatum, ante expectitas Giselaen nuptias, haud fuisse.

Ultro sic urget: Id longe certissimum: matrimonium Stephani et Giselaen ante annum 1002. quo Henricus habenas imperii adeptus est, non coaluisse; certissimum non minus Stephanum ineunte iam anno 1000-o episcopatus constituisse, quod certe non fecit, nisi christianus, ergo occasione expetitarum nuptiarum baptizari non potuit: Redarguit vir doctissimus Salagijs: cogor, cum Cicerone exclamare: O acutum hominem, quam paucis verbis negotium confectum putat? Ea sumit ad concludendum, quorum ei nihil fere conceditur: conclusio autem rationis ea probanda est, in qua ex rebus non dubiis id, quod dubitatur, confit. Nego enim nuptias Stephani cum Gisela ante annum 1002. non coaluisse; nego nuptiarum ipsarum tempore fratrem illius Henricum regem Germaniae fuisse: conciliatae illae sunt viuo adhuc patre Giselaen, Henrico, influente Ottone tertio Imperatore: ille anno 995-to V. Kal. Septemb. teste Analista Saxone ad h. a.; hic anno 1002. obiit. Audi Ademarus in Chronico: „Filio inquit eius (Geysae) Stephano Otto Imperator, sororem Henrici, postea Imperatoris, in coniugio dedit.“ Audi etiam Dithmarum: „Imperatoris autem praedicti (Ottonis III.) gratia et hortatu gener Henrici, Ducis Bauariorum Waic, in regno suimet episcopales cathedras faciens, coronam et benedictionem accepit.“ —

§. 76. Exteris etiam, qui ultra vel vocati hoc in momento concurrerant, conuersionis Hungarorum partes lubenter concedimus; de quibus Chronicon Thurotzi P. II. cap. XI. ita testatur: „Geycha namque Dux, diuino praemonitus oraculo, conuertere coepit gentem suam ad fidem christianam, et dum monitu illos conuertere non posset, paganorum ritibus deditos, et intentos; oportebat quosdam armis edomare; ad quod faciendum, quia plures fuere repugnantes, necessarium habuit, desiderium suum diulgare regibus, et principibus christianis; qui audito huiusmodi desiderio, non solum iuuamen transmiserunt, sed etiam nonnulli personaliter venerunt.“ Nomine tenus etiam laudat tales: Deodatum, qui Geysae filium, Stephanum, e lauacro sacro leuauit; quem Bela in diplomate praecitato expresse dicit: adiutorem conuertendi gentes incredulas, et rebelles; fidei veritatis ac legis diuinae propugnatorem, una cum Duce Geysa supra dicto, et ceteris nobilibus, terrigenis et aduenis, et episcopis exstitisse gloriosum.“ Porro idem Chronicon nominat Wencellinum: Ascendit quoque, ait, de Bawaria Wencellinus, uidelicet de Wazenburg, qui cum sancto Stephano in Simigio, Cupam Ducem interfecit: Capitareus enim exercitus exstitit illo die.“ Item Huntium ac Paznanium: „Adierunt etiam illis diebus Hunt et Paznan, qui sanctum Stephanum Regem in flumine Garan gladio, Teutonico more, accinxerunt.“ Horum meminit etiam S. Stephanus diplomate praecitato: „Astantibus, ait ducibus, uidelicet Poznано, Cuntio, Orzio votum voui.“ De his et aliis demum idem Chronicon ita subiicit: „Istorum itaque Comitum dux Geycha, cum Sancto Rege Stephano, filio suo, fretus auxilio et diuino potius, quosdam rebelles armorum terroribus, nonnullos uoluntarie conuerterunt ad baptismum.“

§. 77. Munus gentis Hungarum conuertendae Geysae Duci destinatum non fuit: „Cumque nimium esset sollicitus de rebellibus domandis, ac ritibus sacrilegis destruendis, et episcopatibus secundum destinationem suam ad profectum Ecclesiae sanctae statuendis, mirabili uisione consolatus est eum Deus. Fecit adstare sibi iuuenem delectabilem aspectu, qui dixit ei: Pax tibi, Christi electe. Jubeo te de sollicitudine tua fore securum. Non tibi concessum est, quod meditaria: quia manus pollutas humano sanguine gestas. Filius tuus est, cui haec omnia dispondenda diuinae prouidentiae consilio commendabit Dominus. Hic erit unus e regibus electis a Domino, corona vitae secularis commutaturus aeternam. Post haec plenus dierum anno Dominicae Incarnationis nongentesimo nonagesimo septimo, seculi nequam aerumnas commatauit gaudio coelesti. Et eodem anno beatus Episcopus Albertus causa praedicandi uerbum Dei Prussiam ingressus, ibi palma martyrii coronatus est.“ l. c. p. 120—124. Munus Hungaro-

Neid quid opus multis? Hermannus Contractus disserte prodidit Gisela anno 993. Stephano nuptui datam; sic enim ait: „Henricus Dux Boioariae obiit, et filius eius, ex Gisela Conradi regis Burgundiae filia, itidem Henricus, imperator post ea futurus, ducatum obtinuit huius soror Gisela Stephano regi — in coningium data.“ Henrici anno 993-o defuncti gener Stephanus dicendus non fuisset, si neodum duxisset illius filiam Gisela.

rum ad fidem Christi saluificam couertendorum sibi reseruatum, solerter impleuit etiam Stephanus, inquit eodem Hartwico: „Post obitum vero patris, Stephanus adhuc adolescens, fauore principum, et plebis in patris solium laudabiliter prouectus, et ardentiori animo coepit veritatis propagator existere: quia quamuis adolescentiae annis floreret, non tamen cor in ore, sed os in corde habebat. Scripturarum diuinarum, quibus apprime flagrabat, non immemor, iudicium et iustitiam in oculis proponebat, et iuxta illud Salamonis: audiens sapientiam sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit. In omnibus itaque mandatis Dei fidelis dispensator existens, apud se coepit meditari, qualiter subiectum sibi populū unius Dei cultui manciparet.“ Ibid. p. 125.

§. 78. Si ad ea, quae disseruimus, animum reflexerimus, illustre hoc prouidentiae diuinae opus, non uni, sed compluribus causis, diuersa tamen ratione, est asserendum: Ad fidem veri Dei recipiendam dispositi praeuie sunt iteratis, quas perpassi sunt, cladibus; christianorum incolarum, et captiuorum necessitudine ac moribus; legatione item Othonis M. pacem et praedicandi facultatem deprecantis. Plantatam primitus praeconiis Piligrini Praesulis Passauiensis, alitam S. Adalberti concionibus; refocillatam Henrici, Imperatoris postea facti, et Othonis tertii praesidiis; Geysae baptismo, militum exterorum assistentia, firmatam, certum non minus; ast Stephani zelo, opera, pietate fuisse perfectam certissimum. Hac ex parte rite affirmauit Stephanus Verböczius, Tribonianus noster: „Hungari per institutionem proprii Regis sui Sanctissimi videlicet Stephani regis — sunt conuersi. Parte I. tit. 11.“ Librata profecto hac in re est Stephani Katona sententia: „Quum, inquit in Hist. Duc. pag. 650. sqq. conuersi Stephani, atque etiam gentis Hungarae, gloria iam Adalberto, iam Gisela tribuitur, minime hoc inter se pugnare, censendum: cum plures in eadem rem, variis modis, concurrerint: Henricus quidem et Gisela, quod non prius in ambitus a Stephano nuptias consentire voluerint, quam sacra christiana susciperet, seque ac totam nationem Hungarorum ad eadem, pro viribus adducturum, polliceretur. Adalbertus autem ultimam conuersioni manum imposuit, dum Geysam et Stephanum, iam ad Christi fidem propensos, verae fidei mysteriis imbuit et sacris undis abluit. Nec quidquam gloriae S. Regis demit, quod et Adalbertus et Henricus, in breuiariis, Hungarorum Apostoli vocentur: nempe maioris erat molis, gentem Hungaram vanis superstitionibus innutritam, ad christianam religionem traducere, quam ut solus tantae rei perficiendae, sufficeret. Adalbertus igitur nunc nuncios suos mittendo, nunc se ipsum offerendo; Henricus consensu, consilioque rem Christianam inter Hungaros ita promouerunt, ut etsi ipsi Apostolico nomine se dignos praestarent, praecipuam tamen conuersae gentis Hungarae gloriam, et Apostolatam S. Stephano relinquerent.“ — Cum interim hi singuli ad Ecclesiam spectent Latinam, conuersionis Hungarorum initia a Latina sunt omnino repetenda. *)

*) Fridericus Kerz, conuersionem Hungarorum ita refert Tomo XXXIII. pag. 412. sqq. „Endlich öffneten auch die Ungarn um diese Zeit ihre Augen dem Lichte des Evan-

Religionis et Ecclesiae Christianae apud Hungaros initia

Ecclesiae Graecae non debentur.

§. 79. Communi de religionis atque Ecclesiae apud Hungaros initiis omnium doctorum sententiae, seculo proxime euoluto, se opposuit Godefridus Schwartz, gentilis quidem noster, sed apud exteros verbi Diuini minister; Ecclesiae catholicae non inuisus modo sed et hostis; libello paruae quidem molis, sed ut Stephanus Salagi, Statu Ecclesiae Pannonicae illustratae, libro VII. arguit, inauditis commentis pleno; quo eximium traductae ad Christum gentis Hungarae opus, in initiis suis Orientali Ecclesiae vendicare conatur: commenta commentis, et coniecturas coniecturis contra luculenta Synchronorum testimonia accumulans.⁴⁶ — His proin nobis quoque post alios, qui reclamarunt, plurimos, est renitendum.

§. 80. Scriptoris dentati sententiâ religio Christiana ante iam legationem Ottonis, Piligrini missionem etc. in Hungaria efloruit; quod ut euincat statuit 1.) Julam, illustrem Hungarorum in Dacia Ducem, circa annum 950. baptisatum Constantinopoli, regnante Constantino Porphyrogenito; domum reuersum cum Hierotheo Hungarorum episcopo, per Theophilactum Patriarcham ordinato, qui addu-

geliums. Zwar hatten schon in der Hälfte des zehnten Jahrhunderts zwei sehr mächtige ungarische Magnaten, während ihres Aufenthalts in Constantinopel, das Christenthum angenommen. Der eine davon entsagte jedoch demselben sogleich, wieder nach seiner Rückkehr ins Vaterland. Aber der andere Namens Giulai, blieb demselben treu, wünschte auch dass die auf seinen Gütern lebenden Bauern ebenfalls Christen würden; berief daher einen Griechischen Geistlichen; übte selbst Werke christlicher Barmherzigkeit, und schenkte allen gefangenen Christen, die in seiner Gewalt waren die Freiheit. Warscheinlich — würde diese zarte Pflanze des Christenthums mit dem Tode Giulais erstorben seyn; zum Glücke war aber dem Grafen, kurz bevor er Christ ward, eine Tochter geboren worden, die er in Lehren des Christenthums erziehen lassen. Sarolta, so hiesz diese Tochter. — Geysa, vierter Herzog von Ungarn, aus dem Hause Arpad, sah die schöne Sarolta, liebte sie, und begehrte, und erhielt sie zur Gemahlin — Sarolta durch ihre Sanftmuth bald grosze Gewalt über das Herz Geysas erhielt, benutzte sie diese, um ihren Gemahl mehr und mehr zum Christenthum zu bestimmen. — So ernstlich auch Geysa wünschte, sein ganzes Volk zum Christenthum zu bekehren, so entgingen ihm nicht die Schwierigkeiten, welche er dabei zu bekämpfen haben würde. — Geysa und Sarolta theilten sich nun ihre gehabten Ansichten mit; und voll Vertrauen auf Gottes erbarmungsvolle Verheissungen, harrten sie nun mit Sehnsucht der Erfüllung derselben. — Bald darauf kam der heilige Adalbert von Prag, da er, der Rucklosigkeit seiner Dioecesanen wegen seinen bischöflichen Sitz verlassen hatte, nach Ungarn; Er war der dem Geysa angekündigte Bote seines Mit der grössten Ehrerbietung ward er also von dem Herzoge empfangen. Auf Adalberts Ansuchen berief Geysa die Groszen seines Reiches zu einer Versammlung. Auf demselben erklärte Adalbert den anwesenden Magnaten die Hauptlehren des Christenthums und einer solchen Salbung, dass jetzt schon mehrere der Anwesenden die Taufen verstanden. Zur grössten Freude sowohl des Herzogs, als auch des heiligen Bischofs geschah nun mit Sarolta ihren Erstgebohrnen, der jetzt von dem heiligen Adalbert soeben taufte, und auf ausdrückliches Begehren Saroltas den Namen Stephanus erhielt. Act anno hoc nati Stephani Adalbertus nec Sacerdos quidem fuit videtur: et tunc in Hungaria versatus!!

etis secum sacerdotibus Hungaros magno numero conuerterint. 2.) Julae filiam Saroltam, in domo paterna sacris Christianis initiatam, et christiana institutione educatam, Geysae Duci ante 972-um annum nupsisse, ab ipsa Principem Hungarorum ad amplectenda sacra Christiana perductum fuisse. Prima proin religionis Christianae semina a Graecis fuisse iacta, et arduis iam complanatis, Latinos ad amplam messem superuenisse. His argumentis, potius coniecturis, contendebat, initia Religionis et Ecclesiae apud Hungaros christiana Ecclesiae Orientali vindicare. — Nos ante omnia auctoritatem, qua Schwartzii sententia nititur, cum fide dignitate illorum, quorum testimonio usi sumus, comparabimus; tum num id, quod fertur, factum fuerit, quin et fieri potuerit? compendio, quo fieri potest maximo, in examen reuocabimus.

§. 81. Testes, quorum fide Schwartzius exultat sunt: 1.) Joannes Scylitzes Curopalata, cuius verba ita leguntur apud Baronium ad annum 958. „Non desisterant etiam Turcae (Ungar.) in Romanorum regionem irrumpere, eamque depopulari, quoad Bolesodes, ipsorum Dux, cum decreuisset fidem christianorum amplectari, venit Constantinopolim, et baptizatus ab Constantino Imperatore suscipitur; patriciatus dignitate donatus, ac multae pecuniae compos effectus. Deinde domum reuersus est. Paulo post etiam Gylas, ipse quoque Turcarum Dux, Constantinopolim ingressus baptizatur, paribusque et ipse affectus muneribus et honoribus, discessit. Assumpsit autem et secum monachum quemdam, Hierotheum nomine, qui habebatur religiosus ac pius, Turciae episcopum a Theophilacto effectum. Qui eo profectus, multos a barbaro errore in religionem Christianorum traduxit. Verum Gylas in fide permansit, neque Romanos inuadens, neque captos christianos negligens, sed redemptos pretio curans, in libertatem vendicabat. Bolesodes autem, violato foedere diuino, saepe omnem exercitum in Romanos adduxit, quod cum in Francos quoque facere decreuisset, captus ab Othone, ipsorum rege, in cruceem actus est.“

Cedreni verba, a Xilandro latine reddita, ita oggerit pag. 37. „Caeterum Turcae nou ante finem fecerunt in Romanas ditiones grassandi, quam Bolu udes, eorum Princeps fidem se amplecti Christianam simulans, Constantinopolim venit, baptisatusque a Constantino est exceptus, ab eoque patricia dignitate et magnis donis ornatus, ditatusque domum rediit. Non multo post Gylas ipse quoque Turcicus Princeps, eodem se eiusdem rei causa confert, baptisatusque, et eodem, quo prior, modo tractatus monachum secum abduxit, Hierotheum, pietatis fama celebrem, quem Turciae episcopum Theophilactus Patriarcha designauit. Isque ut in Turciam venit, multos a barbarica fraude, ad Christianam religionem traduxit. Ac Gylas quidem constans in fide mansit, et neque ipse in Romanos impressiones fecit, et captiuos Christianos emens curauit. Bolusudes autem pactis, quae cum Deo inierat reseisis, saepe cum omnibus suis in Romanos expeditionem suscepit. Quod idem contra Francos tentans, captus et ab eorum Rege, Joanne, in palum suffixus est.“

Zonaras, inquit porro Schwartzius p. 21. non multum quidem a Cedreno in se discrepat; habet tamen singularia quaedam; verba igitur illius ex Wolfii translatione, a Carolo Dufresne, Dno Du Cange recensita, adscribemus: „Turci, Un-

ros autem, ita vocari supra diximus, alias prouincias Romanas incurfare soliti, ad tempus quieti fuerunt. Nam dux eorum Bulosodes, et partis cuiusdam Princeps, Gylas, Imperatorem conuenerunt, amboque sacro sancto regenerationis lauacro initiati, et arcanis nostrae religionis imbuti, ac patritia dignitate ornati, onustique pecuniis, in suas sedes redierunt; adducto Pontifice, per quem multi ad Dei cognitionem deuenerunt. Ac Gylas quidem in fide permansit, pacemque seruauit; alter foedere, quod cum Deo iecerat, rupto, arma Romanis intulit, idemque contra Francos facere adgressus, captus est, et in crucem actus.“

§. 82. Ex his modum, quo religio christiana apud Hungaros propagata sit, expliciturus contendit pag. 29: „Imperante Constantino VI. Porphyrogenito, Leonis Phi'osophi ex Zoe filio, Constantinopolim accessisse Duces Hungarorum, Bulosodem, et Gylam ac christiano ritu initiatos, liberaliterque ab Imperatore acceptos, domum reuertisse. Et quamquam Bulosodes foedus, quod cum Deo in Baptismate pepigit, rescidit, Gylas tamen constans in agnita veritate perseueraverit, Hirotheumque monachum, quem Theophilactus Patriarcha Constantinopolitanus, Hungariae Episcopum rite ordinauit, secum abduxit, ut eius in conuertenda gente sua ministerio uteretur; qui et multos a barbarico errore ad christianam fidem traduxit.“ — Hunc baptismum celebratum ponit anno Christi 950- p. 37. l. c.

§. 83. Ad vim argumenti huius ponderandam aduertamus cumprimis, prae- laudatos Scriptores, fatente Schwartzio pag. 39. baptismo Bulosudis et Gylae anno quippe 950-o peracto, uno plus et medio saeculo serius vixisse, proin cum synchronis, qui sub Geysa Duce, a Piligrini Episcopi praedicantibus, Othone Magno, Othone III. ac Henrico S. Imperatoribus cooperatis, religionem Hungaris insitam uno ore confitentur, fidem potiozem haud mereri. Attendamus etiam, ex Scilytze Curopolata sua hausisse et Cedrenum et Zonaram, ut verba monstrant; igitur unius duntaxat testis vices subire; illos ex aduerso, qui post cladem Augustanam ad interuentionem Othonis magni, a Geysa verbi diuini Praecones in Hungariam admissos, testantur, numero esse plurimos. Sed et testimonium horum est diuersis monumentis fundatum, quae prae manibus habemus: literis quippe Othonis M. credentialibus, Othonis II. et III. quibus damna et impedimenta, quae Piligrinus, verbi Dei apud Hungaros minister, simultatum occasione passus est, et praesertim encyclicas Pontificum Leonis III, anno 937, et Agapiti II. anno 946. qui de persecutionibus religionis christianae in Hungaria lamentantur, ac Piligrini, Laureacensis Archiepiscopi, quae initia conuersionis Hungarorum opera sua factae, Benedicto VI. PP. perscribit a. 974; ex aduerso Scilytzis Curopolatae relatio nullis confirmatur monumentis. Id momenti est maximi: Si Hierotheus anno circiter 950-o iam magnam Hungarorum partem ad Christum conuertisset, quomodo cum veritate Piligrinus anno 974-o Romam retulisset: „Se a neophyta Hungarorum gente Romam ire prohibitum; terrorem gentis huius ex longo tempore aliarum etiam prouinciarum praedicatoribus suae dioeceseos hactenus aditum clausisse; sub occasione duntaxat pacis cum Othone M. confectae, apertam januam diu clausam, cordis Hungarorum.

Christianis autem, quorum maior pars populorum est, et qui ex omni parte mundi illuc tracti sunt, captiuis, nunquam soboles suas licuisse, nisi furtive, domino consecrare. Post annum duntaxat 974-um linguam ligatam in laudem Salvatoris praesumsisse soluere. Maxime vero: quomodo Benedictus VII. Papa anno 975. ad omnes Galliae, ac Germaniae episcopos Hungarorum, opera Piligrini conuersorum gratulatus fuisset dicens: *Votis exsultantibus in laudem omnipotentis erumpimus quod non solum Laureacensis ecclesia, hostium cessante terrore, cum accolis suis pace ac tranquillitate potitur; verum etiam ipsi „dudum inimici, illum, quem persecuti sunt, more gentili, iam iam Christum baptizati profitentur; et sacerdotes modo habere desiderant, ac prout rudes scire poterunt, venerantur, et ecclesias quasdam in sua terra, quas patres incendio deleuerunt, posteri restaurare videntur.“* Si iam circa annum 950-um, annos proin ante 25. pars magna Hungarorum ad Christum opera Hierothei episcopi conuersa fuisset; num etiam is, unione restaurata, felicitis successus, sicut Methodius, sedem Apostolicam non erat certiore facturus? Aut eam, cum Germania et Gallia, tam desideratus euentus latere poterat? Si Hierotheus in Hungaria episcopus, ubi sedis ipsius vestigium aut memoria? Cur nouorum episcopatum erigendorum potestas, nulla Hierothaei facta mentione, Piligrino a sede Apostolica attributa?! — Cum itaque nec testes Schwartziani seri coeuis, ac pluribus, qui religionis christianae initia a Geysa et Othone M. repetunt, primamque praedicationem Piligrino, Passauensium episcopo tribuunt, praeferrunt, nec monumentis, ac rebus facti indubitati praescribere queant; religionis christianae in Hungaria initia Ecclesiae non Latinae, sed Graecae asserentes audiendi non sunt.

§. 84. Speciosum Schwartzii de Gylae Transilvani Principis baptismo argumentum, prae laudatus Steph. Salagy ita acute soluit, ut ei nec addere, nec demere quid possimus, ait quippe l. c. p. 195: „Duorum Hungariae principum Gylae, ac Bolusodis, Constantinopoli baptisatorum, ne Graeci quidem, laudatis antiquiores, fecerant mentionem. Constantinus Porphyrogenitus in libro illo, quem de administratione imperii composuit, limites ditionis Ungarorum, Duces ac Magistratus item, quos inter de nomine memorat Bulzum, dicitque fuisse tertium Principem, et Charcham, siue Judicem Hungarorum, filiumque Calae, itidem Judicis; formam regiminis, modumque in principatu successionis, accurate descripsit; de duobus illis baptisatis ne verbum quidem habet: cum tamen, si fides Byzantinis, ipso imperante, ac non solum spectante, sed et patrum agente, praedicti Hungarorum Duces sint baptisati, ab eodemque muneribus ac dignitatibus ornati: qui amabo, fieri potuerit, ut oportunissima ea occasione, qua de rebus Hungarorum tractauit, ipsiusque Bolusodis nomen memorauit, rem adeo celebrem, sub oculis suis paulo ante gestam, sibi et imperio, nec non ecclesiae Graecae admodum gloriosam, tacitus praeterierit? cum tamen aliqua de Hungaris narret, vix digna memoratu. Quin imo idem Constantinus non modo baptismum illum non memorat, verum etiam verbis sat dilucidis negat: Nam cum in citato libro regionem Hungarorum eiusque limites, quos inter Morauiam, Sua-

toplaci, quondam regnum, comprehendit, describit, clarissime habet, Magnam Morauiam, adeoque ea tempestate iam Hungarorum ditionem, baptismi esse expertem: „inde, ait, Magna Morauia baptismo carens, quam Turcae deuastarunt, cuiusque Princeps olim fuit Sphendoplucus.“ Ast si duo Hungarorum Principes, Bulosudes et Gylas, Porphyrogenito patrinum agente, Bizantii fuissent baptizati, ac Hierotheus Hungariae Episcopus ordinatus, multos Hungarorum a barbarico errore, ad religionem christianam traduxisset, quod sane Constantino ignotum esse non poterat; qua veritate scribere quiuisset Imperator: ditionem Hungarorum baptismi suo tempore caruisse? — Porro librum suum de administratione imperii circa initium vel finem 950-o terminauit Porphyrogenitus, quem anno praecedente inchoavit, ut egregie, ac euidenter docuit Stiltingus; cuius in sententiam ipse quoque Schwartzius concessit. Ast similiter probauit Stiltingus; aliquot annis ante 950-um ex sententia Curopolatae, Cedreni ac Zonarae, Ducum illorum Baptismum celebrari oportuisse, ceu pacis initio adligatum; haec vero quinquennalis teste Theophanis continuatore efluxit ante annum 952-um, retrogradiendo ad initium pacis, nos peruenturos ad annum Chriſti 947-um — Jam proin triennio ante, quem librum suum de administratione imperii scriberet Constantinus, Bulosudes et Gylas in baptismo excepti sunt ab ipso Imperatore, ac Hierotheus Hungariae episcopus ordinatus tantam Barbarorum multitudinem mox ad fidem conuertit, cur eorum non meminit? cur Hungariam vocauit baptismo carentem? Scilicet: quia ignorauit Constantinus res a se non gestas, per Curopolatem, Cedrenum ac Zonaram, ut Schwartziana phrasi utar, in ergastulis suis bene latentes, confictas, ac plus quam saeculo post literis mandatas.*)

§. 85. Alterum Schwartzianae sententiae praesidium est Sarolta, Gyulae Transilvaniae Principis filia, baptizata, christianae educata, quae Geysae nupti

*) Quae Cedrenus ac Zonaras narrant de hoc Hungarorum baptismo continent etiam quaedam repugnantia: 1) Narrant illum, postquam retulissent a Constantino Porphyrog. filium suum Romanum diadematate imperiali coronatum, figuntque ad annum conclusas inter Hungaros ac Graecos pacis primum; atqui coronatio illa ex eisdem Historicis euenit anno sequenti post obitum Lacapeni, adeoque Christi anno 949; pax vero conclusa est anno 947; huic enim respondet Indictionis primae mensis Aprilis, quo initas ad quinquennium cum Hungaris inducias Theophanis continuator notauit. 2) Narrant post coronatum Romanum, annum adeoque 949. Bulosudem suscepto Baptismo, annos quinque inducias cum Graecis seruasse, porro autem saepius eosdem inuasisse, subinde vero cum exercitu in Germaniam excurisse: si annos quinque idest annum usque 954. pacem coluit, quomodo saepius in Graeciam et Germaniam cum exercitu cursitauit? — 3). Iidem Scriptores post baptismum Ducum Hungarorum narrant immediate Elgae, Principis Russorum mulieris, Constantinopoli susceptum baptismum: atqui Elgae baptismum sub Romano, Constantini Porphyrogeniti filio, celebratum Continuator Reginonis, coaevus, cui consentit Annalista Saxo, memorat. Romanus vero sublato anno 959. patre suo, est regno potitus: iuxta Raſſon. Petau. P. I. Lib. VIII. cap. XV. Bulogudes proin anno 955. patibulo suspensus quarto mox anno 959. fuisset baptizatus. Laudati proin Historici Graeci, hoc in merito, contraria et repugnantia loquuntur.

data, animum viri tum ad religionem christianam amplectendam, tum ad praecones euangelii a Pilgrino submissos benigne admittendos, perduxerit. Verba eius haec sunt: „Nullis coniecturis operosis, nullis portentis, an fabulis opus est ad explicandum, unde Geysae, gentique eius doctrinae coelestis lux illa beata affulserit, si Saroltam, quam paulo ante, vel paulo post Gyula sustulit, quam a paganismi erroribus resipisset, ad hoc praecipue opus a Deo fuisse delectam adfirmaverimus. Non inepte Balbinus: pulcherrima, inquit, in eam rem exempla suppeditant Historiae, in quibus foeminae multorum honorum, maximeque religionis christianae, regibus et regnis amplectendae, causa fuerunt. Adducit hinc exempla aliquot, et in his Giselaë, quae Hungarorum populum christiane credere docuit. At verius iam, cum de initiis religionis christianae sermo instituitur, in Giselaë vicem Saroltam substituimus. — — Filiae incitamenta et amabiles suasiones, quin socer Geysae, Gyula Dux pro virili parte sua, optimis consiliis fouerit, salutaribus monitis suffulserit, generoque in exequendo praeclaro facinore, praesidio et ope adfuerit, egregia viri laus, qua ornatur a Graecis, nobis persuadet. Si enim in id operam sedulo dedit, ut sui imperii homines, a barbaricis moribus liberatos, Christo vindicaret, eaque mente Hierotheum Episcopum Constantinopoli adduxit, multo magis occupatum in eo fuisse dubio caret, ut generum totamque eius familiam Coelo redderet.“ L. c. p. 30.

§. 86. Ast his Schwartzius supponit omnia, quae probare debuisset, quae proin nos ceu improbabilia, suo ordine, iureque optimo negabimus. 1). Supponit per Gylam Constantinopoli ad sacra christiana conuersum, esse Gyulam Transilvaniae Principem intelligendum; cum tamen ille Hungarorum Dux, non Transilvaniae Princeps appelletur. Si ad Constantinum Porphyrogeuitum, qui Gylam Hungaricum dicit, appellat, se inuoluit magis: Constantino enim Gylas non personae nomen est, sed dignitatis: „Habent autem Turcorum gentes primum Ducem, exercitus Principem, et prosapia Arpadi, cum quo duo alii Gylas et Charchan, qui iudicum vicem obtinent. Et habet quaeque gens peculiarem Principem; suntque Gylas et Charchan non nomina propria, sed dignitates.“ Item „Estque Cale nomen proprium, cum Charchas sit dignitas, quemadmodum et Gylas, quae tamen maior est quam Charchas.“ L. c. 40. 2). Supponit, non probat, Gyulam senioresem fuisse Christianum non modo sed religionis etiam christianae propagandae zelantissimum: cum tamen constet fratrem illius Zumbor fuisse paganus: si enim hic christianus fuisset filium suum Gyulam minorem fecisset baptisari; hunc vero non baptisatum fuisse claret: quia non dicitur a fide Apostata vel foedifragus, sed paganus: „Zumbor vero genuit minorem Geulam, patrem Bue, ac Bucne; tempore cuius S. Rex Stephanus subiugauit sibi terram ultra Siluanam, et ipsum Geulam vinctum in Hungariam duxit; et per omnes dies vitae suae carceratum tenuit, eo quod in fide esset vanus et noluit esse christianus.“ Belae Reg. Notar. cap. XXVII. — 3). Supponit Saroltam fuisse baptisatam, christianam; ast nec hoc probat: recte arguit saepe laudatus Salagi L. c. p. 165: „Multa sunt, quae oppositum suadent: nam fratrem Saroltae Gyulam fuisse regnante Stephano

paganum, iam docuimus; quis autem credat, Saroltam eiusdem sororem, esse in domo christiana altam, et christiana disciplina eruditam? Eamdem Ditmarus coaeuus depinguit a moribus plane christianis alienam: Uxor, inquit eius (Geysae) — supra modum bibebat, et in equo militis more iter agens, quemdam virum iracundiae nimio feruore occidit. Manus haec polluta fusum melius tangeret, et mentem vesanam patientia refroenaret.“ Simon de Keza, et Petrus Ranzanus disertis tradunt verbis: Saroltam quoque ab Adalberto baptisatam eo ipso tempore, quo Geysa et Stephanus initiati sunt. 4). Supponit: Saroltam Geysae Ducis, ante annum 973, nuptam, qua blanditiis, qua persuasionibus auctricem fuisse, ad Legatos euangeli admittendos, baptismum suscipiendum, verbo ad sacra christiana amplectenda; ast non probat: natiuitas S. Stephani, quam ad annum 979. fiximus, Saroltam ante annum 972-um nuptam, haud monstrat; nos Piligrini missionarios anno 973-o in Hungaria iam Christum praedicasse, viam que ipsis in Hungariam penetrandi Othonis legationem et Geysae mitem animum patefecisse, testimoniis nulli exceptioni obuoxiis, ostendimus. Ante hanc epocham Geysam nec baptisatum, nec christianum fuisse, aequae docuimus. Obtrudit etiam Principem Dacum, Gyulam seniore, Geysae ad fidem Christi amplectendam auctorem; quem anno 972. quo Geysam imperii summam obtinuisse, Aloldus scribit, ne superstitem quidem fuisse constat; ipsumque seditionis suorum euitandae causa, ante excitos e regionibus christianis auxiliaribus, aduentumque Adalberti desideratum, sacrum regenerationis lauacrum haud subiisse, populari traditione certum. Hoc non prius quam anno 995-o accidisse, festo Stephani Protomartyris, constat ex utraque eiusdem vita scripta: nam non prius, nisi capta retibus fidei Pannonia abiit in Poloniam; hanc autem nonnisi audita fratrum suorum caede in peruigilio S. Wenceslai, id est 27. mensis Octobris anno 995-o martyrium suum, quod IX. Kal. Maii anno 996. consummatum est, proximo praecedenti petierat ac mox Prussiam.

§. 87. Sententiae Schwartzianae adstipulantur ii, quicumque haec Biographi Albertini verba Saroltae, Geysae Ducis coniugi, vendicant: „Miserat (S. Adalbertus) his diebus ad Ungarorum Seniore, magnum (Dominum) imo ad uxorem suam, quae totum regnum viri manu tenuit, et quae erant viri ipsa regebat; qua Duce erat christianitas coepta.“ Concluduntque: satis hoc est argumentum, Saroltae a principio christianae, Geysaeque Ducis, ad christianos praecones benignius complectendos, per ipsam inflexi: Asseueranter enim cum Stephano Salagi l. c. p. 34. seqq. negamus, haec Albertini Biographi verba Saroltam, et Geysam spectare; sed ipsam Gyselam et Stephanum; quod clarebit, si locus Biographi integer et vocabulum: Senior magnus, tempusque rite expendatur: „Miserat (inquit) his diebus ad Ungarorum Seniore, magnum, imo ad uxorem suam, quae totum regnum viri manu tenuit, et quae erant viri ipsa regebat; qua Duce erat christianitas coepta, sed intermisciebatur cum paganismo polluta religio, et coepit esse deterior barbarismo, languidus et tepidus christianismus. Ad quam tunc per venientes illic nuncios in haec verba epistolam misit: „Papatem meum (alias Gaudentium) si necessitas et usus postulat, tene; si non

propter Deum ad me mitte eum.“ Apud Stilling: nro 100. Haec, certum, Adalbertum ex Polonia, postquam Hungaria excessisset, atque iam ad Prussos conuerterdos tenderet, anno proin 996. scripsisse, et quidem ad Stephanum, cui Gaudentium reliquerat magistrum, peculiari hoc Senioris magni titulo ideo insignitum, quia, viuo licet patre, habenas regni tenuit, ut explanauimus supra §. XXXVI. Jam tunc in consortium Stephani venerat Gisela, qui viuo adhuc patre dicitur nupsisse, pater autem anno 995-o V. Kal. Septembris teste Annalista Saxone ad h. an. est defunctus. De hac certum, viri sui animum ad fidem christianam induxisse, de qua scilicet Sigebertus Gemblacensis, auctor coaeuus ait: „Gens Hungarorum hactenus idololatriae dedita, hoc tempore ad fidem Christi conuertitur, per Gislam, sororem imperatoris, quae nupta Hungarorum regi, ad hoc sua instantia regem adduxit, ut se et totam gentem Hungarorum baptisari expeteret, qui in Baptismo Stephanus est vocatus, l. c. Id ipsum testimoniis iam pluribus supra arguimus. Simile quid de Sarolta haud comperimus: De ea Belae Regis Notarius haec habet dutaxat: „Geula genuit duas filias, quarum una vocabatur Caroldu, et altera Saroldu; et Sarolt fuit mater S. regis Stephani“ cap. XXVII. Chronicon Thurtotzii, quum de Gyula Transilvaniae Principe loquitur, ista subiicit: „Habebatque filiam, nomine Sarolt, pulcherrimam, de cuius pulchritudine prouinciales duces diutius loquebantur: quam Geysa Dux consilio et auxilio Beliud, qui terram Kulam possederat, duxit in uxorem legitimam“ P. II. cap. 5. Sed, inquires, christianitas apud Hungaros non est duce Gisela coepta, sed multis prius annis? Sit ita; ast biographus iste cum pluribus aliis hoc vel nesciuit, vel si sciuit, attendendum non putauit: quoniam certum est, christianitatem a Piligrini missionariis inter Hungaros coeptam, breui euanuisse, ac iterum per praedicationem Adalberti et aliorum inchoatam fuisse; ethnicismo inquinatam, usque dum ipse Stephanus, cum sociis eandem perfecisset, mansisse; quod Albericus his verbis confirmat: „Dicunt Hungari, quod S. Adalbertus regem Stephanum ad fidem conuertit et baptisauit; et ipse rex sua praedicatione Hungaros conuertit.“ Apud Leibnitz Acces. tomo II. p. 45.

§. 88. Alterum sententiae suae fulcrum idem Schwartzius a Bulosude repetit, arguens: Quae de Bulosude ad Augustam Vindelicorum capto, et ad crucem damnato Scilytzes Curopolata tradidit, vera sunt; ergo et caetera, quae praemitit vera esse debent. Hoc argumentum saepe laudatus Salagi acute redarguit: „Ego quidem nec Bulosudem ad Augustam suspensum, si solus, aliis cunctis tacentibus, traderet Scilytzes, crederem; admitto, quia et coeui et exteri consentiunt. Licet ergo verum sit Bulosudem ad Augustam captum, et laqueo enectum, non sequitur, ea etiam vera esse debere, quae ignorantibus aliis omnibus perhibet: Sane: etiamsi liberaliter demus, Bulosudem Curopolatae ipsissimum esse, quem nostri Bulsu dicunt, quae de ipso tradit, fidem superant: Ipsum primum Constantinopolim petiisse ad Baptismum suscipiendum, quem constat, a sanguine, quem sitiebat christianorum, Vêrbulchu dictum fuisse: „Sextus Capitaneus Vêrbulchu nomen habuit; qui circa Balatum sua tabernacula fixisse, probatur.“ Chr. Thur. P. II. cap. VIII. Poni-

tur ante pacem confectam, baptismumque susceptum, in Graecorum imperium exercitum ductasse: cuius Capitanei nostrates potes neulquam fuerant; ponitur Graecis fuisse limitaneus, cum tamen monumentis certioribus Moraviae praefuisse euincatur. Referunt quippe Moraviam iuris Hungarorum parte potiori factam; tum ad annum 952-um: Continebat hoc tempore in officio Moraviam pro Toxo, Hungarorum Duce, quidam eius gentis regulus, Bulzti sine Bulziko; eum ego existimo ipsum Bolusidem esse, qui ab Ottone (955.) captus et in crucem aetus est. Bulsuum ad Augustam captum, patibuli damnatum, dicunt pene innumerum; eundem christiana sacra amplexum, mox ad vomitum rediisse, nouit nemo: Fulcrum proin isthoc Schwartzii substaculo indiget. *)

§. 89. Religionem christianam inter Hungaros, Ecclesiae orientalis ministerio plantatam euicturus, ita denique argumentum concludit (cap. IV. p. 38): „Hoc capite Ecclesiae orientalis in Hungaros merita, ad eum locum, de quo detrusa sunt, restituere, eaque ab inerti obliuione, quae animum ingratum comitem trahit, vindicare est animus. — Erit igitur primus Hungariae Episcopus, Hierotheus, Hungaris ab Ecclesia Graeca datus; hoc minus nostris poenitendus, quo excellentior eius laus, dum vir pietate celebris audit; et a vero non abludit, plures cum ipso sacerdotes Constantinopli in Hungariam exmissos, etc. — Conclusionem hanc Schwartzii Stillingus l. c. ita dispungit: „Hierothei nullam vsquam mentionem apud Hungaros, Germanos, aut ullos Scriptores latinos reperio: nulla usquam exstant conuersionis per ipsum factae, nulla episcopatus ipsius vestigia; quin potius omnia persuadent, Hungaros multis adhuc annis aequae a fide catholica alienos fuisse, quam antea fuerant. Quapropter vehementer suspicor, Hierotheum illum; si reuera profectus sit in Hungariam, atque Episcopus Hungarorum ordinatus; nihil ibidem effecisse: nam si ipsius labore prima fidei christianae semina iacta essent in Hungaria, non tam ingrata fuisset posteritas, ut nomen

*) Idem Schwartzius testium suorum fide dignitatem ita etiam nititur vindicare: „Existimant multi Cedrenum, Scilytzem et Zonaram, alterum alterius dicta bona fide descripsisse. Verum an eiusdem homines aetatis, sine turpissima plagii nota, uno eodemque in loco, ac poene tempore, id facere potuerint, aut famae suae prorsus securi, id facere sustinuerint, non facile mihi persuaserim. Quid enim obstat, quo minus omnes ex eodem sua fonte hauserint? Unde illa in narrando similitudo, aliqua tamen etiam inque plurimis exstantior dissimilitudo.“ — Scilytzem, vero ita laudat: „Qui honore in aula imperatoria defunctus, in luce hominum agens, ignorare, quae vel suo vel non multo ante tempore acta fuerint, non potuerit.“ L. c. p. 39. — Ast ratione hac praepremis absoluendi forent a plagii crimine omnes coeui Scriptores: cum singuli sint famae nominis studiosi; excerptaque sua quadam cum alteratione reddere sint soliti. Testes Schwartziani eodem quidem saeculo XI; sed non eodem tempore vixerant: a Scilytze vetustiore Cedrenus et Zonaras seriores exscribere poterant. Ex fonte eodem coaeuo hausisse, cum illum nemo laudet, rerumque adiunctis contrarientur, nequaquam poterant. Author proin relationis Scilytzes habendus: quem Schwartzius indocte satis cum facit, qui quae suo vel non multo ante tempore acta fuerint, ignorare haud potuerit; cum tamen curator duntaxat fuerit palatiorum caesareorum, cui acta aulica patere nec debebant, nec poterant. En fucum Schwartzianum.

eius altissimo siuisset inuolvi silentio. — Salagius non nihil vehementius: „Com-
mentitium, ait, Hierothei in Hungaria episcopatum, fictitiamque Sacerdotum Grae-
corum missionem dicimus; idque non uno argumento euincimus: Ac primum qui-
dem in memoriam reuoco, quod alibi testatum reddidimus, ineunte seculo nono
a Iuuauensibus et Laureacensibus praesulibus gentes, quae Pannoniam et ulte-
riora incolebant, ad Christi fidem traductas, ab iisque Pannoniam ac Magnam
Morauiam, quibus Hungariae Regnum conflatum est, veluti Dioecesim possessam.
Hi duo Praesules regiones istas diligenter obseruabant, ac mirum in modum ca-
uebant, ne quis falcem in eorum messem inmitteret; ac si quis immisisset, coe-
lum terramque mouebant. Sane exploratum est, quas lites excitauerit euangelica
inter Sclauos Methodii praedicatio, eiusque episcopatus in Morauia, a sede licet
Apostolica erectus. Notum etiam est, quam plenam querelis epistolam Salisburg.
Laureacensis, ac caeteri Bauariae Episcopi ad Joannem IX. Pontificem exaraue-
rint, quod in Morauia legati Pontificii Episcopos ordinare praesumserint. Et quis
eos tacituros fuisse credat, si Graeci, auctoritate Patriarchae Constantinopolitani,
dioecesim ipsorum ingressi fuissent, Pontificiumque exercuissent? Id profecto fi-
dem omnem excedit, eoque magis, quod non facile quis hactenus inuentus sit,
qui violatos ab alio iurisdictionis suae limites, aut desidia, aut taciturnitate dis-
simularit. — — Piligrinus sua iura a Pontifice confirmari sollicite petiit, in laudata
episto'a, veritus, ne antiqua propter honorem Metropolitanum cum Salisburgensi-
bus contentio, hac occasione suscitaretur. Ast timere magis eisdem debebat a Grae-
cis, iam in Dioecesi sua, ut Schwartzio videtur, pedem figentibus; quippe qui
quod priores se ad conuertendos Bulgaros accessisse dicerent, praeterito saeculo
cum Latinis collidebantur, Bulgarosque orientali ecclesiae asserebant. Verum me-
tus huiusmodi ne minima quidem Piligrinus prodit indicia; proditurus vero, si
Graecos sacerdotes ab Hierotheo in Hungariam expeditos comperisset. — Narrat
Piligrinus Pontifici, nullius prouinciae sacerdoti in Hungariam usque huc, annum
974. aditum in Hungariam patuisse; christianos sub iugo Hungarorum degentes,
prohibitos fuisse a suis dominis, proles ad baptisandum publice offerre; conuen-
tus agere, oratoria construere: Haec quomodo vera, si ante Piligrinam expedi-
tionem iam Dux Geysa, totaque domus regia, Christo fuit initiata; si iam lae-
tissima, ut ait Schwartzius, credentium per uniuersam gentem, secundo quasi im-
bre irrigatam, seges exsurrexerat; si iam Hierotheus Pontificium in Hungaria exercue-
rat; si plures sacerdotes, qui sacris tractandis, iisque plus ultra propagandis in-
cumberent, constituerat? — — Denique idem Piligrinus testis est se inuitatu Hun-
garorum fuisse vocatum, rogatumque, ut aut ipse veniret, aut missionarios ad
ipsum dirigeret: — At quid opus erat Piligrinum, huiusque missos expetere, si
plures iam Graeci sacerdotes praesto aderant? Et si hi non sufficebant, cur non
potius Byzantium vel ad Hierotheum legatio expedita? Quae causa etiam tantae
mutationis, ut Hungari, ab orientalibus ritu graeco, si Diis placet, initiati, iam
Latinum praesulem latinosque sacerdotes petierint? Quae causa, quod a Graecis pa-
rentibus et magistris suis tam cito animum auerterint, et ad occidentales, sibi,

ut Schwartzius ait, eo tempore odiosos, repente se conuerterint? Rursus, postquam Pilgrinus missionarios suos in Hungariam expediuit, nulla hos inter et Graecos orta est contentio quemadmodum inter Charentanos et Methodium? Tum in Bulgaria inter Latinos et Graecos? Tale quid inter ipsos in Hungaria euenisse, nusquam legitur, sequitur ergo illam Graecorum missionem in Hungariam esse prorsus commentitiam.“
l. c. p. 174. sqq.

§. 90. Interest super hac lite criticum nostratem Historicum etiam audire: Stephanus Katona in Historia Ducum pag. 416. mentem suam sic aperit: „Ego vero Hierotheum nunquam in Hungariam venisse censeo; Gyulam enim, cum quo profectum eum Graeci tradunt, Turcorum quidem seu Hungarorum, in sola Transilvania fuisse Ducem, ex Anonymo docuimus; in Transilvaniam igitur adductus Hierotheus, si quod operae pretium fecit, illud non tam in Hungaris, quam Valachis, apud quos Graecus ritus obtinet, factum esse suspicor“. Sed satis facit minime: Gyulam enim in Transilvaniam iure absoluto dominatum, absque Toxi scitu et assensu Episcopum inducere potuisse, haud docuit. Ubi etiam huius episcopatus in Transilvania vestigium et memoria apud domesticos? Scilytzesque Curopolata per Hierotheum Hungaros, non Valachos, fuisse ad fidem christianam conuersos depraedicat. Tempus etiam Graeci ritus in Transilvaniam serius illapsi, in numero tenemus. Prius proin, quam quis huius Hierotheanae sedis, atque operae Apostolicae documentum dederit; arbitrabitur gloriam hanc coeptae per Graecos Sacerdotes Hungarorum, in Transilvania conuersionis a nemine Graecorum arrogatam, sed a Godefrido Schwartzio eisdem fuisse obtrusam.“)

VI. Status nouellae Religionis et Ecclesiae apud Hungaros aduersus.

§. 91. Post obitum Patris sui Stephanus, ad propagandam, firmandamque magis in animis Hungarorum salutarem Christi religionem, omni studio et opera incubuit, omniaque felicitis successus adminicula dispexit et conquisiuit; testante eodem Hartuico: qui l. c. p. 125. ait: „Post obitum vero Patris, Stephanus adhuc

*) Hanc, quam illustrauimus Hungarorum conuersionem, solitae Prouidentiae Diuinae opus fuisse, solitisque mediis peractam, merito laudamus: Illa in variis barbararum gentium in Imperium Romanum immigrationibus sese patefecit. Cum enim illae foeda barbarie inuolutae, vix scintillam diuinae notionis haberent, Deus, qui Doctrinam filii sui in omnes gentes diffusam esse voluit, barbaros illos in Romanum euocauit imperium, non tam ut scelera, quae iam mensuram impleuisse videbantur, ulcisceretur Romanorum, quam ut homines illos a ferinis moribus ad honestatem et rationem primum reuocaret, dein ad Ecclesiam etiam suam adduceret. Hinc est Francorum in Gallia, Longobardorum in Italia, Sclauorum in Illyrico, prima conuersionis origo petenda: quod nimirum nationibus christianis immixtae iisque familiariter coniucentes, primum quidem morum barbariem deposuerint, deinde placidiores effectae ciuilem etiam cultum admiserint, ac demum ex quotidiana cum christianis conuersatione rituum suorum agnouerint vanitatem, et ad veram Christi religionem peruenerint. Hoc fine maiores quoque nostri ex Scythia Asiatica exciti, in medio christianorum, in Pannonia positi, mores, doctrinas, sacra, ritus, mysteria, disciplinam, instituta Christianorum obseruarunt prius, mox audierunt, dein adoptarint quoque, denique cultus sui absurdam superstitionem. et morum immanitatem abiurauerint.

adolescens, fauore principum et plebis in patris solium laudabiliter prouectus, et ardentiori animo coepit veritatis propagator existere; quia quamuis adolescentiae annis floreret, non tamen cor in ore, sed os in corde habebat. Scripturarum diuinarum, quibus apprime flagrabat, non immemor, iudicium et iustitiam in oculis proponebat; et iuxta illud Salamonis; audiens sapientiam sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit. In omnibus itaque mandatis Dei fidelis dispensator existens; apud se coepit meditari, qualiter subiectum sibi populum unius Dei cultui manciparet. Sed quia perpendebat, id absque vicinarum gentium consideratione minime fieri posse; pacem cum exterarum prouinciarum populis habens, et fideliter institutam roborauit fidem, ut eo securius, quod in mente tractabat, et in nouella plantatione christianitatis explere sufficeret.“ Hoc eius studium depraedicat Chronicon etiam Thurotzi; P. II. cap. XIII. „Istorum comitum (auxiliarium) Stephanus fretus auxilio, et diuino potius, quosdam rebelles armorum terroribus, nonnullos voluntarie conuertit ad Baptismum.“

§. 92. Gentem, ethnicis superstitionibus innutritam, una ingenuam et liberam, qualem Hungarorum scripsit Leo sapiens, ad fidem Christi sine difficultate, impedimento, ac vi vi opposita potuisse conuerti, miraculorum fuisset maximum. Contentionem proin nouitii Principis, utut saluberrimam, in resistentiae scopulum impingere necesse fuit. Res has Bonfinius Dec. I. lib. X. p. 183. innuit, „Vehementer indolebat vir publicae saluti natus, progenitorum suorum feritatem nondum mitescere, eorumque labem adhuc aboleri non posse, aegre ferebat. — Quare sanctos undique viros acciri iubet, qui per Ungariae populos efusi, verae fidei rudimenta traderent; falsam ac barbaricam religionem abrogarent; erudirent ferros homines, eosque patria superstitione exuerent, et Jesu Christi nomen, unigeniti Dei filii, pro virili parte praedicarent. A principio maxima pars procerum haud parum regis superstitionem mirari coeperat, ac illud imprimis, quod eum caerimoniis potius, quam bello intentum conspicerentur. Quin et saepe incusare: parum sibi esse negotii, indicenda bella negligi, ad inediam et inopiam omnes extremam continuo redigi; nisi foris incursionibus et rapinis exercerentur. — Nec deerant quidam, maiestati regiae illudere ausi, et iam pro nihilo ducere; item qui imperia detrectarent, nec non et multi, qui profana mente vesanius agitati, stultitiam regis liberius increparent; quin etiam ac saepe ioco ab his multa, multa obiici serio solebant, quae animorum iniquitatem indicabant. Omnibus tamen, prout cuiusque res postulabat, prudentia regia recte prospexit: mites verbis, difficiles minis, obstinatos armis aliqua ex parte, perquam commode, curauit, ac diuinae lucis compotes effecit. Quum proceres, multique Tyranni obnixius reluctarentur, et longe maiora curanda esse, inclamarent; neque sua vi facile ipsos coercere posset, finitimorum auxilia implorauit, quibus ad veram sapientiam peruicaces animos retraheret. — Omnes finitimae regiones, quum christianum regem Ungaris imperare nouissent, insperato affectae gaudio societatem et foedera ultro detulere; — sperantes, si forte Ungari Jesu Christi fidem acciperent, ne amplius quidem

latrociniis ac caedibus grassaturos; diuino timore praeditos, scythicam facilius immanitatem exuturos.

§. 93. Primus impetus videtur exsertus in eos Germanos, quos in Hungariam confluxisse meminimus: id enim innuunt haec Stephani verba, quae literis, abbatiae S Martini datis inseruit: „Ingruente namque bellorum tempestate, qua inter Teutonicos et Ungaros seditio maxima excreuerat“ Hospites istos non ob sola latitundia et praerogatiuas, quibus donati erant, fuisse impetitos; sed ea etiam indignatione, quod sacra christiana detestarentur, et illorum opera ad eradicandum ex Hungaria auitorum sacrorum cultum Princeps Stephanus uteretur. His igitur iniuriis, ut putabant instincti; furorem suum in illos expromserunt, nec eorum praediis pepercerunt, nonnullos etiam seruos, ex aduenis potissimum christianis conflatos, interteremerunt; uti Hartwicus memorat: „Sed aduersarius, inquit, totius bonitatis, inuidiae plenus ac malitiæ, diabolus, ut sancti Tyronis propositum disturbaret, intestina bella contra eum commouit: quoniam eius instinctu plebs gentilis christianae fidei iugo colla submittere renuens, cum Principibus suis a dominio ipsius se subtrahere moliebatur. Coeperunt enim urbes desolari, praedia vastare, possessiones depraedari, seruos caedere, et ut caetera sileam, ipsi insultare“ pag. 125—6. Sed tumultum hunc potius, quam bellum fuisse, nec multo post repressum, inde colligimus, quod deinceps quoque laudati hospites et latifundiorum et praerogatiuarum compotes manserint.

§. 94. Primus Hungarorum, qui contra articulum compactorum quartum fidem Principi debitam infringere ausus erat, Cupan Dux Simighiensis, domui Arpadianae quadam cognatione nexus, eleuato seditionis signo fuit: „Mortuo tradit Chronicon Thurutzii Part. II. cap. XXVIII. Geycha Duce, Cupan voluit matrem sancti regis per incestuosum copulare connubium, et sanctum Stephanum occidere, ducatumque eius suae subdere potestati: hic fuerat Dux Simigiensis.“ Bonfinius Dec. II. lib. I. rem ita explicat: „Nouitatis huius auctorem, Cupam Calui Zirindi filium, qui defuncto Geysa, Stephani matrem, per adulterium in coniugium allicere conabatur, ut eam nactus uxorem, Stephani vitam dolis interciperet, ac rerum denique potiretur.“ Quod reipsa Cupan principatum ipsum inuadere uoluerit, ipse Stephanus in literis coenobio S. Martini datis, ita perhibet: „Quum ciuilibus belli ruina urgeret, volente comitatu quodam Simigiensi me paterna sede repellere, quid fluctuanti animo consilii darem, quaque me verterem, tanta fractus verecundia, astantibus ducibus, videlicet Poznano, Contio, Orzio, domino quoque Dominico archiepiscopo, votum voui S. Martino, quod si de hostibus interioribus et exterioribus eius meritis victor existerem“ etc. Et quia bello huic auitarum superstitionum abolitionem praetexebat, nullo negotio plurimos ex iis Hungaris, qui patrios ritus deperierant, in suas pellexit, ut Hartwicus ait, partes.

§. 95. Stephanum monitis, praeceptis, et armis deponere iussis, seditionem sopire studuisse, atque contra pertinaces, ac violentos bellum apparasse, iisdem testimoniis constat: „Quumque declinare de sua via peruersa nollent, pergit Hartwicus, nec furor eorum satiaretur: dux ipse confidens de aeterna virtute, ad su-

perandam hostium rabiem cum multitudine exercitus sui sub vexillo Deo dilecti pontificis Martini, sanctique Martyris Georgii, processit.“ Teste Thurotzii Chronicon: „Hunt et Paznan, Sanctum Stephanum regem in flumine Garam gladio, Teutonico more, accinxerunt. Stephanus autem S. conuocatis Proceribus suis, per interuentum beatissimi Martini confessoris, diuinae misericordiae implorauit auxilium. Postmodum vero, congregato exercitu, perrexit obuiam hosti suo, et ad custodiam corporalis salutis suae duos principes Hunt et Paznan constituit, totius autem exercitus sui principem ac ducem Vecellinum hospitem, Alemannum genere, praefecit.“ Ita etiam diplomate laudato: „Votum voui Sancto Martino, quod si de hostibus interioribus et exterioribus, eius meritis victor existerem; supra nominati Comitatus decimationem de omnibus negociis, praediis, terris, vineis, segetibus, vectigalibus, vinoque hospitem, quod in praediis eorum cresceret, ne parochiano pertinere videretur, sed magis abbati eiusdem monasterii, sub testimonio praefatorum ducum, multorumque comitum absque ulla mora subiugarem.“ — Mox addit causam: „Necdum episcopatus et abbatias, praeter ipsum locum, in regno Hungarico fuisse.“

§. 96. Cupan seditionis principe, cum asseclis victo, Stephanum voti damnatum fuisse, iidem testes perhibent: „Illis forte diebus, ait Hartwic saepe laudatus, p. 126. urbem, quae vulgo Besprem nuncupatur (seditiosi) obsederunt, et haec ad conuitia eius (Stephani) commouentes, scilicet ut ubi ducalis conuersatio habebatur, et ibi confiderent, quo facilius ingressus ad alia praesidia occupanda inueniretur. Ipse vero diuina praeuente clementia, aduersus eos consurrexit, et hic in fide, illi vero tantum in armis confidentes, utrinque decertauerunt. Tandem hostibus victis, et ex parte captis, et alligatis, Dux victor cum suis victoriae dona reportauit. — Nihil de eorum rebus ad opus sui reseruans, inito cum Theophilis consilio, monasterium, iuxta fundum sancti Praesulis, in loco, qui sacer mons dicitur, ubi Sanctus Martinus, dum adhuc in Pannonia degeret, orationis sibi locum assignauerat, in titulo eius coeptum, possessionibus et redditibus tam in agris, quam in villis, sufficienter ditauit.“ Haec omnia breuiter Chronicon Thurotzii P. I. c. XII. „Commisso itaque praelio, inter vtrumque (Cupan, et Wencellinum) diu et fortiter est dimicatum; sed diuinae miseracionis auxilio, beatus Stephanus dux gloriosam obtinuit victoriam. In eodem autem praelio Wencellianus comes iuterfecit Cupam ducem, ac largissimis beneficiis a beato Stephano, tunc Duce remuneratus est. Ipsum vero Cupam beatus Stephanus in quatuor partes fecit mactari: primam partem misit in portam Strigoniensem, secundam in Wesprimiensem. tertiam in Jaurinensem, quartam autem in Erdeli.*)

*) Bellum a Cupan, Comite Simeghiensi, contra Stephanum Ducem motum, sic enarrat idem Kerzius: „Unter den Ungarn gab es bis jetzt (997.) nur wenige Christen. Die Masse, und der Kern des Volkes waren heidnisch. — So lange Geysa lebte, hielt Furcht vor dessen Strenge jeden Ausbruch ihres Unwillens zurück. Aber dafür ward nun auch sein Tod für alle Heiden ein allgemeines Signal, zur Vertheidigung ihrer

VII. Status nouellae Religionis et Ecclesiae apud Hungaros prosper.

§. 97. Stephanus Dux, hostium metu liberatus, omnem deinceps conatum eo conuertit, ut populares suos, armorum terrore pulsatos, ad detestandam, abiiciendamque ethnicam superstitionem, veramque Christi religionem amplectendam adduceret. Pias eius industrias, quibus usus fuerat, Hartwic ita prodidit memoriae (l. c. p. 127) „Deuictis ergo hostibus, Christi miles, gaudio spirituali repletus, totius ingenii consilium, euangelii decreuit seminis fore receptaculum; eleemosynis et orationibus vacans, frequenter pauimento sanctae domus adhaerens, lachrymis effusus, perfectionem propositi sui Deo commisit volenti, ut, qui sine ipso nihil agere valeret, opitulante dispositionis expletione, bonum, quod cogitauerat, cum inceptione virtutum, ad finem perducere posset. Ad hoc ergo incipiendum et consummandum, quoniam fidelium Christi consultum habebat necessarium, nunciis ac literis, in omnes partes suum diulgauit desiderium. Inde multi presbiteri et clerici, spiritus paraclleti compuncti visitatione, relictis sedibus propriis, elegerunt pro Domino peregrinari. Abbates et Monachi, nihil proprium habere cupientes, sub tam religiosi principis moderamine, regulariter viuere deliberauerunt. Inter quos vitae regularis pater Astricus cum suis discipulis aduenit: quorum unus nomine Bonifacius in loco patris abbas deinde constitutus, dum a beato rege causa praedicationis in inferiores Hungariae partes esset missus, in verticem percussus gladio, licet postea superuiueret, non est priuatus martyrio. Venerunt et alii duo de terra Polonicensi, eremiticam vitam causa contemplationis eligentes, quorum unus Andreas nomine, per professionis meritum angelicis choris est associatus, testibus miraculorum signis, per ipsum a Domino factis; alter Benedictus,

Götzen, zu den Waffen zu greifen. In allen Bezirken und Distrikten Ungarns wehete jetzt auf einmal die Fahne wilder Empörung. Das Haupt derselben war ein Magnat Namens Zezgar, durch ungewöhnliche körperliche Stärke, und schon oft erprobte persönliche Tapferkeit. — Mit jedem Tage vermehrte sich die Gefahr für den Herzog, und schon riethen ihm seine Getreuen, seine Residenzstadt Strigonium (Gran) zu verlassen, und in Deutschland Hülfe zu suchen. Stephan verwarf diesen kleinmüthigen Rath, zog in der Eile so viele Truppen, als er konnte, zusammen, rückte er in festem Vertrauen auf göttlichen Beistand dem Feinde entgegen. Einige tausend Christen dienten in seinem Heere, und vor demselben wehete die Fahne des Heils, mit den Bildnissen des Heiligen Martins, und Georgs. Zezgar stand vor Veszprim (Weisenburg, sic). Zum erstenmale erschien zwar jetzt der junge Monarch in der Würde eines Feldherrn an der Spitze eines Heeres, aber dennoch entdeckte sein kriegerischer Scharfblick, als er die feindliche Linie recognoscirte, sogleich die schwachen Punkte ihrer Position, concentrirte alle seine Kräfte gegen dieselbe — sprengte dessen Centrum, und griff nun die von einander getrennten Heertheile, mit gleichem Erfolge in ihren Flanken an. — Ueberall ward der Feind geworfen und zurückgedrängt, und endlich total geschlagen. Vollständig war die Niederlage der Aufrührer; das Schlachtfeld mit ihren Leichen bedeckt, und die meisten der Grossen die der Fahne des Empörers gefolgt waren, und Zezgar selbst lagen unter den Todten.“ L. c. p. 417—18. — Cum tamen tota pugna ad Veszprimium, non Albam regalem, personali Wencellini, Ducis Stephani, cum Comite Cupan congressu sit confecta.

pro Christo sanguine fuso, misericorditer laureatus. Astricus Abbas, cum suis honorifice susceptus, ad radicem montis ferrei coenobium, sub titulo sancti Patris Benedicti, construxit et ibi usque hodie congregatio monasterialis, disciplina regulari pollens, temporalium sustentatione copiarum, ex donatiuis sancti Ducis, superabundans, non est alicuius egens, nisi ut suos et aliorum pedes secundum euangelium, quotidianis precibus et lacrymis lauet. Cum his Dei seruis, princeps Christianissimus, aliquando comiter cum omnibus, aliquando singillatim cum uno quoque eorum colloquium habens, in tam diuinis conspectibus se probabilem reddidit, ut omnes militiae suae comites ad veri Dei culturam conuerteret. Quos vero alienae sectatores viae reperit, minis, terroribusque subiugauit, ipsosque secundum ecclesiasticam doctrinam instituens, iugum et legem disciplinae suppositis ceruicibus adhibuit, omnesque immunditias malorum prorsus destruxit.“

§. 98. Uberiorem victoriae per Stephanum relatae fructum recitat Ranzanus Indic. VIII: „Ita breui effectum est, ut pars metu, pars salubri adducti consilio, in Christum uniuersa Hungaria credens, christianae fidei sacramenta suscepit; erecta igitur ubique Dei et beatae Mariae Virginis et caeterorum Sanctorum templa, constituti praecipuarum Ecclesiarum antistites et presbiteri, ceterorumque ordinum sacerdotes, qui Dei laudibus inseruirent; christianae leges ac ritus, sacraeque cerimoniae inductae; sanctorumque Patrum decreta seruari praecepta: constituta praeterea ea, quae sunt usui humanae vitae necessaria; ex quibus clerici honorifice in suis Ecclesiis uiuerent.“ Item Bonfinius loco praecitato: „Quare, quum nostri Saluatoris nomen per Pannonias libere promulgaretur; falsum Deorum cultum, homicidia, furta, crudelitatem, publice abominari fere coepere omnes: item praelibare fidei dulcedinem, utramque intelligere charitatem, pietatem, et iustitiam amare, detestari falsa numina, et diuino denique amore succendi. Stephanus quoque sacras aedes erigere, disponere collegia sacerdotum; rem sacram quotidie facere, exemplo suo alios cohortari.“

§. 99. Episcopos, quibus ante conflictum cum Cupan inicum ex omnibus facultatibus decimas dare, iuxta Hartwicum l. c. p. 127. vouit, constituit etiam: „Post haec prouincias in decem partitus Episcopatus, Strigoniensem Ecclesiam, metropolim et Magistram ceterarum fore constituit. Cognoscens vero prudens Dux praedicti Astrici religionem, pontificalis ipsum dignitatis infula decorauit, electione canonica sublimauit, et Colocensis episcopatus dignitatem ei contulit.“ Quotnam a primordio constituerit episcopatus, decem ne cum Metropolitana Strigoniensi? vel decem praeter Strigoniensem? quaestionem hanc acerbis litibus obtritam, clarificauit satis condito Csanadiensi episcopatu dicens: „Voluntatis quidem meae fuit duodecim episcopatus, quos in regno meo facere decreueram, episcopis impleri; sed retardatus fui, aliorum voluntate — nunc ergo episcopatum tibi tradimus.“ In Biographia S. Gerardi cap. XI. *)

*) Jus Episcopos nominandi sua apud nos a principio habuit fata: Sub Duce Geysa Benedictum VI. Papam a Piligrino, Lauriacensi Episcopo, ac primo fidei

§. 100. Episcopatus, quos constituerat Othonis III. Imperatoris consilio, mox a Sede Apostolica confirmari petiit; una coronam etiam regiam ac benedictionem sibi dari, Astrico Colocensi Episcopo electo, Romam destinato: „Imperatoris autem praedicti gratia et hortatu, gener Henrici, Ducis Bauariorum, Waic, in regno suo episcopales cathedras faciens, coronam et benedictionem accepit,“ scribit Ditmarus Episcopus Annal. Lib. IV. Uberius Hartwicus: „Quarto post Patris obitum anno diuina commonente clementia Stephanus eundem Astricum Praesulem, qui alio nomine Anastasius dictus est, ad limina Sanctorum Apostolorum misit; ut a successore S. Petri Principis Apostolorum postularet; quod nouellae Christianitati exortae in partibus Pannoniae largam benedictionem porrigeret, Strigoniensem Ecclesiam in Metropolim suae subscriptionis auctoritate sanciret, et reliquos episcopatus sua benedictione muniret; regio etiam diademate dignaretur ipsum roborare, ut eo fultus honore, coepta per Dei gratiam posset solidius stabilire.“ l. c. pag. 130. Schwartzius totam hanc legationem, ut coronam missam sedi Romanae abiudicare possit, perfracte negat; dum coronam origine latinam demonstrabimus, insolentiam eius una denudaturi.

1.) Stephanus Apostolicus, Rex Hungariae.

§. 101. Stephanus coronam Boleslao Poloniae regi paratam et addictam, coelesti praemonitu, a Syluestro II. Romano Pontifice, facile obtinuit: factum idem Hartwicus hisce refert: „Eodem forte tempore Mischa (Boleslaus) Polonorum Dux, Christianam amplexus religionem, cum suis, missis ad Romanae Sedis Antistitem,

apud nos praedicatore, sub anno Christi 974. interpellatum, uam fuisse iure nominandorum Episcoporum, ex eiusdem literis ubertim claret. Illud Geysam sibi aut arrogasse, vel usurpasse, nullum indicium. Post patris obitum, Stephanum canonicae Praesulum electioni locum dedisse, cum illius antiquos et temporis sui Principes imitandi propositum, tum Astrici electio canonica, persuadet: Id temporis enim Episcoporum institutio electione canonica, cum regio tamen consensu, vigeat: V. Battyanyium de Legibus Ecclesiasticis Tom. I. pag. 12, Astricum vero canonica electione consensum Stephani nactum et a Pontifice confirmatum fuisse, expressis verbis perhibet Hartwicus l. c. p. 130. Eundem Regem, vice Apostolica, et Ecclesias disponendi auctoritate a Romana sede munitum, suomet iam arbitrio instituisse Episcopos, multis argumentis fit luculentum: Nam contestatur verbo: „Talem se consecutum auctoritatem, ut quibus vellet Ecclesiis, seu monasteriis, libertates et dignitates conferret.“ Dipl. anni 1037. Et iuxta Hartwicum l. c. nuper coepta Episcopia, reditionibus auxit, unicuique semper praeficiens idoneum Praesulem.“ Tum factis: Et vero Sebastianum, antea Monachum, ob vitae merita, Pontificali honore dignum iudicans, regendo Strigoniensi Archiepiscopatu praeficit.“ Ibid. Maurum quoque, perinde Monachum, in Episcopum Quinque-Ecclesiensem sublimauit.“ Apud eundem. Et urbis Morisanae Praesulem destinauit Gerardum Monachum, Venetiis in Ungariam delatum, qui ab ea die vocatus est Electus; licet post septennium duntaxat aggressus fuerit munus pastorale. In vita eiusdem. Sed nec confirmationis iam a sede pontificia petita ullum vestigium. — Quale ius hoc regium subiuerit vices, ordinis est sequentis.

nunciis, Apostolica fulciri benedictione, ac regio postulauerat diademate redimiri. Cuius petitioni annuens Papa, coronam egregii operis, parari iam fecerat, quum illi eum benedictione et regni gloria mittere decreuerat; sed quia, nouit Dominus, qui sunt eius, qui e duobus per Apostolos in apostolatus ordinem sorte electum Mathiam praetulit, et apostolicum fecit supplere numerum, illa corona ipsum decorauit, postmodum eum feliciter decoraturus aeterna. Praefixa itaque die, qua parata iam corona praedicto Polonorum Duci iam mittenda foret, nocte, quae praecedebat, Papae per visum Domini nuncius adstitit, cui et dixit: crastina die, prima diei hora, ignotae gentis nuncios ad te venturos esse, cognoueris; qui suo Duci coronam a te regiam, cum benedictionis Apostolicae munere, flagitabunt. Coronam ergo, quam praeparari fecisti, eorum Duci, prout petierint, cures sine contradictione largiri: sibi enim eam cum regni gloria, pro vitae suae meritis scitum deberi." Factum hoc admittunt Poloni quoque unanimi consensu: Martinus Gallus, qui sub initium saeculi XII. vixit, haec de eadem re scripsit: (Edit. Gedan. pag. 76.) „Miesko, Dux Poloniae primus Christianus effectus, ad Dominum Papam Leonem (Syluestrum II.) solemnes nuncios misit, et ab eo regni Poloniae coronam sibi dari humillime postulauit. Quumque summus Pontifex suae petitioni benignum assensum praerberet, et corona miro opere fabricata esset; ecce ex Hungaria eodem tempore veniunt Romam nuncii missi, petentes, dominum suum Stephanum regio diademate insigniri. Quumque in crastino legatis Poloniae dari corona debuisset; ecce eadem nocte Papae per visum Angelus Domini apparuit, et Duci Stephano eam dari praecepit."

§. 102. Astrico causam legationis feliciter exponente, Syluester II. Papa, non Boleslao Poloniae, sed Stephano, Hungariae Duci attribuit, cum benedictione ac cruce Apostolica: „Juxta ergo huius visionis modum prosequitur Astricus, praescripta sequentis diei hora, Praesul Astricus ad Papam peruenit, qui officium iniunctum sibi prudenter exequens, et sancti Ducis gesta referens ordine, ab Apostolica sede promptissimus insignia postulauit; indicans, eum dignum tali honore ac dignitate, qui plures gentes per Dei adiutorium sibi subiugasset, et multos infideles, per suam potentiam, ad Dominum conuertisset. Quibus auditis gaudens valde Papa Romanus, cuncta prout fuerant postulata, benigne concessit, crucem insuper anteferendam Regi, velut in signum Apostolatus misit: ego, inquiens sum Apostolicus, ille vero Apostolus, per quem sibi tantum populum Christus conuertit. Quapropter dispositionem eiusdem, prout diuina gratia ipsum instruit, Ecclesias Dei simul cum populis, nostra vice, iure ordinandas relinquimus. Impetratis ergo omnibus, prout petiit, Praesul Astricus laetus ad propria remeauit, secum ferens, propter quod inceptum iter prospere peregerat." — Id ipsum probant litterae Syluestrinae: „Quare gloriose fili, cuncta a nobis et sede apostolica postulata, diadema, nomenque regium, Strigoniensem Metropolim, et reliquos episcopatus de omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate, praemonente atque ita iubente eodem omnipotente Deo, cum apostolica et nostra benedictione, libenter concessimus, concedimus, et impertimur."

firmat Dithmari Mersenburgensis testimonium prae laudatum: „Imperatoris autem praedicti (Othonis III.) gratia et hortatu, gener Henrici, Ducis Bauariorum, Waic, in regno suo episcopales cathedras faciens, coronam et benedictionem accepit.“ Consentiant Diplomata Regia: Andreas II. ad Jacobum Praenestinum ita scribit anno 1238. „Hunc Regem intelligimus beatissimum Stephanum, gentis Ungaricae primum regem, qui ad regni solium, auctoritate propria noluit sublimari, — et ideo non a quolibet, sed a vicario Jesu Christi, et Petri beatissimi successore per reuelationem diuinam, summo pontifici factam, assumpsit regni diadema.“ Dein Ladislaus IV. ad an. 1279. ita de Stephano loquitur: „Non a se, vel ab alio, sed ab eadem Romana Ecclesia, matre omnium et magistra, regni diadema, reuelatione diuina, meruit obtinere.“ In Cod. Diplom.

§. 103. Astrico oratore, sub exitum mensis Martii Roma domum reuerso, cum nuncio Pontificio, quem Benedictum de Wetta fuisse, e monumentis Pezzanis (Parte III. p. 232.) colligimus, sacrisque insignibus in regnum adlatis, mox ad coronationis solennia peragenda processum est; quae Hartwicus paucis complectitur: „Benedictionis ergo Apostolicae litteris cum corona et cruce simul allatis, Praesulibus cum clero, Comitibus cum populo, laudes congruas acclamantibus, dilectus Deo Stephanus, Rex unctione Chrysmali perunctus, diademate regalis dignitatis feliciter coronatur.“ l. c. p. 134. Ritu a Syluestro Papa praescripto redimitum fuisse, ex his epistolae illius verbis colligimus: „Corona, quam mittimus, rite iuxta formulam legis tuis traditam coronatus.“ E literis Ladislai Chuni memoratis, constat Stephanum Strigonii, non Albae, fuisse coronatum. Ab Episcopo Strigoniensi suscepisse coronam, indicare videtur, vetustissimum etiam capituli Strigoniensis sigillum, ex una parte Archiepiscopum, coronam regis capiti inponentem, ex alia parte Stephanum regem cum hac epigraphe S. coronatur.“ exhibens. Breue Chron. M. S. Seculi XIII. ineuntis diserte anno 1000. coronationem peractam habet; vetustissimum autem breuiarium diem assumptae in Coelos Virginis sacrum, huic solennitati tribuit.

§. 104. Nihil non egit idem Godefridus Schwartz, ut originem Coronae etiam regni Hungariae Latinam denegaret; eam dicere sacram, plane abhorruit. A contribulibus in eius seruiliter itum est sententiam; licet Ill. vir Petrus Révay, coronae dudum a custodia, a sacris Catholicis peraeque alienus, eiusdem Roma submissionem, commentario de Corona Sacra, ea dilucidauerit doctrina, et pietate, qua nulla in Europa corona gloriatur. Sententiae, non veritatis studio, sed apostolicae sedis odio nixae, nostrates doctissimi semet opposuerant, hoc quoque in argumento Praesultore Joanne Stilingo. Liti, acerbitatem usque ductae, finem, aut modum fecit vir de re literaria ecclesiastica praeclare meritis, Josephus Koller, Quinque-Ecclesiensis Ecclesiae Canonicus, commentario de sacra regni Hungariae Corona, in forma quarta anno 1800. Resultatum eius est: Coronam regni nostri e duabus: superiori, clausa, latina, et inferiori, aperta, graeca esse unitam; Latinam quidem a Syluestro II. Papa repetendam. Ita constitutam esse, cum et mihi singularis obtigerit Coronam regni oculis meis usurpandi, ac iuncturam

manibus contrectandi, fortuna anno 1830-o; asseueranter ausim confirmare. Rem omnem propter eos, qui commentario laudato carerent, ab origine recitemus. *)

§. 105. „Anno, inquit MDCCXCII. dum regni Ungariae comitia Budae habebantur, et solennibus inaugurationis clementissimi regis nostri Francisci, die VI. Junii peractis, cuncta insignia regni in templo Palatii regii castri Budensis, diebus VII. VIII. IX. spectanda proponebantur; ego, venia celsitudinis regiae, serenissimi Principis Leopoldi Alexandri, Archi Ducis Austriae, Proregis nostri, anno MDCCXCV. praematura morte sublato, impetrata, fauentissimis Excell. ac Illust. Comitibus Josepho Keglevich, postea Agazonum regalium magistro, et Michaele de Nádasd, Duum viris coronae custodiendae, coronam, sceptrum, pomum, pallium et ense, sub oculis meis depingi curavi, atque uti ad exemplum ad archetypum omnino exigeretur, sollicite adlaboravi. Habebam curae illius socios, clarissimos viros, Stephanum Schönwiesner catholicum Sacerdotem, antiquariae rei numerariae;

*) Saeram coronae regni Hungariae originem, contra eundem Schwartzium, Vir Clar. Szarka coniect. p. 50. ita arguit: „Quid est, quod omnes scriptores exteri, sole sub occiduo clari, D. Stephanum primo, deinde reliquos post eum, inter Hungaros principatum adeptos, constanter reges, nunquam duces salutant? secus ac illos, qui praecesserunt? — Hos enim scriptores rebus gestis aequales et posteriores, vel duces, quod maxime omnium receptum, vel rectores, vel regulos, vel aliis nominibus indecoris appellant. Tanta autem Scriptorum, D. Stephanum et sequutos eum Principes, regum nomine appellantium, temporum locorumque interuallo, disiunctorum, qui transigere ea de re, inter se colludere, mutuo se transcribere non poterant, concordia, miraque consensio et consuetudo perpetua clamat profecto, quiddam memorabile intercessisse, quod tot Scriptorum verteret stilum, ut quos antea diuersis nominibus appellare soliti sunt, iam demum D. Stephano constantis sumto nominis initio, Reges salutarent; agnoscerent, agnitosque ab aliis testarentur. Finge vero D. regem solius gentis Hungariae, arbitrio regem electum, coronatum, proclamatumque: nullius vero intercessisse auctoritatem, a qua subito mutatae apud externos appellationis, a stilo tam dissitis in prouinciis scribentium profectae, causa esset repetenda; num illud Hungarorum, quos dico plurimi odio sunt persecuti, nouum licet institutum efficere tantum poterat? Finge porro, Giselam, Henrici, Ducis Bauariae filiam, connubio nuptam D. Stephano, aliquid ad eam rem contribuisse; tantam animorum consensionem id coniugii foedus sancire profecto non potuit. Caesaris auctoritate, et sceptrum regale, nomenque in Hungariam introductum, et illius imperio Scriptores modestiores factos, nemo, quod sciam, idoneus auctor narravit; nec ullum apud viros sacri ordinis, quales erant eius aevi scriptores Historiarum omnes, imperatoris edictum in omnibus prouinciis valuit, ut principes nostros suauia concordia reges appellarent, idque in consuetudinem verterent. Pontificis Maximi auctoritas, nutus, exemplum, quin praestare eam concordiam potuerit, atque unus ille tanto negotio, illa aetate, suffecerit, nemo ambiget. Qui licet nullum edictum per orbem christianum miserit ea super re, quod nec legimus factum, nec fuit necessarium; idem tamen mittenda corona, Ditmaro memorata, efficere potuit, ut didita per orbem nouae rei fama, factum proclamaret, augustumque, qui coronam vertice gereret, habendum indicaret. Raque, etiam si omnia, quae domi habemus, annalium, tabularumque monumenta, memoria item omnis per manus tradita, consuetudinesque, vetustatis testes, in dubium, velut suspecta reuocentur, ex dictis tamen, primum D. Stephano coronae honorem, et interuentu quidem Pontificis maximi eouligiae, emersi potest.“

Martinum Schwartner, Augustanae confessioni addictum, diplomatum disciplinae, in regia scientiarum Uniuersitate Pestensi, publicos Professores, ac Bibliothecae Custodes; Josephum item Szombati, in collegio Sáros-Patakiensi, Helueticae Confessionis, Historiae Ecclesiasticae Professorem: qui et sua sponte, et ut pro ea, qua praediti sunt humanitate, mihi gratificarentur, horas aliquas contemplando ea insignia, et cum picturae lineamenti comparando insumserant. — Inscriptiones Graecas simul et Latinas, Excell. ac Illustr. Stephanus Stratimirovich, Archiepiscopus et Metropolitae Carloviczensis, et Ill. Dnus Dionysius Popovich, Episcopus Budensis (eorum uterque, qui se Graeci Ritus non Unitos inscribunt) graecas inscriptiones ratas habuerunt, et archotypis plane congruere fassi. — Pictorem adhibui Joannem Lippert, eundem, qui Excell. ac Illustr. L. B. Ladislai Orczy, Excelsae Camerae R. Ungariae V. Praesidis, iussu, et impensis anno MDCCXC-o Budae, tempore priorum Comitiorum, sacri huius diadematis imaginem, eius, quem nunc laudau, Moecenatis liberalitate vulgatam ediderat. Noui-simae picturae pretium est, quod Coronae non modo prospectum, verum etiam omnium, quae in corona, quacunque ex parte spectetur, conspici possunt, adaequatam effigiem prima exhibeat; asseuerareque liceat, priores imagines, quatenus ab hac differunt, ab ipsa corona differre. — Saepe coronae imaginem in tria partiri segmenta necesse fuit; Pars aduersa Tabula I. auersa, Tabula II. vertex, et quae sollicita duntaxat indagacione animaduerti possunt, Tabula III. exhibentur; atque, ut facilius agnoscantur, notis literarum designantur.

§. 106. Descriptio Coronae latinae Tabula I., II. et III., A. Est pileus forma globi dimidii, ex panno aureo; infima sui parte Coronae graecae apertae adstrictus; et intus assutis panni serici puluinis exilibus, eius, cui illa imponenda est, Principis capiti accomodatus. B. Crux aurea in vertice coronae tota conspicua. Eadem Crux pro variato coronae motu, laxatis basis, cui innititur, spaciis, in quamlibet partem inclinatur. — Sub cruce hac aurea est figura Christi sedentis, utrinque arbor superiori parte in conum curuatum desinens; circum Caput circulus, quem taenia ad crucis formam, imaginum Seruatoris propria intersecat; ad dexteram Sol, ad sinistram Luna; tum imagines Apostolorum cum inscriptionibus latinis, Tabula III. conspicuis. Et quidem in parte aduersa, seu fronte Coronae, infra effigiem Christi: Sanctus Johannes, literis contractis; infra hanc Bartholomaeus. In abside dextera itidem infra effigiem Seruatoris: S. Petrus, infra hanc: S. Andres. In abside sinistra infra effigiem Seruatoris: S. Paulus. Infra hanc S. Philippus. In parte auersa, infra eandem effigiem: S. Jacobus, infra hanc S. LTHOMAS = Thomas. Absides hae se intersecant, atque quemadmodum inserto digito meo exploratum, certumque habeo, usque ad coronae partem infimam, quae Regis tempora ambit, protenduntur: tab. I. et II. — Imagines SS. Bartholomaei, Andreae, Philippi Thomae sunt integre conspicuae, reliquae omnes inferiores quadamtenus imaginibus et ornamentis coronae graecae obteguntur.

§. 107. Descriptio coronae inferioris apertae: huius inscriptiones sunt omnes graecae; nihilque continet, quod latinae originis recte statui possit: Tab. I. in

fronte loco superiori: Imago Seruatoris, a priori multum dissimilis, iuxta caput a dextris videtur IC, seu Jesus, a sinistris: XC, seu Christus. Inferiori loco ad dextram Imago S. Michaëlis Archangeli, ad laeuam S. Gabrielis Archang. In medio S. Georgii, et S. Demetrii, cum suis nominibus contractis. In parte auersa: Imago Michaëlis Ducae Imp. Constantinopolitani. Loco inferiori ad dextram: Constantini Porphyrogeniti, Imper. Constantinop. Eodem inferiori loco ad sinistram Imago Geobitzae regis Turciae; in infimo loco auersae partis coronae: imago S. Daminiani Martyris Tab. II. Eodem loco ad sinistram in extremo: S. Cosmae; cum suis inscriptionibus graecis contractis. *)

§. 108. Discrimen inter utramque manifestum: „Coronae latinae auri color in aliquibus partibus profundior est, quam in Corona graeca; discrepat artificium imaginum; discrepat gemmarum ratio. Imagines in corona Latina rudiori manu elaboratae pro eo, quod artes in occidente dudum collapsae, apud Graecos aliquem dignitatis gradum etiam tum retinuerint; Gemmae in corona Latina exiles, in Graeca grandiores. Uniones in Latina minores, in Graecae fronte, parte item auersa, paulo maiores; huius vero summo loco eadem tabula II. omnino magni conspiciuntur. Quod discrimen, quemadmodum expertus sum, adeo doctorum et indoctorum, virorum ac mulierum, qui ad spectandam coronam confluerant, oculos perstrinxit, ut uno fere ore duplex id esse opus, duplicem coronam faterentur. His accedit: quod si opus unum haberet auctorem, incredibile habeatur, potuisse fieri, ut imagines quatuor Apostolorum, nonnullae inscriptiones, gemmae, uniones, quae omnia ad spectaculum artifex molitus est, atque studiose disposuit, intuentium oculis patere non possent. — Quamobrem merito existimo, coronam, priusquam in Graecam insereretur, non solum integras Apostolorum Bartholomaei, Philippi, Andreae, Thomae, imagines, verum etiam in fascia infima reliquorum Apostolorum, Angelorum et Sanctorum Martyrum imagines, gemmis atque unionibus distinctas, aspectandas praebuisse; — atque latinam clausam et angustiozem, in graecam apertam, et ampliozem, accomode insertam fuisse.“ Pag. 1—8. — Cum Syluestro nemo potuerit prohibere, ne Stephano coronam clausam, cum vittis dependentibus, ad imitationem Graecorum formatam transmitteret, aeneus ille Schwartzii murus: coronam submittere, moris Graecorum fuit, quem triariis arietandum opposuit, his verbis: (p. 46.) „Hic murus aeneus esto, quem Baronius, Inchoffer, omnesque sui similes, regnum Hungariae pro auri pondere mercantes, regesque ipsos in curiae Romanae seruitutem addicentes, arietare tentent, tentent inquam“; a velitibus ipsis, impetu leuissimo, velut e paleis exstructus, nulloque fundamento nixus, dirutus est. — Nec

*) Fridericus Imperator, cui Elisabeth regina, Alberti Regis vidua, coronam Hungariae 2500 finis auri dederat, literis ea de re anno Chr. 1440. perscriptis testatur, sacrum hoc pignus continere sapphros 53, balassios seu rubinos 50, uniones 338, smaragdum unum. Coronam ipsam appendere nouem marcas et tres uncias auri V. in Codice Gemmae tamen et uniones rite numerati haud fuerint, cum plures ob unionem duarum coronarum tecti sint.

est cur coronam Sacram dici exhorreat, eo quod nullum metallum in se sanctitatem includere possit, nisi usurpatam et ementitam: cum corona sacra dici eo etiam possit, quod a sancto rege obtenta, ac primo gestata sit, etiam si aurum ipsum nihil quam sanctitatis contineat.

§. 109. Idem Schwartzius, ut sedi Apostolicae officiat magis, ad epistolam Sylvestrinam quoque explodendam, omnibus viribus conuertitur: „Non adferri tabulam Pontificis manu exaratam, confirmatamque, inquit. §. LII. — Oportet hic quoque a Historia ipsarum litterarum disquisitionem nos ordiri: cum e catholicis quoque, hoc in argumento, digitum cum eo presserint plurimi. Primus illam e tabulario Ecclesiae Traguriensis exscripsit Antonius Verantius anno Chr. 1550-o: Hic plurimis sub Zapolyio, Ferdinando I. Maximilianoque legationibus perfunctus, primum Agriensis Episcopus, anno 1557, dein Strigoniensis Archiepiscopus anno 1569, fuit rei literariae, et antiquitatis studiosissimus; vivere desiit anno 1573. Simillimum vero, originales has Bela IV. in Dalmatiam fugato, cum aliis regni crenodiis eo delatas, et in archium Traguriense conditas, post eius reditum, ibidem remansisse; sicut et dextera S. Stephani in Dalmatiam fugata, ibidem obliuione relicta Ragusini per saecula latuerat. Ab obitu Verantii literas easdem cum aduersariis Verantii nactus fuit, Athanasius Georgier, perinde legationibus illustris, communicauitque cum fratre Raphaële Leuakowich, ordinis Minorum obseruantiae, sacro Theologiae Lectore, sacrorumque codicum Illyricanorum Romae correctore, quum hic datum ab Urbano VIII. terrae sanctae negotium, apud Ferdinandum III. Viennae procuraret. Leuakowichius Romam reuersus, antiquissimum hoc munimentum multis seculis ignotum, Melchiori Inchoffer, annales Historiae ecclesiasticae edere molito tradidit, qui etiam primus easdem iuris publici fecit anno 1644. Haec sunt primaeua litterarum Syluestriarum fata; teste Inchoffero in Praefatione.

§. 110. Argumenta, quae illa supposita Syluestro vendicantur, sunt 1). Originales Syluestri literas nec in archiuo regnicolari Hungariae, nec in tabulario Vaticano reperiri: ast hoc Diplomatarium neququam mirum: cum et Bullae aureae Andreae II. in septem paribus expeditae, originales, hoc regni palladium, seu domi, seu in archiuo Vaticano, exemplar supersit; ea fuit Maiorum nostrorum in curandis antiquitatis monumentis incuria. Praeter unicum, monasterio S. Martini, supra montem Pannoniae fundato, concessum priuilegium, nullum e literis a Stephano datis, superest originale. Alterum, quod pro catapultis sumsit Schwartzius, est Joannis Lucii Dalmatae, qui post Verantium annos prope centum, post Inchofferum 25. libros IV. de regnis Dalmatiae ac Croatiae edidit, testimonium, quod sic sonat: Compertum mihi, et notissimum est, illam quam Inchofferus refert, Syluestri Papae epistolam, anno M. Duci Hungarorum scriptam, in archiuo Traguriensis Ecclesiae non reperiri: cum diligentissime sit a me recensita, nec ullam antiquiorem ibi scripturam anno MCCXXXV-o repererim“ l. c. Absit, ut hic ego de Verantii aut Lucii, maiori fide dignitate velim contendere; hoc sat sit animaduertere: 2) in claudatum documentum attentionem Lucii fugere potuisse: quod accidit pluribus: licet meomet uti experimento: Archiuum Primatiale Strigoniense lustrasse

nostratum plurimos; nec tamen ullus in eodem aduertit par bullae aureae Andreae II. de anno 1221-o; quod mihi in oculos casu incidit. 2). Potuit etiam, salua Verantii fide, centum post annos, quum archiuum Traguriense Lucius lustrauerat, iam deperiisse: postquam Dalmatiae, a regno Hungariae alienatae, exoticum id modi monumentum curare, neququam intererat. Exempla habemus plurima eiusmodi: Ludouici M. tempore, Legenda S. Stephani in archiuo Capituli Albaregalensis adhuc praesto erat, documento diplomatico; cuius iam nullum vestigium. III. Kollarius recentissimum adducit exemplum: quomodo Codex epistolaris antiquitatum archiepiscopatus Magdeburgensis e Bibliotheca Augusta Viennensi, non unius seculi, sed sexennii spatio euanuerit. (Hist. Dipl. pag. 55.) Fas sit me etiam testem agere: Diploma originale, quod exscripsi, typis subieci, annos mox post octo desiderari. Rite proin arguit idem Kollarius: His, ut res postulat, diligenter expensis, cuilibet, ut arbitror, manifestum erit: exemplum Sylvestrinae epistolae, ex quo suum Verantius exscripsit, et perire facile, et Lucium praetire potuisse. — Ast, si perierit aut lateat architypum epistolae sylvestrinae, non caret ideo scientia Diplomatica genuina a suppositis discernendi regula: talis est: styli, contextus formae, cum tempore loco ac persona congruentia (Cf. De authentia, ac vi probandi Diplomata) atqui haec epistola, aliis Sylvestrinis litteris ita consentanea, ut nec ouum ouo similis. Argumentum hoc iam ursit Stillingus: Stili conformitatem talem esse, ut non modo nullum contineat suppositionis indicium, sed tot simul veritatis notas, ut nec vero simile sit, nec credibile, ita componi ab impostore potuisse. Factorum etiam quorundam, a posterioribus scriptoribus perperam relatorum meminit: „Quorum errores, inquit, quum in lucem prodiret haec epistola, nullus sic correxerat, ut haec omnia tam apte fingi mox potuissent ab homine etiam peritissimo. — Hasce Sylvestri II literas easdem esse, quas attulit Astrucus, Hartuicus verisimile facit: quia dictis quibusdam illarum utitur: Legatos S. Stephani, ubi illorum aduentus praedicitur, Hartuicus nominat ignotae gentis nuncios: sane non capio unde phrasim illam hauserit satis mirabilem, nisi ex litteris Sylvestrinis; quae sic habent: cupidissimo animo illorum (legatorum) aduentum de ignota nobis gente praestolabamur.“ Hartuicus ait: Ecclesias Hungariae Stephano ordinandas relinqui; prout diuina gratia ipsum instruit; Sylvester vero ait: se illas ipsi ordinandas relinquere, secundum quod diuina gratia ipsum docuerit; quum scribit Hartuicus, petitam esse a Stephano confirmationem, episcopatum Hungariae tantum exprimit Strigoniensem ecclesiam in metropolim confirmandam, et reliquos episcopatus. Sylvester vero in literis eodem modo confirmat Strigoniensem metropolim, et reliquos episcopatus. Haec dictorum similitudo, quae in pluribus assignari posset, ostendit Hartuicum habuisse literas Sylvestrinas, atque inde hausisse omnia, quae refert de Romana S. Stephani legatione.“ Initia religionis §. L. 1. et sqq. Jam sic arguamus, est necesse: vel Hartuicus habuit prae oculis Sylvestrinas literas, vel harum auctor Hartuicus: atqui hic illi praelucere haud potuit, secus et ipse sicut Hartuicus non nominasset cum aliis Sylvestri nomen, ergo Sylvestrinae literae praeluxerint Hartuico. Si autem prae-

luxerunt annos ante quingentos, illae a quocunque impostore Syluestro supponi seculo XVI-o haud potuerunt-*)

§. 111. Diplomatarii nostrates, RR. DD. Balthasar Kerchelich, Georgius Pray, Ill. D. Adam. Kollár et Sp. D. Martinus Kovacsich, non ita desipuerant, ut Godofridum Schwartz, ac vulgus illiteratum secuti, literas Syluestrinas, quae tot autentiae ostentant indicia, suppositionis damnauerint, sed interpolationis duntaxat insimularunt; modestiores etiam fuerant, quam ut primae auctoritatis, dignitatisque viros, Antonium Verantium, Athanasium Georgier falsi fuissent ausi criminari; sed Fr. Raphaëlem Lewakovich, hominem pontificium, aucti Papalis in Hungariam iuris, condemnarunt. Duo sunt in specie, quae ab illo in Syluestrinas literas intrusa arguerant: Primo haec verba: „Tum vero largitatem liberalitatis, qua Beato Petro Apostolorum Principi, regnum ac gentem, cuius Dux es, cunctaque tua, ac temetipsum per eosdem legatos, et literas perpetuum obtulisti, digno praeconio commendamus.“ Item haec verba: „Singulari insuper privilegio excellentiam tuam, tuorumque meritorum intuitu, Haeredes ac Successores tuos legitimos, qui, si ut dignum est, electi, atque a sede Apostolica approbati fuerint, nunc et perpetuis futuris temporibus condecorare cupientes, — ut secundum quod diuina gratia te et illos docuerit, Ecclesias regni tui praesentes ac futuras nostra ac successorum nostrorum vice, disponere, et ordinare valeas, Apostolica auctoritate concessimus.“ Contra prima protestati sunt omnes: regnum liberum, et independens sedi Romanae dedi, subiicique haud potuisse; hoc proin nec a Stephano oblitum, nec a Syluestro rati habitum, sed a Lewakovichio intrusum in literas fuisse. Alterum bini duntaxat perorant: Kerchelichius et Kollarius: ius disponendi Ecclesias adnatum potestati ciuili ius fore, proin illud vicario munere Stephano regi haud obtigisse. Discutiamus utrumque.

§. 112. Regnum Hungariae a primordio liberum, et ab omni subiectione immune, praeprimis palam et manifeste profiteamur; neque illud sedi pontificiae subditium, vasallicum aut clientelare, seu per Stephanum, seu per Syluestrum fieri potuisse, agnoscimus: sed idem seu Stephano, siue Syluestro in mentem venisse, ut illud Romanae sedi tributarium, aut iure ciuili fiat obnoxium, negamus: Stephanus, qua filius spiritualis, deuotione et obsequio duntaxat spirituali se deuinxit sedi Apostolicae, proin absque omni ciuilibus libertatis, et independendiae dispendio: quo etiam supremae iure Syluester, se suosque successores ex-

*) Cum Hartuicus, S. Stephani Biographus Pontificem, qui coronam Stephano miserat, non nominet; Chronologiae defectu, alii illius Benedictum VII. alii Gregorium V. auctorem fecere: si literarum Syluestrinarum scriptor falsarius fuisset in hac erronea sententia, illas vel Benedicto, ut Chronologus decreto S. Stephani, praefixisset, vel Gregorio V-o Papae attribuisset: quod cum factum non sit, et Syluester II. quarto post obitum Geysae anno reipsa Romae legationem Stephani, ut Hartuicus indicat, suscepit, patet illarum Scriptorem veteratorem nequaquam fuisse. Schwartzius proin eandem nothas ac supposititias indocte appellauit.

pressis verbis alienos edixit: regnum quoque a Munificentia Tua S. Petro oblatum, teque, una et gentem ac Nationem Ungaricam praesentem et futuram, sub protectionem sanctae Romanae ecclesiae acceptantes, prudentiae tuae, haeredibus ac legitimis successoribus, tuis habendum, tenendum, regendum, gubernandum ac possidendum reddimus et conferimus. Qui quidem haeredes ac successores tui quicumque, posteaquam per optimates legitime electi fuerint, teneantur similiter nobis et successoribus nostris per se vel per legatos suos debitam obedientiam, ac reuerentiam exhibere, seque sanctae Romanae Ecclesiae, quae subiectos non habet ut seruos, sed ut filios suscipit uniuersos, subditos (in spiritualibus) esse ostendere, atque in catholica fide, Christianique Domini ac Saluatoris nostri religione perseuerare, eamque promouere.“ Protectionis huius spiritualis gratia, sine praeiudicio regni liberi, potuit se Stephanus sedi Apostolicae offerre: quia hoc moris fuerat id temporis: Reges etiam Normanniae, et Angliae tunc conuersi se regnaque sua pariter eidem obtulerant, regni sui libertate nequaquam prodita. Ex hac oblatione Stephani Sedes Apostolica protectionis duntaxat ius adquisiuerat: salutem illius in discriminibus sartam tectamque tenendi: sub protectionem sanctae Romanae Ecclesiae acceptantes“ inquit. Usa quoque hoc protectionis suae iure, non ad subditellam, sed tutelam libertatis regni: Salamonem Regem, qui Henrico Imperatori regnum obnoxium fecerat, increpat anno 1074: „Litteras tuas multo benignius manus nostra suscepisset, si tua incauta conditio non adeo beatum Petrum offenderisset. Nam sicut a Maioribus patriae tuae cognoscere potes, Regnum Hungariae sanctae Romanae Ecclesiae proprium est, a Rege Stephano olim beato Petro cum omni iure ac potestate sua oblatum, et deuote traditum. — Quae cum ita sint, tu tamen in caeteris quoque a regia virtute et moribus longe discedens, ius et honorem S. Petri, quantum ad te, imminuisti et alienasti; dum eius regnum a Rege Teutonicorum, sicut audiuius, suscepisti.“ Item ad Geysam anno 1075. taliter: „Notum autem tibi esse credimus, regnum Hungariae, sicut et alia nobilissima, in propriae libertatis statu debere esse; et nulli regum alterius regni subiici, nisi sanctae et uniuersali matri, Romanae Ecclesiae, quae subiectos non habet ut seruos, sed ut filios diligit uniuersos. Quod quia consanguineus tuus (Patruelis, Salamon) a Rege Teutonico, non a Romano Pontifice, usurpatiuè obtinuit, dominium eius, ut credimus, diuinum iudicium impediuit. Quum vero res in tuis manibus sit, hortamur te, ut interim circa ecclesias curam habeas, circa religionem summum studium geras, talemque obedientiam legatis sanctae Romanae Ecclesiae, quum ad te venerint exhibeas, quatenus intercessione beati Petri in gloria et honore utriusque vitae proficias.“ — Item ad Nehemiam A. Ep. Strigon.: „De caetero admonemus fraternitatem tuam, ut Regem (Ladislauum) qui inter vos electus est, cum aliis tuis confratribus, et principibus terrae, alloquaris, notificantes et consulentes sibi, ut apertius nobis suam voluntatem, et erga reuerentiam sedi Apostolicae debitam, per idoneos legatos denunciet deuotionem, et ita demum, quod nos attinet, ad honorem Dei omnipotentis et beati Petri, Apo-

scilicet Principis, benigne sibi respondebitur" anno 1077: Vide in Codice Vitefronsi urgere, loco hoc fore alienum; quærimus proha: Cum ea, quæ supposita arguuntur, in Regno Hungariae, constitutione Stephani, iam viguerint, quomodo iuribus Pontificiis seculo XVII. a Lewakovichio afficta, Syluestrinisque literis inserta? Cum verba suspecta expresse legantur in aliis Pontificiis literis, quomodo Syluestrinis obtrusa? Literas proin eiusdem Syluestrinas; quod est ad punctum primum, falsi condemnare non possumus:

§. 113. Minus adhuc ausimus Syluestrinas literas interpolationis arguere intuitu puncti secundi: Kollarus in sedem Apostolicam iniquus fuit, dum potestati civili Ecclesias iure suo disponendi, Episcoposque constituendi, auctoritatem vendicauit: nam Stephanus Ecclesias quidem erexit iure suo, Episcopos designauit, ac illarum dispositionem horumque confirmationem ab Apostolica sede postulat, et impetrauit: teste Hartuico: „Posthaec inquit, prouincias in decem partitus episcopatus, Strigoniensem ecclesiam Metropolim et magistram ceterarum fore constituit. — Tum: „Astricum Praesulem ad limina Apostolorum misit, ut a successore S. Petri, Principis Apostolorum postularet, quod nouellae christianitati exortae, in partibus Pannoniae largam benedictionem porrigeret; Strigoniensem Ecclesiam in metropolim suae subscriptionis auctoritate sanciret, et reliquos episcopatus sua benedictione muniret. — Quibus auditis Romanus Pontifex cuncta prout fuerant postulata benigne concessit. — Dispositionem eiusdem, prout diuina gratia ipsum instruxit, Ecclesias Dei simul cum populis sua vice iure ordinandas reliquit" l. c. p. 132—3. — Quin ipse Protorex palam professus, se Ecclesias non iure suo, sed obtento a Sede Apostolica ordinasse, disposuisseque: nam, ne ordinem dicendorum praecipuum, inter alia, in literis fundationibus Abbatiae Bakonbelsensis ita loquitur: „Et sicut habui potestatem, ut ubicunque, vel in quocunque loco vellem, ecclesias ac monasteria construerem; ita nihilominus a Romanae Sedis supremo Pontifice habui auctoritatem, ut quibus vellem Ecclesiis, seu monasteriis, libertates, ac dignitates conferrem." Quaero iterum: si iam Syluestro Pontifice Ecclesiae praesidente ius disponendi ecclesias, Episcopos confirmandi, sedi Apostolicae irradicata fuit: quomodo ius hoc a Lewakovichio eidem affingi potuit? Si vero is illud eidem non affinxit; quomodo Syluestrinae literae interpolatae?! Venit aetas, qua hanc iura sedis Apostolicae carpenti insolentiam, redarguent; Schwartzii vero efatum l. c. p. 72. Ecclesiam initio Hungarum fuisse prorsus acephalam; nec Romano Pontifici ulla lege addictam" Diplomatarii nostrates indignabuntur.

§. 114. Praerogatiuae, quae literis adstructis, Regiae Maestati, et Ecclesiae apud Hungaros accreuerant, his Syluestri Papae verbis continentur: „Et quia nobilitas tua, apostolicam gloriam aemulando, Apostolicum munus, Christum praedicando, eiusdemque fidem propagando, gerere non est dedignata; nostrasque ac sacerdotum vires supplere studuit, atque Apostolorum principem praeceteris honorare; idcirco et nos singulari iussu per privilegio excellentiam tuam, tuorumque me-

ritorum intuitu, haeredes ac successores tuos legitimos, qui sicut dictum est, electi et a sede Apostolica approbati fuerint, nunc et perpetuis temporibus condecorare cupientes; ut postquam tu vel illi corona, quam mittimus, rite iuxta formulam, legatis tuis traditam, coronatus vel coronati, extiteritis, crucem ante se, apostolatus insigne, gestare facere possis, et valeas; atque illi possint et valeant. Et secundum quod diuina gratia te et illos docuerit, ecclesias regni tui, praesentes et futuras, nostra ac successorum nostrorum vice, disponere atque ordinare, apostolica auctoritate similiter concessimus; volumus et rogamus, sicut in aliis literis, quas in communi ad te optimatesque regni, et cunctum populum fidelem, per nuncium nostrum, quem ad te dirigimus, deferendis plenius haec omnia continentur“ J. c. Fundamentum harum praerogatiuarum, Belae Regis Notarius inquit dicens: „Dum beatus Rex Stephanus verba vitae praedicaret et baptisaret.“ Cap. LVII. Surius vero ita expressit: „In eorum ceruice disciplinae Christi iugum et legem imposuit.“ Edit. Tyrn. pag. 11. Verbötzius vero ita colligit: „Quia Hungari — per institutionem proprii Regis eorum, Sanctissimi videlicet Stephani Regis — conuersi sunt.“ P. I. Tit. II. §. 2.*)

§. 115. Reciprocum Apostolici Hungariae Regis, religionem et Ecclesiam Catholicam profitendi, ac promouendi munus ipse Stephanus ad filium suum Emericum sic edisseruit: „Quoniam ad regalis dignitatis ordinem non oportet, nisi fideles et catholica fide imbutos, accedere; idcirco sanctae fidei in nostris mandatis primum damus locum. Inprimis praecipio, consulo, suadeo fili charissime! si regalem cupis honestare coronam, ut fidem catholicam et apostolicam tali diligentia et custodia conserues; ut omnibus tibi a Deo subiectis exemplum praebear; cunctique ecclesiastici viri merito te verum christianae professionis nominent virum; sine qua, pro certo scias, christianus non diceris, vel ecclesiae filius“ Decr. L. I. cap. I. Cardinalis haec Regis Apostolici functio, sequentibus Sylvestri verbis expressa est: „Qui quidem Haeredes et Successores tui quicumque, postea quam per optimates regni legitime electi fuerint, teneantur — se Romanae Ecclesiae, quae subiectos non habet ut seruos, sed ut filios suscipit uniuersos, subditos esse ostendere, atque in catholica fide, Christique domini ac Saluatoris nostri religione firmiter perseuerare, eandemque promouere.“ Incumbebatque ipsis hanc ecclesiae catholicae adhaesionem initio regiminis sui sedi Apostolicae solenniter profiteri: certe id tantisper a Ladislao intermissum significat Gregorii VII-i ad Nehemiam Strigoniensem Archiepiscopum monitio: „Admonemus fraternitatem vestram, regem, qui inter vos electus est — alloquaris, ut apertius nobis suam voluntatem, et reuerentiam sedi apostolicae debitam, per idoneos legatos, denunciet, ac de-

*) Ecclesiarum ideo praelaturas, ac beneficia solus ipse, ex nutu Pontificis, quibus maluit, idoneis tamen, et virtutibus probitatum insignitis contulit; unde etiam Rex et Apostolus dici meruit, eo quod vices apostolorum in terris praedicatione et bonorum operum atque exemplorum exhibitione gessit. Et propterea duas quoque cruces, per collationem summi pontificis, in signum sanctitatis, quod scilicet Rex et Apostolus iuste diceretur, digne meruit habere pro armorum insignibus“ Verbötzi.

uotionem“ Anno 1077. Huius specimen exstat etiam in actis Concilii Guastallensis, per legatos regis Colomanni ad Paschalem II. Papam ita loquentis: „Denunciamus vobis Pater venerande, nos legi diuinae subditos ac secundum eam vobis seruire paratos.“ Apud Kollár Hist. Dipl. p. 54.

2.) Stephanus Rex Apostolicus, Abbatiarum exemptarum fundator.

§. 116. Ne verbi Diuini praeconibus ac religionis christianae ministris necessaria deforent domicilia, iis, qui ex instituto S. Benedicti fuerant, coenobium in honorem S. Martini, supra montem Pannoniae, a patre iam suo extrui coeptum, ad fastigium deduxit; memorque cuius nuper auspicio victoriam de Cupan retulisset, beneficiis amplissimis donauit, ac datis^{*)} fidei publicae literis, quae causam et magnitudinem acceptorum beneficiorum posteris transcriberent, communiuit: „In nomine domini Dei summi. Stephanus superna prouidente clementia, Rex. Credimus et vere scimus, si locis diuino cultui mancipatis, potestates atque honores ad augmentauerimus, id non solum laude humana, praedicandum, verum diuina mercede remunerandum. Quo circa omnium sanctae Dei ecclesiae fidelium, nostrorumque praesentium atque futurorum sollers comperiat intentio, quod nos interuentu, consilio et consensu domini Anastasii abbatis, de monasterio S. Martini in monasterio supra Pannoniam sito, ab genitore nostro incoepo, quod nos per Dei subsidium, ob animae nostrae remedium, pro stabilitate regni nostri, ad finem perduximus. — Quod ut verius credatur, hanc paginam manu propria roborantes, sigillari iussimus. Signum Domini Regis — Dominicus Archiepiscopus vice Cancrarius fecit, Anno dominicae incarnationis MI. Indictione XV. anno Stephani, primi regis Ungarorum, secundo, hoc priuilegium scriptum et traditum est. Hae sunt nominatae villae in dedicatione ecclesiae ab Archiepiscopo Sebastiano, et a Comite Ceba: piscatores Fizeg, Baluanos, Temerdy, Chemudy, Wisetcha, Vuosian, Murim, Curtou, Wag, tertia pars tributi de Poson, in omnibus rebus, siue praesentibus, siue futuris.“ V. nro. XXIV. Hae quoque instrumentales literae impetitionem passae sunt a Posoniensibus, imprimis Windischio, Benzurio etc. suspicatis, verba haec: tertia pars tributi de Poson, in omnibus rebus, praesentibus siue futuris,“ prioribus assuta esse. Quod omnino temerarium est supponere: ausim fateri: me originales, bene ac feliciter conseruatas, semel et iterum, tertia quoque vice, attente in facie loci lustrasse, ac ne minimam quidem seu scripturae, seu atramenti diuersitatem aduertisse. Sphalmata diplomatica Chris. Novák et Jos. C. Battyányi ad apicem dispunxerunt. *)

*) Decimarum ecclesiasticam destinationem e Capitularium a Carolo M. anno DCCCI. conditorum cap. VII. nouimus; quod sic habet: „Ut et ipsi sacerdotes populi suscipiant decimas, et nomina eorum quicumque dederint. scripta habeant, et secundum auctoritatem canonicam coram testibus diuidant; et ad ornamentum Ecclesiae primam eligant partem; secundam autem ad usum pauperum, vel peregrinorum per eorum manus misericorditer cum omni humilitate dispensent; tertiam vero sibi partem ipsi soli sacerdotes reseruent.“ Quod in concilio Cabilonensi II. Can. XIX. et aliis in legem abiit.

§. 117. Est locus hic Pannoniae inferioris montanorum siluestrium Bakon, ad boream, caput, infra Jaurinum ad duas prope horas eminens, a multis celebratus: ut Hartuicus in vita S. Stephani haec de illo prodidit: „Quoniam Pannonia beati Pontificis Martini natiuitate gloriatur, — — iuxta fundum sancti praesulis, in loco, qui sacer mons dicitur, ubi Sanctus Martinus, dum adhuc in Panuonia degeret, orationis sibi locum assignauerat; in titulo ipsius monasterium exstruere (Geysa) coepit.“ Belae regis notarius: „A Soskút profecti Hungari iuxta montem S. Martini castra metati sunt, ac de fonte Sabariae tam ipsi, quam eorum animalia biberunt.“ Cap. L. Literae solennes de anno 1157 „Abbatia de Gissing (Németújvár) adiicitur monasterio S. Martini in sacro monte Pannoniae, ob reuerentiam et sanctitatem ipsius loci, et propter B. Martini Patrocinium, cuius natiuitate, in eodem loco habita, Pannonia gloriatur.“ V. in Codice. Item Belae IV. fundos coenobii eiusdem recensentes: „Deinde protenditur terrenum eius usque Sabariam, ubi dicitur natus S. Martinus. — Inde descendit usque ad villam Ech etc. (Ibi an. 1264. Hinc nata popularium nostrorum opinio, Martinum in vico cognomine Sabaria, monti sacro vicino, natum fuisse, quem Biographi S. Martini, Turonensis Episcopi, ab Ill. Alexio Jordanszky editi et Stephanus Schönvisner antiquitatum Sabariensium illustrator diligentissimus, Sabariae, Coloniae Romanae, natum attribuunt; poterant quippe nostrates ab anno 354. quo is in Pannonia vixit, sex seculis seriores, falli ex eo, quod ad montem hunc vicus, ad Sabariam Coloniam perti- nens, fuerit, ex hocque fundo Martinus sibi locum orationis in monte Pannoniae elegerit. Quaestionem tanquam ad initia religionis atque Ecclesiae christianae pertinentem, in medio relinquere nequimus.*)

*) Fabulantur quidam: „Terrarum partem eis Istrum positam, cum antea, tum Augusti Caesaris aevo, autochtones, seu aborigines Paniarios, Romanis Pannonios, Graecis Paeones dictos, Thracum progenies, adeoque illius labii, quod a Thracia ad extremum usque Boream diffusum, nunc Sclauicum audit, incoluisse.“ Nam Paniaria gens exiit nunquam. Qui innotuerant primi Pannoniae incolae fuerunt, inferioris Paeones, superioris Celtae (Galli); potiores Paeones quidem propago Thracum; sed Thraces (Tyres) non Slau; lingua Tracibus propria teste Josepho Flavio; Slauorum vero Indo Germanicae, cum Graeca et Latina, affinis: Lege sis: Klaprothi Asiam Polyglottam. Idioma Slaucum aevo iam Octauiani Augusti a Thracia ad extremum usque Boream diffusum, est Petri Katanchieh somnium, quod Cel. Jos. Hormayr. in Hist. urbis Vienn. Tomo .I. sale optimo explosit. — Montem Pannoniae a Pane, sacrum a fano Panis, dictum: cum Gallis et Pannonibus nulla cum Graecis fuerit sacrorum primitus communio; atque ethnicis gentibus cunctis sub dio et in editis montibus sacrificare moris fuerit; (lege Cudworthi Syst. intellectuale Tomo I. cap. IV. etc.) ineptissime ponitur. — Episcopus Pannoniae Christianae Decretis Cornelii Papae subscriptos Carpis. Vetero Budam; Curtae Szönyinum; Bregetii Jaurinum locare, crassam redolet rerum antiquarum ignorantiam: Lege sis. Schönvisnerium de Itin. Romanorum. — Ita lasciuunt temere domi nostrae stolones, quum non est, qui protrusos falce roscet critica.

In Pannoniae parte. quae aevo Ptolomaei inferior dici coepit, mox Valeria compellata fuit, eminuit Sabaria, Colonia Romanorum, Claudii Imperatoris gratia illustris, teste Plinio Hist. Nat. Lib. III. Cap. 23. „Noricis, inquit, iunguntur lacus Peyso, deserta

§. 118. Fuit haec Abbatia a protorege singularibus ornata praerogatiuis, quae iisdem literis exhibentur: „Talem eidem concessimus libertatem, qualem detinet monasterium sancti Benedicti in monte Cassino, quia per orationes sanctas fratrum eiusdem monasterii, consiliante Domino Anastasio, praescripto Abbate et iugiter

Boiorum (Oedenburg); iam tamen Colonia diui Claudii, Sabaria, et oppida Scarabontia, Julia habitantur.“ Sabariae huius nomine Sabariam nostram in Prouincia Castri ferrei, ad amnes Ginsium, ac Perenditiam rudibus Romanis locupletem, intelligendam, in confesso est. Nulla alterius tota retro antiquitate mentio; seculo IX-o desinente, in donationalibus Arnulfi Imperatoris 898. emanatis, occurrit Sabaria duplex: Rapa Sabaria ciuitas; et Sicca Sabaria; tum Saeculo XIII. memoratur terminus montis Pannoniae, Sabaria.“ Per Rabam Sabariam ciuitatem nostram Sabaria, Araboni vicinam, Hungaris Szombathely, German. (Stein am Anger) dictam, intelligi, dubitat nemo; per Siccam Sabariam, terminum montis Pannoniae, fundum Sabariae, intelligi; ultra concedimus. Ast quaeritur: S. Martinus Thuronensium Episcopus in quam Sabaria Pannoniae sit genitus? Ad quaestionem soluendam, ut vitam illius interseramus, oportet.

Vitam S. Martini Sulpitius Seuerus, ipsius discipulus, ac Gregorius Thuronensis, eiusdem successor, fide dignissimi, perscripserant, hunc in sensum: Patre milite primum, post tribuno militum gentili, anno Christi 315-o natus, Sabariae, Pannoniorum oppido. A primis fere annis diuinam potius seruitutem sacra illustris pueri spirauit infantia; nam cum esset annorum decem, inuitis parentibus, ad Ecclesiam confugit, seque catechumenum fieri postulauit. Ideo Ticinum, in Italiam, ad cognatos gentiles, alendus mittitur. Mirum in modum totus in Dei opere conuersus, cum esset annorum duodecim eremum concupiuit, fecissetque votis satis, si aetatis infirmitas non obstidisset; animus tamen aut circa monasteria, aut circa ecclesiam, semper intentus, meditabatur adhuc in aetate puerili, quod postea deuotus impleuit. Sed cum esset edictum a Regibus, M. Pacatiano, et Hilariano Coss. anno 332-o, ut veteranorum filii ad militiam scriberentur; mouente Patre, qui felicibus eius actibus inuidebat, cum esset annorum iam 15, captus, catenatus, sacramentis militaribus implicatus est: Uno tantum seruo contentus, cui tamen versa vice dominus ministrabat. Ob adductos duos taliter equos, Circitoris gradum obtinuit. Triennium fere ante Baptisma in armis fuerat; integer tamen ab iis vicinis, quibus illud hominum genus implicari solet. Multa illi circa conuersiones benignitas, mira charitas, patientia vero et humilitas ultra humanum modum. Commiseratione erga egenos et afflictos fuit tanta, ut cum in porta ciuitatis Ambianensis, rigida hyeme nudum pauperem videret, nec sibi aliud praemanibus esset, quo illum operiret, praeter clamidem, qua ipse indutus erat, hanc arrepto ferro secuit, partemque pauperi dedit. — Post quatuor et viginti stipendia, pace cum Franciis anno 351-o composita, honesta missione donatus. Exinde relicta militia S. Hilarium, Pictavae ciuitatis Episcopum, cuius tunc in Dei rebus spectata et cognita fides habebatur, expetiuit, aliquamdiu apud illum commoratus, inter exorcistas gradum Ordinis sacri sumpsit. S. Hilario factione Arianorum in exilium relegato, patriam, parentes, quos adhuc gentilitas detinebat, religiosa solitudine visitaturus, repetiit. Multas inter aduersitates, incolumis tandem in Pannoniam adueniens, cum Sabariam reciperet, matrem gentilitatis absoluit errore, patre in malis perseuerante, plures tamen suo saluauit exemplo. A sacerdotibus, quorum Arianam insectatus fuerat perfidiam, vincula ibi, verberaque expertus, de ciuitate eiectus: Italiam repetens, Mediolani sibi monasterium construit; inde quoque mox ab Auxentio, Arianorum Corriphaeo, exturbatus, Sanctum Hilarium, qui mortuo Constantio, anno 361. Pictauam redeundi veniam obtinuit, e vestigio secutus, ab eoque gratissime susceptus, non longe a Pictaua monasterium collocauit, ubi viam perfectionis coluit annos 13.

adiuuante, confortati et laureati sumus. — — Ad huc autem subiungens dico: sit idipsum monasterium ab omni inquietudine remotum; habeantque ius monachi post transitum sui cuiusque Abbatis, alium Abbatem securiter eligendi, et a quocunque velint episcopo, consecrandi eum; sitque illis licitum ordines accipere quouis loco, et a quocunque Episcopo. Ante neminem vero Abbatem capella incedat, nisi ante Patrem eiusdem monasterii, propter reuerentiam et sanctitatem ipsius loci; moreque Episcopi in sandaliis Missam celebret. Praecipimus itaque (insuper) sub testificatione Saluatoris Domini nostri Jesu Christi, ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux Marchio, Comes, Vicecomes, seu aliquis homo, magnus siue paruus, de iam fato monasterio aliquo modo se intromittere, in mancipiis, terris, vineis, decimationibus, piscationibus, ripis, placitis (pratis) sine concessione Abbatis eius monasterii, audeat." Praerogativas has illustrauit debite RR. D. Ignatius C. Battyányi Legum Ecclesiasticarum tomo primo.

§. 120. Praerogatiuis his consentanea fuit eiusdem dotatio: „Votum voui, inquit Protorex, Sancto Martino, quod — Comitatus Simeghiensis decimationem de omnibus negotiis, praediis, terris, vineis, segetibus, vectigalibus, vinumque ho-

Ad Episcopatum Thuronensem expetitus fuit anno 374. Episcoporum Exemplar, fide pietate, zelo, signisque clarus obiit XI. Nov. anno 401-o.

Horum intuitu S. Martinum in Ciuitate potius, quam fundo, Sabariae natum fuisse, indubitanter asserimus: Biographi enim illius 1) asserunt eum, in oppido, ciuitate Sabariae genitum; ciuitas vero Sabaria exstitit sola unica, Claudia Colonia. 2.) Fuit natus militis primum mox tribuni, honesta missione donati; veteranorum autem horum sedes fuerant coloniae; qualis erat Sabaria ciuitas. 3.) In natali eius loco fuerat Ecclesia, ad quam confugerat; erant sacerdotes, quorum perfidiam insectatus fuerat: tales quidem in colonia Romana erant: Basilica, et Capella S. Quirini Martyris: in fundo Sabaria, monti Pannoniae adsito: non item.

Qui locum eius natalem fundo Sabariae vendicant: sola nituntur domesticorum traditione, quae post rem gestam seculis sex serior est; oggerunt in specie 1.) verba Hartuici, qui circa annum 1097. vitam S. Stephani scripsit, dicentis: „Stephanum, iuxta S. Praesulis (Martini) fundum eo loco, qui sacer mons dicitur, ubi idem S. Martinus, cum in Pannonia degeret, precari solitus erat, sub eius nomine monasterium construxisse." Ast, etiam si necdum catechumeni factum hoc concedamus, ex his S. Martinum in fundo hoc natum etiam fuisse, nemo rite elicuerit: nec enim semper ibi precamur, ubi nati sumus. 2.) Comitis Walferi literis fundationalibus anno 1157. datis expresse dicitur: „Se hoc monasterium (Gizingense) coenobio S. Martini in S. monte Pannoniae, ob reuerentiam et sanctimoniam loci ipsius, et propter beati Martini patrocinium, cuius natiuitate in eodem loco habita, Pannonia gloriatur, in obedientiam tradidisse." Ast Diplomaticorum, de rebus ante se gestis fide dignitas non est alia, quam Historicorum aevi serioris; idest: coeuis contradicentibus praeualere nequit: hi vero Martinum in Colonia Romana, Sabariae affirmant primam lucem aspexisse. 3.) Nec Belae IV. literae euincunt contrarium „in termino montis Pannoniae usque Sabariam, in quo dicitur natus S. Martinus: praesumptio haec concedenda scriptori aevi illius, quo rerum antegestiarum, ac Scriptorum Sulpitii et Gregorii Thuronensis documenta ignota; critica item, haec fax veritatis, domi nostrae desiderabantur. Ea accensa, praestantissimi Historici nostri Ranzanus, Olahus, Gregoriancz, Timon, Schönwisner errorem inueteratum abnuerant, iusserantque nos sapere veritatem.

spitum, quod in praediis eorum cresceret, ne parochiano episcopo pertinere videretur, sed magis Abbati eiusdem monasterii, — sub testimonio multorum Ducum et Comitum, absque ulla mora subiugarem. Dumque post cogitatum victoria potirer; quod animo reuolueram, operis efficacia complere studui. Necdum enim episcopatus et abbatiae praeter ipsum locum in regno Ungarico sita erant. Quod si vos fideles! licuit, in quo volui loco, episcopatus et abbatias statuere; an non licuit cuiquam loco, quod volui, ut facerem?“ — Dotes aliae traditarum literarum occasione sunt assignatae: „Hae sunt nominatae villae, in dedicatione Ecclesiae ab Archiepiscopo Sebastiano, et a Comite Ceba: Piscatores Fizeg, Balvanos, Temerdy, Chimudi, Wisetcha, Vuosian, Murim Curton, Wag; tertia pars tributi, de Poson, in omnibus rebus, siue praesentibus, siue futuris.“ Item Hartuic p. 127. „Constituens eidem monasterio ex omnibus eorum facultatibus tam strictas decimas dari, ut si cui decem liberos habere contingeret, decimam prolem sancti Martini coenobio daret.“ Dotes hae multiplices, praesertim decimales, passae quidem sunt a Wesprimiensi Episcopatu, Albensi Praepositura etc. controuersias; ast in utroque foro continuo reuictas.

§. 121. Monasterio S. Martini supra montem Pannoniae Abbatis munere primum praefuisse Anastasium, e prae laudatis Protoregis literis nouimus: „Interuentu, consilio, et consensu Domni Anastasii, Abbatis de monasterio S. Martini, in monte supra Pannoniam sito,“ item: „Consiliante Domno Anastasio, praescripto Abbate.“ De altero, eius successore, Bonifacium fuisse, duntaxat nouimus: „Bonifacius, unus, qui cum Astrico aduenerant, Astrici discipulus, et in loco patris abbas constitutus; dum a beato Rege causa praedicationis in inferiores Hungariae partes esset missus, in verticem percussus gladio, licet postea superuieret, non est priuatus martyrio.“ Num hic in monasterio S. Martini successerit patri suo, Astrico, pendet ab eo, num Astricus, alio nomine Anastasius, fuerit monasterii S. Martini primus Abbas? — Ex praemissis clarere mihi videtur, monasterium, quod Geysa Dux pro iis instituti S. Benedicti viris, qui sua vita comite in Hungariam concurrerant, extruere coepit, a Protorege perfectum fuisse.

§. 122. Stephanus protorex, pro iis, quos deuicto Cupan Duce, in regnum exciuerat ipse, monasterium non minus exemptum constituit anno 999-o ad radicem montis ferrei, condere: Historiam Hartuicus noster ita continuat: „Deuictis ergo hostibus, Christi miles, gaudio spirituali repletus, totius ingenii consilium euangelici decreuit seminis fore receptaculum; — perfectionem propositi sui Deo commisit, volenti, ut quia sine ipso, nihil agere valeret, opitulante dispositionis ipsius expletione, bonum, quod cogitauerat, cum inceptione virtutum ad finem perducere posset. Ad hoc ergo incipiendum et consummandum, quoniam fidelium Christi consultum habebat necessarium, nunciis et literis in omnes partes suum diulgauit desiderium. Inde multi presbiteri et clerici Spiritus Paracliti compuncti visitatione, relictis sedibus propriis, elegerunt pro Domino peregrinari. Inter quos vitae regularis pater Astricus cum suis discipulis aduenit. — Astricus Abbas cum suis honorifice susceptus, ad radicem montis ferrei

coenobium sub titulo Sancti Patris Benedicti construxit. Consummatum illud anno 1015-o, ante annos 14. coeptum, ipse Protorex testatur: „In nomine Domini Dei Summi. Stephanus superna prouidente clementia, Ungrorum Rex. Credimus et vere scimus, si locis diuino cultui mancipatis, potestates atque honores adaugmentauerimus, id non solum laude humana praedicandum, verum diuina mercede remunerandum. Quocirca omnium sanctae Dei Ecclesiae et fidelium nostrorum praesentium atque futurorum solers comperiat intentio, quod nos per Dei subsidium, ob animae nostrae remedium, et pro stabilitate regni nostri, monasterium Sanctae Dei Genitricis Mariae, et Sancti Benedicti, ad radicem montis ferrei, diligenter construximus. — — Quod ut verius credatur, hanc paginam manibus propriis roborantes, sigilli nostri munimine, in ipso die consecrationis dicti monasterii per ministerium domini Astrici, Colocensis Archiepiscopi, et primi Abbatis, praedicti monasterii, nobiscum omnibus regni Principibus, ibidem assistentibus confirmauimus unanimiter. Circumscriptio nostrae donationis ante nostram coronationem fuit assignata, ante annos 14; priusquam fundamenta foderentur, quinto decimo vero anno a fundatione monasterium iam dictum est consecratum in anno ab Incarnatione Domini Millesimo decimo quinto. V. nro. XXVII.

§. 123. Castrum ferreum, alias Péchvárád dicitur, quasi in Prouincia Péchensi, seu Quinqueecclesiensi situm, ut habent literae Caroli Roberti ad annum 1329: „Ad uniuersorum notitiam volumus peruenire, quod religiosus vir, frater Detmarus Abbas monasterii de Varadino Pechensis — noster Capellanus — — exhibuit nobis priuilegium Domini Stephani primi Regis et Apostoli Hungariae, sanctissimi progenitoris nostri; — — cuius quidem priuilegii tenor, cum signis in eo contentis talis est etc. Est porro Pécsvárád oppidum in prouincia Baranyensi nulli secundum, et intra ambitum Dioeceseos Quinqueecclesiensis, ab hac urbe duarum horarum itinere distans.

§. 124. Singularibus haec quoque Abbatia est communita priuilegiis: „Eadem etiam autoritate Apostolica, inquit Protorex, mediante decreuimus, ut praefati coenobii Abbas, generali tantum et solenni duntaxat Synodo Strigoniensis Archiepiscopi interesse teneatur. Attamen seu a Metropolitano, seu a quolibet alio episcopo omni contradictione cessante, confirmationem, consecrationem suscipiat, et eius monachi ad ordines promoueantur: more etiam episcoporum, cum mitra, sandaliis, et annulo, siue in solenni curia siue episcoporum conuentu, vel in quolibet loco religioso, liberrime potest assistere, et diuina officia celebrare. Duas praeterea Capellas regias, capellam videlicet beati Petri monasterio connexam, et alteram, quae vulgo Alba Ecclesia vocatur, cum eorum Parochiis et omnibus pertinentiis contulimus praefato monasterio, in quibus sacerdotes ab Abbate constituti praedicto populo diuinam plenarie exhibeant seruitutem; Chrismata vero et oleum infirmorum, quilibet Archiepiscopus vel Episcopus, dare teneatur. Praefati vero monasterii populum, iam iam saepe dictum, de spiritualibus instruendum, et iudicandum, tantum Strigoniensi Archiepiscopo, et Abbati commisimus; in ciuili autem causa, nulli liceat iudicare, quam Abbati, nisi forte pro qua sanguis effundi debeat.

Forum etiam bis in hebdomada stare concessimus; duobus quidem locis: unum superius iuxta sanctum Petrum die Dominico, aliud vero in vico inferiore feria quarta; omneque tributum ex eis proueniens usui iam dicti monasterii contulimus, nec non et salicidie ab omni inquietudine liberrimo, quod nec tributariorum cupiditas, nec possit potentum violentia perturbare; insuper et liberorum denariorum tertiam partem, quae ab aduenis in terra Ecclesiae habitantibus debentur, ad calcementa fratrum concessimus. Siluarum quoque prouentus ubique ecclesiae pertinentes, ut in tributis pecorum, seu arundinetorum, nulli omnino liceat possidere, nisi Abbati. In fontibus vero, infra terminos dicti monasterii, existentibus molendina, siue piscinas, absque Abbatis permissione, nulli liceat facere. Nobiles autem, siue ignobiles, infra terrae ipsius circumscriptionem, possessiones habentes, si post temporum curricula ex donatione nostra obtinuisse dixerint, et contumelia affecti, ecclesiae contrarii, vel eius populo extiterint, cum rebus mobilibus expellantur: quia quod Deo contulimus, idem homini nequaquam debemus. Quod si Abbatis imperio non recesserint, potestas Regis Abbatis de rebus omnibus eos crudeliter expellat; ne palliata iniquitas, in monasterii pullulet exitium. Aquae etiam ductu, qui, omnino fratrum officinas arriget, idem decorauimus monasterium " Diploma.

§. 125. Dotationem monasterii huius merito depraedicauit iam Hartwicus superabundantem, dicens: „Ibi usque hodie congregatio monasterialis, disciplina regulari pollens, temporalium sustentatione copiarum, ex donatiuis Sancti Ducis superabundans; non est alicuius egens, nisi ut suos et aliorum pedes secundum Euangelium quotidianis precibus et lachrymis lauet.“ p. 129. Et vero Protorex in literis fundationalibus latifundia illi liberaliter collata prolixè recenset: „Ne monasticae religionis contemplatio aliqua temporum necessitate compressa, mutaretur ad laeuam, idem Monasterium ex donatiuis nostris, consensione et confirmatione auctoritatis Apostolicae, dotauius terris, siluis, piscinis, villis, populis tam liberis, quam seruis. Liberis, scilicet ducentis militibus, quos sub talem redegimus militiam, ut si forte in regione suboriatur seditio, ad ad monasterii armata manu concurrant custodiam; et Abbati regalem visitanti praesentiam, duodecim equites seruitium studeant exhibere; ministris, qui seruiunt cum equis, 166; item ministris, qui seruiunt cum equis, curribus 116; aratoribus 36; apariis 12; tributariis fori 20; piscatoribus 50; et fabris 10; praeparatoribus vasorum ad cellarium 6; tornatoribus 12; pistoriis 9; cocis 9; figulis tribus; ceriariis 6; pistardis 5; aurificibus quinque; carpentariis octo; molendinariis 4; opilionibus 13; agasonibus 3; subulcis 3; ministris hospitum 3; ministris infirmorum quatuor; pulsatoribus 5; bubulcorum seruituti deputatis, quos a Stuba stubarios vocare possumus, 6. etc.

§. 126. Primum monasterii S. Benedicti ad radices montis ferrei fundati Abbatem Astricum fuisse cum Michaële Szvorényio, Amoenitatum Ecclesiasticarum auctore, asseueranter statuimus: dupplici rationum momento: primum, quia ipsum Protorex qua talem laudat: Per ministerium domini Astrici, Colocensis Archie-

piscopi, et primi Abbatis praedicti monasterii;“ alterum: testimonio Hartuici dicentis: „Astricus Abbas (deuicto Cupan e Bohemia veniens) cum suis, honorifice susceptus, ad radicem montis farrei coenobium sub titulo Sancti Patris Benedicti, construxit.“ p. 129. Atqui venit qua Abbas monasterii Brzouiensis, a beato Adalberto e suomet patrimonio exstructi; nouoque, quod condidit, praefuit. Franciscus nihilominus Fuxhoffer item sui, Astrico, primo huius monasterii Abbati conciliari, (eum Monasterio S. Martini primum abbatem vendicantes) adeo non possunt, ut malint textum diplomatis temerare ly primum, legendo Paulum: inuita Minerua: nec enim Paulum consecratio Ecclesiae concernebat Abbatem, bene vero Astricum Colocensem Episcopum, primum monasterii quondam Abbatem. Nec ex eo, quod Hartuicus dicat: Astricum Praesulem, qui alio nomine Anastasius dictus est, sequitur Anastasium, qui voto Stephani ante Cupam victum, consilio suo Stephano astitit, Astricum fuisse; sed nec potuit idem esse, cum post deuictum duntaxat Cupan petierit Hungariam, quod ad summum 998-o accidit. Sed protorex etiam huic ambiguitati occursurus, Astricum nunquam dixit Anastasium; dicitur ambigue, si eum, quem diplomate anni 1001-o laudauit Anastasii nomine, eundem anno 1015. Astricum compellasset: Sed nec est possibile, ut ii filii S. Benedicti, qui iam Geysae Duci ministrabant, usque aduentum Astrici, Acephali, absque Abbate domiciliati fuissent: is proin primus fuit a Stephano laudatus Anastasius. Traditionem, quamuis communem, cui res ipsa, dataque historica contradicunt, non moramur. Abbas secundus Bonifacius, Astrici discipulus, teste Hartuico.

3.) Stephanus Rex Apostolicus fundator Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis.

§. 127. Consilio, ut antea docuimus Othonis III. Imperatoris, constituit quidem Protorex Episcopatus iam a primordio erigere; certe ante pugnam cum Cupan Duce initam Archiepiscopum quoque instituit, Dominicum: „Astante, inquit, Domino Dominico, Archiepiscopo, votum fecit“ in literis fundat. Abatiae S. Martini; ast Hungarorum conuersione duntaxat, Praeconum succurrentium ministerio propagata, et radicata disposuit, ordinauit, confirmarique a sede Apostolica petiit et impetrauit, teste eodem Hartuico pag. 130: „Post haec prouincias in decem partitus episcopatus, Strigoniensem Ecclesiam metropolim, et magistram caeterarum fore constituit. — A succesore S. Petri, Principis Apostolorum, postulauit, quod nouellae christianitati exortae, in partibus Pannoniae largam benedictionem porrigeret, Strigoniensem Ecclesiam in Metropolim suae subscriptionis auctoritate sanciret.“ — „Romanus Pontifex, cuncta, prout fuerant postulata, benigne concessit. — Impetratisque omnibus Praesul Astricus laetus ad propria remeauit.“ p. 134. Inter iacturas innumeras, quas regnum Hungariae desidia ne an casu patitur, sunt literae etiam hae Metropolitanae Ecclesiae Strigoniensis fundationales amissae: fundatorem attamen illius Protoregem fuisse, documenta quaeque exstant, contestantur: Fit eius etiam in canonica visitatione anno 1397. peracta mentio: Praeposito et Capitulo ita respondentibus: „Quod Ecclesia Strigoniensis

fundata fuit per Beatum Stephanum, regem Hungariae, qui fungebatur legatione sedis Apostolicae a latere.“

§. 128. Sita fuit metropolitana haec Ecclesia, super monte in Pannoniae confinio, aduersus Quados et Marcomannos a Romanis communito (ad Granua) municipio Soluae, aut Saluae, nomine signato adiacente, ut Petrus Katanchich suo in Geographiam Plinii commentario eruit; quod ob Danubii et Grani ibidem confluxum mox Istrorum audiit, ac in Hungaricum Esztergam, ac Latinum Strigonium transiit. Geysae Duci sedem, filio eius Stephano cunabula, praebuit: ut supra iam docuimus. Oratorio, aut Sacello, siue iam sub Romanorum, seu Francorum, Slauiumque dominatu, praeditum, in quo S. Adalbertus Geysam Ducem, ac Stephanum, cum domo tota, sacro regenerationis latice tinxit. — Prouincias immediate iurisdictioni Ecclesiae Metropolitanae subiectas, amplissimas, ex serioribus documentis Prayus censet, praeter cognominem, Comaromiensem, Poseniensem, Thurotzensis, Aruensem, Liptouiensem, Barsiensem, Hontensem, Zoliensem, Scepusiensem, ac Tornensem integros, ac Neogradiensem, Nitriensem parte potiori, Comitatus.“ Hierarchiae S. parte I-a. Quibus successu temporum aliae insuper accesserunt partes; quas anticipari, rectus ordo vetat. *)

§. 129. Libertates ac praerogatiuas tam dignitatis eminentiae, quam dioeceseos amplitudini consentaneas Ecclesiam Metropolitanam Strigoniensem a rege Apostolico nactam fuisse, dubium non est: ast illas, instrumenti literalis carentia recensendas, a nobis desideret nemo: praeter Metropolitanas, quas Hartuicus paucis his complexus fuerat: „Post haec prouincias in decem partitus Episcopatus, Strigoniensem Ecclesiam metropolim, et magistram caeterarum fore, constituit.“ Jus Reges Hungariae coronandi archiepiscopis Strigoniensibus adnatum, antiquissimum Capitali Strigoniensis sigillum innuit, quod Georgius Pray in capite dissertationis Hierarchicae Archiepiscopatus Strigon. exhibet: in quo Rex Ungariae, Stephanus, ab Archiepiscopo Strigoniensi coronatus exhibetur. — Immodicus profecto est Fran. Fuxhoffer, in sacro Pannoniae monte, et Abbate celebrans, dum Metropolitanam et Ecclesiam Strigoniensem hac gloria — leuidensi argumento — fraudat, dicens: „Ignobiliores fuisse cunctas Pannoniae Ecclesias, quam ut in iis dilectus Deo Stephanus Rex unctione chrisimali perunctus, diademate regali dignitatis feliciter coronaretur. Quare non inuenias Odeum aptum in Hungaria, pro coronatione piissimi Principis, praeter Ecclesiam sancti Martini in monte Pannoniae.“ — „Ignorarem etiam, quis S. Stephanum coronauerit, nisi nobis eundem Anastasium Astricum (?) ipse Sanctus Stephanus inuisset suo diplomate, monasterio montis Pannoniae tradito his verbis: „Consiliante Domino Anastasio, praescripto Abbate, et iugiter adiuuante, confortati et laureati sumus.“ Monaster. Lib. I. p. 66. 67. — Ergo encomiastae Ecclesia S. Martini, quae primum anno 1001-o consecrata, traditaque fuit, anno iam 1000-o XV. Agusti nobilior cunctis in Pan-

*) Partes Scepusienses inter Hungariam et Poloniam mediae, pro more illorum temporum fuerant primitus desertae; postquam coli coeptae, iuris ambigui, subit a Hungaris vindicatae. Idem de aliis confiniis tenendum.

nonia fuit; — ergo eidem laureari et coronari peridem; ergo quicumque victor laureatus, diademate etiam regalis dignitatis coronatus??!! Talibus argumentis non quaeritur, nec eruitur Historica veritas. — Priuilegia et praerogatiuas alias Metropolitanæ Sedis Strigoniensis, indicauerant ipsae fundationales monasteriorum S. Martini ac Benedicti literae, alias nos occupare dicendorum ordo vetat; amplissime disputauit Georgius Pray Hier. Sacrae Parte I. pag. 34. sequentibus. *)

§. 130. Dotem metropolitanæ Strigoniensis Ecclesiae fuisse constitutam amplissimam, prodidit Hartuicus p. 127. dicens: „Deuicto Cupan Duce monasterium S. Martini possessionibus et redditibus sufficienter dotauit — et simile fecit episcopis.“ p. 136. „Ipse vero Rex Episcopia nuper incepta, tam videlicet archiepiscopalem, quam omnes episcopales ecclesias, amplissimam singulis assignans dioecesim, et unicuique semper praeficiens idoneum Praesulem, — praediis, curiis, familiis et redditibus regaliter disposuit, crucibus et vasis, aliisque suppellectilibus, ad ministerium Dei pertinentibus, secundum quod unicuique opus fuit, sufficienter decorauit, et singulis annis, quoad vixit, munera et oblationes semper augebat, ne aliquid extrinsecus quaererent, qui officio sanctuarii praeerant.“ Praedia, curias, familias enumerare, datum nostrum non est.

§. 131. Primum sedis metropolitanæ Strigoniensis Antistitem alii S. Adalbertum anno 997-o, annis proin quatuor ante illius confirmationem mortuum, alii Anastasium, monasterii S. Martini Abbatem, catalogo Abbatum decepti, fecerant. Literae autem Stephani regis monasterio S. Martini datae Dominicum occasione concepti iam ante pugnam a Stephano contra Ducem Cupan voti designatum, eidemque iugiter consilio et opera assistentem, anno 1000-o a Syluestro II. confirmatum produnt. Ipsum aedem S. Martino sacram consecrasse, haec verba indicant: „Signum Domini Stephani inelyti Regis, Dominicus Archiepiscopus, Vice-Cancellarius fecit. Anno Dominae Incarnationis M.I. Indicationis XV. Anno Stephani Regis Primo.“ Sub hoc Dominico Cathedralẽ Ecclesiam in arce Strigoniensi, assurexisse honoribus S. Adalberti nuncupatam, testatur Dubrauius scriptor Bohemus lib. VI. Eundem e clericis ac clericis saecularibus, qui huc affluerant, electum fuisse, cum Sebastianus e monasterio S. Martini primus assumtus legatur in Archiepiscopum Strigoniensem, in cathalogo S. Martini sacri montis Pannoniae; nec in ullo egisse indicetur Monasterio, conficimus.

II. Sebastianum ordinis S. Benedicti, in monasterio S. Martini religiosum,

*) Ecclesiam Metropolitanam Strigoniensem primaeuam honori S. Adalberti dicatam fuisse, consentiunt omnes; ast in anno figendo dissentiunt scriptores: Albericus l. c. ad annum 1010-um videtur figere, ad hunc annum referens: „Dicunt Hungari, quod S. Adalbertus, Pragensis episcopus, regem Stephanum ad fidem conuertit, et baptisauit: et ipse Rex sua praedicatione Hungaros conuertit, et maiorem Ecclesiam Strigonii, in honorem Adalberti, instituit.“ Poloni templum isthoc prius iam exstruxisse tradunt: „Audita eade Martyris, Stephanus, rex Pannoniae, primus in eius honorem templum in arce Strigoniensi condidit.“ Ser. archiep. Gnesnen. p. 61. Si anno iam 997-o coepit Ecclesiam exstruere, usque annum 1000-o in tantum potuit adducere, ut ibi coronari potuerit, nec ad montem S. Martini commigrandum ei fuerit ad solennitatem eam peragendam, quod Fuxhoffer voluit.

candore, ac scientiis meritum fuisse in Cathedra Metropolitana Strigoniensi successione, Hartuicus attestatur: Eodem tempore (post constitutas nempe Cathedras episcopales et Synodum regiam celebratam) in monasterio Sancti Martini erat Monachus quidam Sebastianus nomine; cuius probabilis vita et deuota in Dei seruitio religio habebatur; hunc Rex venerabilis miro amore coepit diligere; quia quanto quis religiosior, tanto ei erat acceptior. Illum ergo ob vitae merita pontificali honore dignum iudicans regendo Strigoniensi Archiepiscopatu praefecit; et quoniam flagellat Deus omnem filium, quem recipit, praedictum Sebastianum ad probandam ipsius patientiam, corporalium oculorum lumine ad tempus priuauit. Sed ne nouellus in fide grex absque pastoris regimine a recti tramitis proposito deuiaret, per consensum Romani Pontificis saepe dictum Astricum, Colocensem Episcopum, in illius locum substituit. Euolutis autem dein trium annorum circulis, Sebastianus ex Dei misericordia recepto lumine, rursus per Apostolici consilium suae sedi restitutus est, et Astricus ad suam Ecclesiam, videlicet Colocensem, cum pallio rediit.“ — Sebastianus hic Archi-Praesul, Henrico Monacho Cassinensis montis author factus est, ut Abbatiae S. Martini praefecturam accipiat; de quo Catalogus Abbatum S. Martini, apud Martinum Szentiványi Dec. III. p. I. pag. 136. haec habet: „Henricus sub Benedicto VIII. summo Pontifice, unus ex reliquis, e monasterio montis Cassinensis, iussu summi pontificis in Hungariam missus, Sancto Sebastiano, ex Monasterio S. Martini, iam tunc in primum Archiepiscopum Strigoniensem assumpto charissimus, medio cuius in spiritualibus et temporalibus plurimum confortatur.“ Fuit XXX. die Decembris anno MXXXVI. suo fato defunctus: eo quippe, quo Gerardum, primum Csanadiensem Episcopum consecrauit. Fragilitatis humanae quid passus est RR. Stephanus Katona criticus noster, hunc Sebastianum binominem, cum Dominico, quem descripsimus, eundemque contendens: eo quod diplomati Stephano anni 1001-i in textu Dominicus iteratim, in subscriptione anni millesimi secundo Sebastianus legatur subscriptus: quasi non verisimilius esset, Dominicum gesto annis quatuor Archiepiscopatu, anno 1001-o, quam post annos quadraginta mortem oppetiisse. Est etiam Diplomataris notorium, saepe literas solennes alio quam donationis anno fuisse expeditas. Alterum argumentum sumpsit e fatalis catalogi Abbatialis testimonio praememorato, quo Henricus Sebastiano ex monasterio S. Martini iam tunc primum assumpto Archiepiscopo charissimus dicitur; cum tamen his non primus A. Episcopus Strigoniensis factus, sed duntaxat primus e monasterio assumptus indicetur; nec secus patitur rerum, quae praemittuntur, gestarum series: oportuisset alias Metropolitanam sedem post coronationem Stephani, ecclesias prouisas, synodum celebratam, etc. repletam fuisse. Quod binomen attinet: Si Hartuicus non dixisset expresse, Astricum, alias Anastasium nominatum, crederet sane nullus: cum ergo Dominicum binominem fuisse, testetur nullus, nemini etiam credendum.

4.) Stephanus Rex Apostolicus, sedium episcopaliū fundator.

§. 132 I. Episcopatus Colocensis. Nullius ex episcopatibus, a rege Apostolico Stephano fundatis, initium prius ac certius cognitum est, quam Colocensis.

Huius praesulem, quum episcopatum, a se designatorum, confirmationem a Romano Pontifice postulaturus erat, primum destinavit, Romamque delegavit: „Cognoscens, inquit Hartuicus p. 130. prudens Dux Astrici praedicti religionem, pontificalis ipsum dignitatis infula decoravit, electione canonica sublimavit, et ei Colocensis episcopatus dignitatem contulit.“ Stephanum, Apostolicum regem, fundatorem celebrat templum etiam magnificum, in honorem Virginis in coelum assumptae conditum, longum, ut ex veteribus fundamentis exstantibus apparet, orgias 42. latum orgias 25. Katona Hist. Coloczen. Ecclesiae P. I. pag. 59.

§. 133. „Piget hic disserere, merito ait idem Vir doctissimus l. c. de variis, vanisque quorundam coniecturis, quibus appellationem Coloczae iam a Coletianis populis, iam a statuis colossis arcessunt. Primam sententiam Belius ita perstringit: Vix diuinare possis, quomodo in alieno (Jazigum limigantium) solo coloniam posuerint Coletiani, quos Ptolomaeus inter Sauum et Drauum, Petouio haud procul, collocat. Mansionem ad statuas in solo Romano, non barbarico fuisse, iam alias vidimus.“ Colocza, ad ripam septemtrionalem fluvii Vaias hodie dicti, iacet. Videtur hic alueus, cuius initium ad Foktū, finis ad Bodizlo, olim magis repurgatus, nauiumque ferax, magnam Coloczae celebritatem ac frequentiam, ob commerciorum oportunitatem, ac nauium huc appellentium securitatem conciliasse. Quae res Regem Apostolicum permouerit ad episcopatus sedem hic constituendam. — Cum huius etiam fundationales literae sint perditae, in designandis Dioeceseos limitibus Katonaium sequimur: Complectebatur praeter Comitatum Bodrogensem, Solthensem etiam districtum complexum, Cumaniam quoque minorem. Ille initium sumpsit a Dömsöd, unde 12 miliaribus Baiam usque procurrit. Praeterea ad Csongradiensem quoque provinciam limites suos porrexisset, certum est, ex Wadingo, qui Szegedinum sacris Ecclesiae Coloczensis iuribus subiectum fuisse, tradit.“ l. c. p. 22. Dioecesis Coloczensis, tribus provinciis circumscripita, inter amplas satis censenda.

§. 134. Villas, latifundia, aliaque, quibus sedem hanc Apostolicus dotauerat emolumentis, enumerare nequimus, ob defectum iam dictum. Illam piscium copia abundasse maxima, in sua Historia Hungariae edit. Kollar p. 52. Olahus Archiepiscopus celebrat: Hac ego re, factum puto, ut fieret locus prouerbio: archiepiscopum Coloczensem Deum esse piscium“ inquit.

§. 135. Primus Colocensium Episcopus certissime fuit Astricus: Elogium eius ita texuit Mabillonius (Act. Ord. S. Benedicti P. I. p. 72) „Hic in monasterio S. Alexii, seu Bonifacii Romae vitam monasticam agebat; — eo tempore, quo S. Adalbertus, Pragensium Antistes, in idem monasterium se denuo recepit. Quum vero idem Adalbertus iterum in Bohemiam ad suam Ecclesiam redire coactus fuisset, sex monachi Alexiani, inter quos noster Astricus erat, sese ipsis itineris comites adiunxere; eumque in Bohemiam secuti sunt.“ In monasterio, quod Adalbertus Breunouiae, e suomet patrimonio, condidit Abbas factus. — „Astricus abbas, alio nomine Anastasius dictus, e monasterio S. Alexii, cum suis, Adalberto mortuo, in Pannoniam ad ducem se recepit.“ Stillingus Annalium Bened. Tomo

V. p. 115. Hartuicus ita continuat: „Diulgato Stephani Ducis desiderio, multi presbiteri et clerici, Spiritus paraleti compuncti visitatione, relictis sedibus propriis, elegerunt pro Domino peregrinari. Abbates et Monachi, nihil proprium habere cupientes, sub tam religiosi Principis moderamine regulariter viuere deliberrunt. Inter quos vitae regularis pater Astricus, cum suis discipulis aduenit. — Astricus Abbas cum suis honorifice susceptus, ad radicem montis ferrei coenobium sub titulo sancti Patris Benedicti construxit (pag. 128.) Ibi primus Abbas (e literis anni 1015.) — Cognoscens vero (prosequitur Hartuic. p. 130) prudens Dux praedicti Astrici religionem, pontificalis ipsum dignitatis infula decorauit, electione Canonica sublimauit, et Colocensis ecclesiae Episcopatum ei contulit. Quarto post obitum Patris sui anno 999—1000-o eundem Astricum, qui alio nomine Anastasius dictus est, ad limina Sanctorum Apostolorum misit. — Qui impetratis omnibus, prout petiit, laetus ad propria remeauit Romae consecratus. Sebastiano, Strigoniensi Archiepiscopo, corporalium oculorum lumine ad tempus priuato, per consensum Romani Pontificis saepe dictus Astricus, Colocensis Episcopus in illius locum substitutus. Hac occasione in concilio Francofordiensi anno 1007-o celebrato, institutioni Bambergensis episcopatus consensum suum his verbis expressit: „Anastasius, Ungrorum Archiepiscopus, interfui et subscribo“ Act. Conc. Tomo VI. p. I. pag. 771. — Euolutis dein trium annorum circulis, Sebastianus ex Dei misericordia recepto lumine, rursus per Apostolici consensum suae sedi restitutus est, et Astricus ad suam Ecclesiam uidelicet Colocensem, cum pallio, rediit. Anno 1015. Ecclesiam S. Benedicti ad radices montis ferrei, anno 999. dum eius monasterii eset primus Abbas, inchoatam, consecrauit. Anno 1028—9-o Arnulfum, Comitem Woburgensem, et monachum S. Emmerami, Conrado Imperatore, et Henrico eius filio regnante, in Hungariam uenientem, humanissime suscepit. Ille apud Canisium tomo III. p. 91. de eodem Astrico haec perhibet: „Tum cursu properato, tertia die aduehebar Pannoniae solo, qua me Anastasius Archiepiscopus ceteris suscepit humanius, et affatus familiarius. Is, quum B. Emmerami ueterem illum et uitiatum legeret librum; materiam probauit cum sententiis; sed harum acriem cum veste reprehendit pondere rationis. Apud quem sex hebdomadas manens, memoriae sanctissimi patrum antiphonas aliquantas, cum responsoriis composui. — Haec praefatus Episcopus monachos et clericos suos fecit discere, et in ecclesia die ipsius natali publice celebrare.“ Cum Conradus imperator anno 1039. obierit, Astricus ultra hunc annum vitam egisse non potuit; quo inter 1028 et 1039-o ait mortuus, incertum. Nec Archiepiscopatus, nec pallii ius, utpote persouale, transiit in successores; ideo iam Archiepiscopus, iam Episcopus ab Arnulfo compellatus. — Astrico titulus Sancti passim adscribitur, quem tamen Ecclesiae iudicio nunquam ei decretum et approbatum fuisse legimus. Quod et iuris canonici et moris fuisse D. Du Fresne recte notauit: „Archiepiscopus interdum dictos quos episcopus, quibusdam ex quadam praerogatiua ius pallii concessum est, a summis Pontificibus; — sed his in nullos episcopos ius erat; sola pallii dignitas et archiepiscopi titulo ceteris superiores.“ Item: „Pallium priuilegium est quibusdam

personale, id est ad vitam; aliis reale, id est eorum ecclesiae concessum. — Idem pallii privilegium indultum aliquot Ceromanensibus episcopis, pariter legimus, qui ex eo archiepiscopos se se inscripserunt.“ Gloss. tom. I. col. 604. et tom. V. col. 70.

§. 136. II. Bacsiensis. Episcopatum hunc, etsi fundationales eius desiderantur, fundatum Stephano Regi Apostolico pariter tribuimus: cum ab anno 1085. Fabianus usque 1103-um constanter scribatur Archiepiscopus Bacsiensis; eius vero successores, Bacsiensis Ecclesiae titulum usque Andream, qui praefuit anno 1179, constanter gesserint. Testimoniales horum sunt Literae Feliciani Strigoniensis, quae episcopatum a S. Ladislao Zagrabiae fundatum dicunt: „Bacsiense Archiepiscopo Fabiano existente.“ Item: Ego Mukia (Miko, Michaël) Bacsiensis Archiepiscopus laudo: anno 1143. et 1149. Confer Codicem Diplomaticum. Ecclesia in honorem Sancti Petri fundata fuit: coniuncta Canonica unione cum Colocensi sub eodem Mikone.

§. 137. Sedes episcopatus Bacsiensis, etiam Bahasnensis et Bacensis dicti, Bacsinum, hodiernum usque diem amplum ac populosum oppidum, ab cuius munimento provincia cognominis nomen sortita fuit. Complectebatur suo ambitu comitatum Bácsiensem, et trans Danubium usque ostium Sauu, quidquid a Kowarok, episcopatus Quinque-Ecclesiensis limite, usque Belgradum tenditur, et portionem quoque Bosniae superioris: ipso Stephano Katona teste loco citato. *)

§. 138. Qui episcopatum Bacsiensem regi Apostolico fundatori abiudicant, eo utuntur argumento: „Mihi, inquit Katona l. c. p. 10. quum Hartuici verba, quibus S. Stephanum singulis episcopatibus amplissimum (tradit Hartwicus) assignasse Dioecesim, studiosius expendi, grauis et iusta dubitatio suborta est, an rex Apostolicus, ut Colocensis, ita Bacsiensis quoque dioecesis auctor haberi certo possit. Nam si haec ab illa seorsim consideretur, non amplissimis, sed arctissimis limitibus utraque circumscriberetur. Vel una haec difficultas tantam vim habere posset, ut quum Colocensis episcopatus conditorem S. Stephanum agnoscere debeamus, Bacsiensem non ab eodem conditum, sed ex Colocensi serius excisum fuisse (a S. Ladislao) suspicari possimus.“ — Ast suspicione hac abstinere vir doctissimus iure potuisset, si ad ea se reflexisset, quae de unitate Bacsiensis et Colocensis Dioeceseos amplitudine ipse professus fuerat: „Si hanc totam plagam (Sárköz) Cumaniam quoque minorem complexam, cum provincia Csongradiensi coniungamus, hisque praeter Bodrogiensem et Bacsiensem etiam Sirmiensem adnectamus, amplissimam olim fuisse dioecesim Colocensem ambigere non possumus. Unde poterat Ugrinus Archiepiscopus ad id facile permoueri, ut, ob dioecesim late diffusam, nouam in eadem episcopem conderet, cuius Antistes curarum partem in se reciperet (Sirmiensis nempe) ut suo loco videbimus.“ l. c. p. 23. Si post unionem plaga

*) Cinnamus l. c. p. 101. edit. Venet. Bacsinum corrupto nomine compellat, dum scribit: „Superiori e parte Istrum traiciens, ad ciuitatem, nomine Pagatz i peruenit. Est vero illa Sirmiensis agri metropolis; hic habitat gentis huius Antistes.“ De Emanuele ad an. 1163.

haec patentissima duorum, quin et trium (Bosnensis) Antistitum curam requirebat; ea nec a primordio poterat Bacsensis Episcopi consortio carere: orá praesertim Savi a Colocensi sede multum remota. *)

§. 139. „Hanc suspicionem firmat, continuat doctissimus auctor, ac in probabilem sententiam commutat illa lis, quae sub S. Ladislao de limite Dioecesium inter Episcopos Desiderium Colocensem, et Stephanum Quinque-Ecclesiensem emerit.“ — Bene observat RR. Kollerus ad limitem Kőárók praesentem controuersiam pertinuisse. — Nulla ratione intelligi: quí Colocensis episcopus Quinque-Ecclesiensem Dioecesim inter Danubium et Sauum, ubi aquae ductus Kwarok ei pro limite erat, inuadere potuerit: Erat enim ex parte sola Bachiensis Dioecesis Quinque-Ecclesiensi finitima atque idcirco Desiderio primum Bacsensis dioecesis occupanda et sic demum in Quinque-Ecclesiensem inuasio tentanda.“ Nodum hunc celeberrimus Kollerus ita secuit Hist. Quinque-Eccl. Tom. I. p. 169. „Non aliam superandae difficultatis viam inuenio, quam si dicatur: Descriptorem Simigiensis transumti, qui multisane mendis exemplar suum contaminauit, hoc loco grauius lapsus, Desiderium Colocensem pro Fabiano Bachiensi scripsisse; circa finem vero diplomatis, intra actorisantes episcopos Fabianum Desiderio substituisse.“ Ibidem p. 173.

§. 140. Hanc difficultatis enodationem violentam censens RR. Katona, certissima consecutione deducit, S. Stephanum Bacsensis Dioecesis autorem haberi non posse; eam serius ex Colocensi excisam esse. — Ita doctissimus Scriptor, descriptorem monumenti, in aliis quoque hiantem negligentiae argui, violentum ducit; et non sensit excisionem hanc Archiepiscopatus Bacsensis e medullis Dioeceseos Colocensis violentiorem multo: utpote et iuribus canonicis et disciplinae ecclesiasticae magnopere contrariam: ipse ad annum 900-um Christi grauius depinxit Episcoporum Bauariae querelam, ex Passauiensi Dioecesi Archiepiscopatum Moraviae efixtum fuisse, nunc ex dioecesi Colocensi Archiepiscopatum Bacsensem excisum nihil moratur. Ego vero Desiderium, Colocensem episcopum, qui dioeceseos suae limites per Quinque-Ecclesiensem Episcopum arcuatos haud tulit, ex ea Archiepiscopatum excindi, nihili duxisse, difficilius credo, quam errorem in transscribendo diplomate admissum.

§. 141. Arguit denique: „Quare vindicata S. Ladislao Bacsensi metropoli, verum erit illud Corsendoncani codicis in eius vitam testimonium: „Duos quoque episcopatus ordinauit (Zagrabiensem et Bacsensem) quum, ut idem eruditus auctor observat, omnis archiepiscopatus veri nominis episcopatus sit.“ l. c. p. 10. —

*) Difficile est statuere, quomodo Hungari suam ditionem ad Sauum usque fluium extendentes, prouinciamque Valkouiensem ac Poseganum in sua potestate habentes, angustum illum inter Danubium et Sauum comprehensum campum, qui prouinciae Sirmiensi respondet, seu Croatici, seu Graeci iuris esse permiserunt. Admittendum potius, Croatas, postquam Slauoniam, inter Drauum et Sauum Hungaris, glade Augustana fractis, eripissent, eorum quemdam Sermonem, Nestongi fratrem, in dominium Sirmii anno 1009. irrepsisse; ast eodem decennio post, quam Croatiae Basilio Imperatori se dedidissent, Diogenis, uicinae prouinciae praefecti, fraude Graecorum imperio vindicatum, atque a Stephano, cui beatus cum Basilio conuenerat, seu quod inexpugnabile visum sit, relictum fuisse.

Nos vocabula episcopatus ordinare, et fundare, aequipollentia non ducimus, malumusque per hanc ordinationem, Bacsensis in archiepiscopatum elevationem, et Varadinensis episcopatus ab Ecclesia B. M. Virginis Maioris ad Ecclesiam Minoris translationem intelligi. De quibus uberius patebit disceptandi locus. Quomodo etiam disertissimus Criticus, si Bacsensis Episcopatus a Protorege fundatus haud fuit, episcopatus ad denarium, praeter Strigoniensem, numerum (supputatis supputandis, Nitriensi, Sirmiensi et Bosnensi) cogere possit, non capimus. Sed certiora affirmandi facultate omnibus salua relicta.

§. 142. Qui Bacsensi episcopatu, a Rege Apostolico fundato intuitu eo refragantur, quod Pannoniam interamensem iuris Hungarici fuisse, adeoque Protoregem, in possessionem alienam, suam dispositionem extendere potuisse, negant; feriunt una et Colocensem et Quinque-Ecclesiensem: cum ambarum dioecesium limites ultra Danubium protensi constituantur. — Nos haud dubitamus eos erroris redarguere: cum Hungaros trans Danubium etiam usque Sauum possedisse, non testimonio solum Belae regis Notarii, sed Constantini etiam Porphirogeniti sit firmatum: „Et habitant quidem Turci (Hungari) etiam ulterius ultra Morauiam magnam intra Danubium et Sauum fluuios.“ I. c. cap. 40. Non ignoramus quidem Croatas subin in Slauoniam irrepsisse; ab anno 1010-o Sermonem quocunque demum pacto, clientelari, aut potentiali, Sirmium possedisse, atque hoc Graeca fide Diogenem occupasse, testimonio Scyltitzis. Fol. 94. edit. Venet. etc.; ast nouimus etiam ad iacturam hanc, motibus post Proto-Regis obitum in Hungaria strepentibus compositis, Andream mox reparandam, suam sollicitudinem conuertisse, teste Joanne Archi-Diacono de Guerche (apud Kerchelich Not. prael. p. 10.) Qui ait: „Andreas stabilito sibi regno, de recuperandis regni iuribus sollicitus, Adalbertum fratrem fecit Ducem Slauoniae; Radum autem Palatinum regni. Isti regem Croatiae coartarunt, et Slauoniam ad veteres limites Zettinae fluenti reduxerunt. Dicunt Belae memoriam seruari in Belica (Belovár) aliisque locis.“ Idem praestitisse etiam parte sua Radonem Palatinum, literae solennes anno Incarnationis Dominicae MLVI. secundo nonas Junii, Indictione X. per regem Andream, Albae-Regiae, in congregatione regni confirmatae manifestant: „Ego Rado Palatinus, inquit, — possessionem supra Sauum, — quam multis bellicosis laboribus cum tota prouincia illa sacro sanctae coronae rectificauit, et iterum adquisiuit.“ Vide in Codice Tomo I. p. 394. Non dicturus fuerat Rado Palatinus, se prouinciam Sauanam iterum adquisiuisse, si illa prius iuris sacrae coronae non fuisset. Ipsum Sirmium Graecis ereptum fuisse a S. Ladislao, testimonio Zonarae, lib. V. no. XII. comperit tenemus: „Hungarorum gens, ait, saepe Romanorum fines incursum; et paulo ante, quam imperaret Alexius Comnenus, Sirmium cepit, et multis transistranis urbibus expugnatis, Naissum usque peruenit.“ Ad an. 1081. — En causam facti, cur Ladislaus anno 1085. Bacsensem Episcopatum ad dignitatem eleuaerit Archiepiscopatus: Ducatu nempe Sirmiensi Parochiae Bacsensi accrescente. Causa, quam RR. Prayus praescrisit Hierar. S. P. II. p. 19-a est non minus rationabilis: „Quo autem tempore, per quem, et qua de causa Bacsensis Ecclesia in

Archiepiscopem permutata sit, noua indagazione eget; tametsi et hic omnia tenebris inuoluta fateri cogamur. Illud prope certum est, ante annum MLXXXV. neminem, qui quidem authenticis instrumentis proditus sit, reperiri, qui Archiepiscopi Bacsensis praerogatiua ornatus fuerit; quo tempore cum rerum summa apud Hungaros, penes Ladislaum I. esset, facile in animum induco, ut hunc, quem ornandis, augendisque Ecclesiis praeceteris, a Divo Stephano deditum fuisse constat, authorem Bacsensis archiepiscopatus fuisse, mihi persuadeam. Occasionem vero, credibile est, inde obortam: quod, cum in eo tractu, quo Bacsensis Episcopatus porrigebatur, Cumanorum, qui sub Salamone Rege opera Ladislai, semel iterumque profligati sunt, maxima pars degeret, istique, hac enim conditione illis post praelium vitae gratia est facta, praebitumque domicilium, studio Bacsensis Antistitis ad christiana sacra Ladislai tempore traducti essent; is non modo episcopi conatum remunerari voluerit, sed animarum etiam saluti, ac regni decoro, unicum enim hactenus Hungaria Archiepiscopatum habebat, consulere, Bacsensem Ecclesiam praerogatiua Archiepiscopatus a Pontifice postularit exornari. Ita opinor, alii forte meliora suggerent.“

§. 143. III. Agriensis. Vt ut episcopatus huius quoque fundationales litterae sint deperditae, originem tamen a Protorege Stephano, controvertit nemo. Suffragatur diploma Belae IV, qui dum vetera illius iura et possessiones confirmat, S. Stephano conditoris nomen una attribuit his verbis: „Bela Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Seruiae, Galiciae, Lodomeriae, Cumaniaeque Rex. Omnibus Christi fidelibus praesens scriptum inspecturis, salutem in vero Salvatore. — Ad uniuersorum notitiam harum serie volumus peruenire: quod Sancta Mater Ecclesia Agriensis, in honorem Beatissimi Joannis Apostoli et Euangelistae dedicata, cuius fundator et dotator Sanctissimus Rex Stephanus, parens regni Hungariae, et Apostolus praecipuus, miro modo fuit.“ V. ad an. 1261-um in Codice. Ecclesia cathedralis honori S. Joannis ante portam Latinam dicata in arce exsurexit.

§. 144. Tertius est hic Episcopatus, qui in parte Regni, quae inter Danubium et Tibiscum patet, est conditus: sedes eius Agriae, ad amnem cognominem, prouinciae Hevesujvárens metropolis, Jazigum olim Metanastarum incolatu et arce incluta. Amplitudine Metropolitanam Strigoniensem aemulata. Limites eius Pazmanus Appendice I: ad Synodum anni 1629. pag. 81. Borsodiensi, Zemplinensi, Bereghiensis, Szabolchensi, Zarandiensi, Sárosiensi, Abaujvarensis, Hevesiensi, Ungváriensi definiuit; accedente agro etiam Marmarosiensi. Haec ei amplitudo pluribus constitit litibus.

§. 145. Libertates ac praerogatiuas Ecclesiae Agriensis e prae laudatis Belae IV. literis nouimus. „Super omnes, inquit illae, ecclesias cathedrales regni Hungariae per tot donationes et libertates, per sanctos reges donatas, et concessas sedebat ut domina gentium in sede maiestatis suae, diademe pulchritudinis decorata. — Libertas autem eidem Ecclesiae Agriensi in omnibus suis tenentis, videlicet ciuitatibus, villis et oppidis, donata haec est: quod nullam collectam, nullumque censum, seu exactionem, quouis alio nomine nomina-

tam soluere teneantur regio Fisco exigendam, vel Comiti Camerarum persolendam, quas ab aliis regnicolis, temporibus debitis, more solito exigere consueverunt. Item quod nullus Baronum, videlicet Palatinus, Judex Curiae Domini Regis, Magister Tauernicorum, Wayvoda Transluaniae, Banus totius Slauoniae, et alii, quavis dignitate fulgentes poterunt descensum facere in possessionibus Ecclesiae antedictae Agriensis; nec victualia alicui ipsorum Baronum a possessionibus suis Episcopus, in quocunque Comitatu existentibus, offerre vel dare teneatur; immo neque iudicare, neque damnare aliquem de omnibus ciuibus, hominibus, inquilinis, et rusticis, de possessionibus Ecclesiae Agriensis poterunt, praesumentes, sed officiales episcopi, in toto omnes causas, et earum articulos, tam sanguinis, quam furti, cum aliis omnibus iudicabunt. — — — Hoc non praetermittimus: quod si aliquo tempore reges Ungariae nostri successores, quatuor filios habuerint, episcopus Agriensis, qui pro tempore fuerit, quartum custodiet, prout hoc a sanctis regibus exstitit ordinatum et statutum:“ Ibid.

§. 140. Ciuitatum, oppidorum, villarum, teloniorum amplior est numerus, quam ut hic cum suis limitibus recensendus singillatim videatur: „Videlicet tota vallis Agriensis incipiendo a terra Nobilium de Bél et de terra Nagyvár (al. Nagy-Győr) Castri nostri de Borsód; quae quidem vallis Agriensis per decliui directum, per valles etiam collaterales, extendit se usque ad terras nobilium de Szemere et de Forro, ubi tales villae sunt fundatae: — — — Item decimam partem omnium tributorum, in tota dioecesi Agriensi, tam regalium siue reginalium, quam nobilium, Episcopus percipiet, et percipere dignoscetur, per collationem sanctorum regum, a foundationis ecclesiae praenotatae temporibus. — Et quia quod semel Deo dedicatum est, amplius ad profanos usus non est reuocandum, volumus et perpetua sanctione stabilimus, quod praedictae libertates cum omnibus possessionibus et terminis, tributis et piscinis superius nominatis, in toto et in qualibet parte — intactae permaneant, et illaesae, quemadmodum praedictus S. Rex ob reuerentiam Dei et mercedem sempiternam, praedictae Ecclesiae Agriensi ordinauit“ Ibid.

§. 147. Quis vero Praesulum, scribit Nicol. Schmitth, Episcoporum Agriensium Biographus, l. c. p. 8. primus infulam Agriensis ecclesiae a S. Stephano acceperit, dubium, controuersumque manet apud Historicos. Laudatus P. Szörényi in commemoratis MSS. Catapanum, siue Katapanum, vel ut aliis scribere placet Kathapanum opinatur familiam ducere Agriensium Archiepiscoporum, eumque bono omine primo loco collocat. At quo iure, quae auctoritate veterum chartarum suam opinionem fulciat, non prodit.“ Hiatum hunc nec Georgius Pray expleuit, dum Catapanum ad annum Christi 1009. Bonifacium vero ad annum 1019-um praestituit; Fallit quin immo dicens: quatuor primi ex P. Nicolai Schmitth serie Episcoporum Agriensium, qui hos partim ex Bonfinio, partim ex MSS. memoriis P. Alexandri Szörényi accepit, sumti sunt.“ Cum tamen Schmitthius suam ignorantiam confessus fuerit ingenue. Nec nos ideo pudeat, quis primus Agriensium Praesul, ignorare.

§. 148. IV. Episcopatus Ultrasiluanus. Huic erigendo inquietum Gyulae iunioris, e genere Tuhutum, ingenium occasionem praebuit proximam. Fuit non Gyulae senioris, patris Saroltae, Stephani matris, sed Zomboris illius fratris filius; Gyula seniore mascula sobole carente, factus Dynastiae Ultrasiluanae Dux, ut Belae Regis notarius expresse perhibet. Non solum religionem auersatus est christianam, sed pacem quoque et obsequium. Hoc Stephani Protoregis animum religioni saluificae permouendae intentum ad arma contra eum corripienda protraxit, et utrumque victor ab eodem extorsit. Rem sequentibus perhibet Chronicon Thurotzii: „Beatus Stephanus, postquam regiae celsitudinis coronam diuinitus est adeptus, famosum et lucrosam bellum gessit contra auunculum suum, nomine Gyulam, qui tunc temporis totius ultra siluam regni gubernacula possidebat. Anno itaque Domini millesimo secundo beatus rex Stephanus cepit Gyulam Ducem, cum uxore et duobus filiis, et in Hungariam transmisit. Hoc autem ideo fecit, quia sapientissime ammonitus a beato rege, nec ad fidem Christi conuersus, nec ab inferenda Hungariae iniuria conqueiuit.“ P. II. cap. XXIX. A principio repetit Anonymus Belae Regis Notarius cap. XXVII. „Tuhutum terram Ultrasiluanam obtinuit ab Arpado Duce pacifice et feliciter; sed et posteritas eius usque ad tempora S. Regis Stephani obtinuit. Tuhutum vero genuit Horcam, Horca genuit Geulam (Gyulam) et Zumbor. Geula genuit duas filias, quarum una vocabatur Caroldu, et altera Saroltu, et Sarolt fuit mater S. Regis Stephani. Zumbor vero genuit minorem Geulam, patrem Bue et Bucne; tempore cuius S. Rex Stephanus subiugauit sibi terram Ultrasiluanam, et ipsum Geulam uinctum in Hungariam duxit, et per omnes dies vitae suae carceratum tenuit, eo quod in fide esset vanus, et noluit esse christianus, et multa contraria faciebat S. Regi Stephano, quamuis fuisset ex cognatione matris suae.“ — Rem eandem chronicon Hildesheimense sic confirmat: „Stephanus Rex Ungriae, super auunculum suum regem Julum, cum exercitu venit; quem cum comprehendisset, cum uxore et filiis duobus, regnum eius vi ad christianitatem compulit.“ Ad annum 1003. Etiam Ademarus Chabanensis: „Stephanus etiam, Rex Ungriae, bello afficiens Ungriam nigram (Ultrasiluaniam) tam vi, quam timore et amore ad fidem veritatis totam illam conuertere meruit.“ Ad eund. annum. Ne ergo conuersis taliter Transiluanis Doctor, Pastor et Pater deforet, Episcopatum eis fundauit, ac templum in honorem S. Michaëlis Archangeli condidit: memoriam fundatoris S. Stephani, recolunt literae a Mathaeo Vaiuoda anno 1277-o editae his verbis: „Quod cum nos peculiari pietatis et reuerentiae zelo ducamur in sanctam matrem Ecclesiam beati Michaëlis Archangeli in Alba Transil. quae sedes est episcopalis, per diuum sanctumque olim regem nostrum Stephanum beatæ memoriae iam fundatam et aedificatam.“ Vide no. XXXVII. Haec de condito apud Transiluanos Episcopatu, in densis illis apud nos seculi XI. tenebris et instrumentorum defectu, sufficiant.

§. 149. Sedes episcopatus huius fuit eadem, quae prius Gyulae Ducis, Alba, a Duce Alba Gyulae compellata, quae subiq. transiit in Albam Juliam, demum Carolinam, in prouincia cognomine Albensi Hungarorum: ut verba literarum pra-

missarum indicant; iudiciariae vero Thomae Wayuodae, anno 1322-o emanatae confirmant: „Quod a tempore aedificationis ecclesiae beati Michaëlis Archangeli Transilvaniae, praefatae possessiones essent et fuissent ad Comitatum Albensem pertinentes, seu extantes“ V. nro. XXXVIII. Jurisdictio praefatae S. Michaëlis Ecclesiae per totam Transilvianiam patebat a primordio; exceptis desertis, quae mox Siculi et Flandro-Saxones insederant. Unde dicta etiam primitus quidem Ultrasilvana, mox Transilvana; sed de eo disputabatur: quatenam fuerit a primordio Ultrasilvaniae extensio; num etiam provincia Marmorosiensis tota vel ex parte ad illam pertinuerit? De quibus mox disceptandum erit.*)

§. 150. Dotem e tenentis Gyulae sedi Albensi amplissimam fuisse excisam, non dubitamus; ast fundationalium instrumentorum defectu certi nihil audemus constituere: „possessiones Almakerek, Keresd, Besse, Felteoteluke, Uyfalu, Rundal, cum suis pertinentiis, in Comitatu Albensi, ad eam spectasse laudatae Thomae Wayuodae literae prodiderunt; reliquae sua emergent serie, quam praecoccupare nolumus. Confer Prayum Hierar. sacrae P. II. p. 203. sqqu. — Simone ad an. Christi 1103. Ultrasilvano episcopo, vetustiore non reperimus: priores temporum iniquitas hausit.**)

§. 151. V. Episcopatus Veszprimiensis. Huius designandi S. Stephano, a rerum gestarum primordio, Ducis Cupan Simigiensis rebellio dedit occasionem: certe in fundationalibus Ecclesiae S. Martini de anno 1001-o literis, occasione decimarum Comitatus Sümegiensis, parochianus huius episcopus commemoratur; Ecclesia S. Michaëlis, et episcopatus curte, quae vocatur Cortou donatus. Dotatione anno 1009-o subscripta foundationem perfecit etiam: „In nomine Sanctae et individuae Trinitatis Stephanus, Dei gratia Hungarorum Rex. Si propter pietatis magnitudinem non solum domesticis verum etiam aduenientibus fidelibus digne postulata largimur, praecipue conuenit, ut animi culmen ad supernas anhelantes deuotiones, sanctarum Ecclesiarum postulationibus acclinemus. — Proinde omnium

*) Ambigua quamuis sit Milkouiensis Episcopatus, in confinio Moldaviae et Valachiae situati, atque per nonnullas etiam Siculoas et Saxonicas sedes patens origo; id tamen certum. eum Latini, non Graeci, ritus fuisse. Laurentii Episcopi Milkouiensis apud Benkő Milkouiae II. p. 55. verba: „erectionis eius memoriam rerum alterationibus (anno 1090) iam deletam“ ad apicem trahenda non sunt. Quod quaedam sedes Siculoae ac Saxonicae non ad Ultrasilvaniensem, sed ad Milkouiensem dioecesim censae sint, causa ea factum, quod illae, ad ditionem Gyulae Ducis nec pertinuerint: sed desertae, mox a Siculis et Saxonibus sint insessae. Causa eadem primitiuos Episcopatus Ultrasilvani limites, ad Ugocensem et Szathmariensem provincias extendere non licet: Protorex enim episcopatu huic ditionem Gyulae Ducis deputauit; quam cis Siluam haud patuisse, e Belae Regis Notario capite XXVII. certum est. Episcopatum limites varias subiisse vices, videbimus uberius.

**) Literae quidem Episcopatus Ultrasilvani fundationales, iniuria temporum, peraeque desiderantur, earum tamen defectum restauratoriae Belae R. de anno 1256; Ladislai de 1282, Andreae III. de anno 1296. aliquatenus suppleunt: moreque Protoregis amplius locupletatum fuisse latifundiis, condocent. V. in Codice.

sanctae Dei Ecclesiae fidelium nostrorum, praesentium scilicet et futurorum nonerit industria, quod nos S. Michaelis Beszprimiensis subiecimus Ecclesiae. — Quod ut verius credatur, diligenterque ab omnibus obseruetur, paginam hanc manu propria corroborantes, annuli nostri impressione subter consignari curauimus. Datum in Sol, apud Capellam S. Stephani Protomartyris. Anno ab Incarnatione Domini millesimo nono.“ V. nro. XXV.

§. 152. Locus sedis huius episcopalis in vetustissimis documentis legitur Bespre m, urbs in partibus Transdanubianis arce vetusta, ac sede ducali celebris: „In secunda parte exercitus missus est Usubu, pater Zolocu, et Euse, qui iret versus ciuitatem Bezpre m. — Quarto igitur die usque castrum Bespre m peruenerunt — contra Romanos (Franco-Romanos) milites, qui castrum Bespre m custodiebant, acriter pugnare coeperunt.“ Belae Regis Notar. Cap. XLVIII. In primaeuis etiam diplomatis originariis Ecclesia Bespremiensis audit. Bespre m autem nomen esse personale, alias Brecislaus, nullum est dubium. Brecislaum Pannoniae, e commendatione Arnulfi Imperatoris dominatum fuisse, e Historia conuersionis Carentanorum nouimus: an non huic potius arx conditori nomen debeat, quam fonti Albo, Germanis Weisz-Brun, decidant Philologi. Ducalem sessionem fuisse Hartuicus meminit l. c. p. 126. „Illis forte diebus urbem, quae vulgo Bespre m nuncupatur, obsederunt, et haec ad conuitia eius commouentes, scilicet ut ubi ducalis accessus conuersatio haberetur, ibi considerent.“ Amplitudo dioeceseos Weszprimiensis primaeua e dotatione, quam a fundatore nacta est, colligitur.

§. 153. Dotem, quam Rex Apostolicus Ecclesiae S. Michaelis emensus est, his designat: „Nos pro animae nostrae remedio quatuor ciuitates: nempe Bespre m, in qua sedes ipsius episcopatus est constructa, atque Albam ciuitatem, Corteu et Wisegrad ciuitates S. Michaelis Bespremiensi subiecimus ecclesiae, cum omnibus ecclesiis et capellis, atque titulis et terminis, atque finibus, nec non concedimus, donamus atque largimur e regali nutu, atque donatione, praelibatae sanctae Ecclesiae Bespremiensi villam unam nomine Can, in Bespremiensi Comitatu, in quo episcopalis, ut praedictum est, constructa est sedes; atque tres villas nomine Osi, Cari ac Beren, in comitatu Albensi sitas et Marczalfeo, in pago Cortoensis ciuitatis unam villam, nec non in Comitatu Visegradensis ciuitatis villam unam sitam supra Danubium, ex cuius latere dextro riuus, qui Aprik nuncupatur, decurrit; pariterque villam unam Fyki nomine, sitam in comparte Urhida ciuitatis, cum omnibus utilitatibus, cunctisque pertinentiis, scilicet famulis, famulabusque, pratis, vineis, areis, aedificiis, campis, terris, agris cultis et incultis, piscationibus, venationibus, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, viis et inuis, tam exitibus quam inexitibus, ut habeat firmitatem perpetuam, sicut est donatum, omnium possidendorum.“ — Ex his, infert Prayus l. c. p. 263. liquet: Dioecesim Vespremiensem uniuerse couflari: ex Simeghiensi, Szaladiensi, Albensi, Vespremiensi et Pilisiensi prouinciis ita, ut ab ortu per fluuium Olmam a Quinqueecclesiensi episcopatu dirimatur.“ Limites hi e dicendis uberius clarescent.

§. 154. Libertates ecclesiae Vesprimiensis sequentibus sunt communitae: „Habeat etiam praelibata S. Michaëlis Vesprimiensis Ecclesia, quam Stephanus, sanctae illius Ecclesiae Episcopus regit, praedictarum ciuitatum, atque villarum, ut praediximus, potestatem habendi, atque in perpetuum possidendi, nec non praelibato Episcopo, cuius est ipsa regimini commissa, suis successoribus perpetuo subiiciendi, omnium hominum contradictione remota. Regali denique iubemus potestate, ut nullus Dux, Marchio, comes, Episcopus, Archiepiscopus, Vicecomes, Iudex vel Exactor, aut aliqua magna persona vel parua regni nostri, audeat contra statuere, praenominatae S. Michaëlis Ecclesiae, aut surripere, de omnibus rebus suis, mobilibus, quaesitis vel aquirendis, cum omnibus quae illi in praelocutis ciuitatibus, earumque pertinentiis, et iuribus, nec non in villis pertinentibus, vel in aliquibus locis subiiciuntur, aut Stephano, illius sanctae Ecclesiae Episcopo, suisque successoribus, aliquid molestiae inferre praesumant.“ Sequitur mulcta praeuaricantium grauis. — Ecclesiam S. Michaëlis Vesprimiensem Gisela Stephani Regis coniunx e suis opibus excitasse fertur: illam diuersis donis excoluisse, certius. Ciuitatem hanc ante Hungarorum dominium, sub Francorum ac Morauorum imperio, Ecclesia aut Capella haud caruisse, e religionis per Methodium propagatae monumentis, conuersionis item Carentanorum Hist. clarescit.

§. 155. Primum Ecclesiae Vesprimiensi Episcopum praefuisse Stephanum, certissimum; cum in literis foundationalibus identidem laudetur; ast illum Astrici Romam itineris socium fuisse, quod Rokaius, Episcopatus Vesprimiensis commentator vult, in tanta domi agendorum mole, ne verisimile quidem. Ut ut Stephanum, Regi Stephano e charissimis fuisse aduertamus; ab hoc tamen iure coronandi Reginas ornatos fuisse ipsius successores, affirmare nolumus: illud enim lapsu temporum eidem ecclesiae accreuisse, certius. Nec Stephani successorem nouimus immediatum ullo vetustatis monumento.

§. 156. VI. Episcopatus Quinqueecclesiensis. Huius primordia, RR. Josephi Kolleri erudita, atque critica disquisitione sunt omnium planissima: Portionem quondam Iuuaiensis Episcopatus fuisse, conuersionis Carentanorum Historia extra dubium omne ponit. Eidem regem nostrum Apostolicum, proprium dedisse Praesulem, literae fundationales edocent: quae sic sonant: In nomine sanctae Trinitatis et indiuiduae unitatis, Stephanus Hungariae Rex. Nouerint omnes, fideles nostri praesentes et futuri, qualiter nos cum consensu sanctissimi Apostolici, et in praesentia eius nuncii, Azonis Episcopi, et aliorum omnium nostrorum fidelium, episcoporum, Marchionum, Comitum, nec non minorum quoque personarum erectionem Episcopatus, qui vocabitur Quinqueecclesiensis, statuimus in honorem Dei et omnium Sanctorum:“ Anno MIX. Vide numero XXVI. Ideo qui episcopatum hunc a Rege Apostolico fundatum negasset, inuentus est nemo: illum etiam ultra Drauum extensum fuisse, controuerterunt quidam Croatae.

§. 157. Sedis Episcopalis Quinqueecclesiensis locus ciuitas Quinqueecclesiarum, Romanis Sopiana, in parte Transdanubiana, prouinciae Baranyiensis caput et decus.

Locum hunc temporibus iam Romanorum a Christianis inhabitatum fuisse, idem RR. Auctor e rudere ecclesiarum, aliisque monumentis euicit: Vide Prolegomena in Historiam Episcopatus Quinqueecclesiensis in quarto. Aetate vero Imperatorum Francorum cultum non minus a christianis fuisse, Historia conuersionis Carentanorum ita insinuat: „Postmodum vero roganti Priuino misit Luitprammus archiepiscopus magistrum de Salzburg muros et pictores, fabros et lignarios, qui infra ciuitatem Priuinnae honorabilem ecclesiam construxerunt, quam Luiprammus aedificari coepit, officium ecclesiasticum ibidem colere peregit. In qua Ecclesia Adrianus Martyr humatus pausat. Item in eadem ciuitate ecclesia S. Johannis Baptistae constat dedicata, et foris ciuitatem ad Dudleipin, ad Ussitin — — — — ad Quinquebasilicas, temporibus Luiprammi dedicatae sunt ecclesiae. — — Quae omnes temporibus Priuinnae constructae sunt et consecratae a Praesulibus Iuuuauensibus.“ Edit. Kopitar pag. LXXV. Limites episcopatus huius Protorex sequentibus designauit: „Statuimus — priuilegiis, terminisque ordinauimus et confirmauimus. Primum terminum Zemogny (Földvár) usque ad Thapeon (Tápe praedium) viculum posuimus. Secundum Ozora (amnis ad locum cognominem, al. Sió) donec perueniatur ad aliam aquam, quae Lupa (Lapa) nuncupatur. Tertium Kopus (Kapos amnis) usque ad Almás aquam. Quartum ut dicitur, Kwarok (rius Kuveddi) sicut incipiens a Danubio, super Zauum fluuium terminatur.“ Limites hos e diuersis monumentis, tum etiam e lite, ratione limitum inter Episcopum Bacsensem, ac Quinqueecclesiensem enata, a Ladislao I-o composita, amplissime prae laudatus Auctor uindicauit; concludit denique: Atque ita finium Dioecesis nostrae a S. Stephano Rege constitutorum reuersio absoluitur: secundum, quam olim integros Comitatus Tolna, Baranya, Valko ac Posegensis, Dioecesi nostra fuisse comprehensos, intelligitur.“ Confer Prolegomenorum nro. VI.

§. 158. Limites hi amplissimae eruditionis contentione designati, Zagrabien-sibus satisfecerant minime, duobus rationum momentis: negarunt quippe: tractum trans Drauum ac Danubium usque Sauum olim iuris sacrae coronae Hungariae fuisse, Stephanum proin eorsum metas Dioeceseos Quinqueecclesiensis extendere potuisse. — Hanc Croatarum exceptionem RR. Kollerus l. c. uberrime retractauit; nos quoque in Croatiae ac Slauoniae cum Regno Hungariae nexu, operose examinauimus; liceat propterea eam hicce quodam compendio resumere: Pannonia Inter amnis triplici nobis respectu est consideranda: I) Angulus eius ad orientem, inter Danubium et Sauum, fuit veteribus Sirmium: usque alueum Kwarok, seu amnem Kuvedinensem extensum. II). Ab alueo Kwarok usque amnis Almás in Drauum influxum, Comitatus Posega, Valpo, ac Veröcze. Hae duae partes ad Slauoniam ne-tiquam pertinebant: a Caroli M. aeuo Bulgaris subiectae, per Hungaros cum arcibus Posega et Valpo ereptae, et inhabitatae fuerant, auctore Belae Regis Notario Cap. XLIII. — Teste etiam Constantino Porphyrogenito: „Et h a b i t a n t quidem trans Danubium Turcae (Hungari) in terra Morauiae, atque etiam ulterius, inter Danubium et Sauum fluuios,“ de adm. imp. cap. 42. III.) Ab amnis Almás in Drauum influxu, usque ad ostium Colapis in Sauum, seu Comitatus Varasd, Krisiens. et

Zagrabiens. fuerat Slauonia, ast non Regnum, sed Vaiuodatus ad Croatiam, trans Sauum, usque mare Adriaticum extensam, pertinens precaria Caroli Magni concessione. Fuit haec quoque cum Zagrabia ab Hungaris obtenta, auctore eodem Belae Notario, ac Constantino Porphy. teste: „Ad austrum, inquit Hungariae contermina Croatia.“ — Jam ad singulas Partes. I). Sirmium a Sermone Croata, quo demumcunq. pacto A. 1009. obtentum, ut supra diximus, ante annum vero 1009. ditionis fuit Hungaricae: poterat proin Protorex in eam Dioeceseos Bachiensis limites iure optimo extendere. Quomodo sit anno 1085. reuindicatum supra vidimus. II). In Comitatus quoque Posegam, Valpo, ac Veröcensem quo demumcunq. pacto ab anno 1031. se immiserunt Croatae: hoc quidem Archi Diaconus concessione Protoregis factum praetendit dicens apud Balthasarem Kerchelich: „Dum Sanctum Pannoniae totius Regem cum exercitu petiisset Conradus Imperator, Croatiae Rex Cresimirus S. Stephanum adiuit, et XVI. Kal. Septembris victoriam habuerunt. In rei huius remunerationem, dum anno MXXXI. Conradus cum Stephano, per Ambasciatores, Emerico adiuvante, paciscerentur; pars haec Slauoniae, quae regni erat Hungariae, nam pars a decennio, Diogeni Duci Szirmiensi parebat, a Culpae in Sauum influenza, per fluuium Trebes, et campum luteum, siue Czernitz, ad Drauum usque Regi Croatiae cessit.“ In notit. praelim. de Regnis Dalmat., Croat. et Slau. P. III. §. 101. Ast, cum haec cessio anno duntaxat 1031. contigerit, Protorex, qui primis regni sui annis constituerat episcopatus, intra Danubium et Sauum, in Comitatus etiam Posega, Valpo et Veröcze limites extendere potuit. Extendit quoque: cum et S. Ladislaus limites inter Dioeceses Bacsiensem, et Quinqueelesiensem, et inter hanc et neo erectam Zagrabiensem, tenore ordinationis Stephanae fixerit et Andreas II. episcopatum a Ladislao I. conditum, intra Drauum et Sauum Quinqueelesiensi factum finitimum, dixerit; quomodo utrumque, si S. Stephanus limites eiusdem trans Drauum etiam non extenderat. — Alias Croatarum obiectiones cum eodem Kollero paucis expedire possumus: „Agnosco Slauoniam Drauo a Septemtrione, Sauo a Meridie, olim definitam fuisse; quidquid his duobus fluuiis comprehenditur, Slauoniae nomine venisse, nego. Croatensis ergo episcopi iurisdictio, atque temporalis possessio poterat ad Drauum, in solo Slauonico, ditione Hugarorum, quae huic erat proxima, intacta, pertingere. — S. Ladislaus, primus Drauum cum exercitu transiuit, quia forte Regum ante hunc nullus quocunq. modo; primus certe transiuit eo cum successu, ut Slauicas terras, quae ex aduerso superioris ripae eius amnis sitae fuerant, usque alpes ferreas, ut ait Archidiaconus Spalatensis, Hungarico Juri subiiceret; minime vero, ut Sceptri Hungarici iura, quae Drauo continentur, primus ultra proferret: nam contrarium nimis certum est.“ — Quomodo limites regni sint sub Andrea primo redintegrati, inter Danubium et Sauum, iam meminimus; quomodo S. Ladislaus limites dioecesium Bacsiensis, Quinqueelesiensis, et Zagrabiensis controuersas deterrimauerit, erit materia dicendorum.

§. 159. Latifundia, iura et praerogatiuae episcopatus huius in foundationalibus expressae non sunt, successu temporum in lucem emersurae. Primum eius epi-

scopum Bonipertum constitutum, literae laudatae anno 1009-o expresse docent, his verbis: „Boniperto ibi facto Episcopo.“ Catalogique omnes eam in rem conspirant. Anno 1019. una cum Modesto episcopo, iussu S. Regis, Ecclesiam S. Adriani, quae est in Szala, et duas capellas, alteram in honorem sancti Laurentii, constructas, ecclesiastico ritu consecrauit: ut infra. Stilingus testatur, M. S. apud Hagiographos asseruatis poni: Bonipertum, Sacellanum D. Stephani Regis“ l. c. p. 522. Quantae virtutis Bonipertus Episcopus fuerit, e Fulberti Carnotensis literis, quarum iam meminimus, anno 1008. datis colligere est: „Sancto et venerabili Episcopo suo Boniperto F. fidelitatis obsequium et summi Pastoris benedictionem. Primum quidem benedicimus Deum Patrem ingenitum Filiumque suum Unigenitum Dominum Jesum Christum, et Spiritum S. Paraclitum unum, verum Dominum, qui cuncta creauit, qui Te quoque dilectissime Pater, multa sapientia illustrauit, ad docendum populum suum, et decore sanctitatis ad praebendum bonae vitae exemplum, decenter ornauit. Deinde magnas referimus tibi grates, quod nos licet immeritos, atque ignotos salutationis tuae pariterque munere gratiae dignatus es praeuenire. Unde profecto nos in amorem tuum sic animasti, ut perennem tui memoriam intimo cordis nostri vigere velimus, ut saltem per crebra orationum suffragia Tuae benignitati vicem rependere satagamus. Significauit autem nobis filius noster, Tuusque fidelis Hilduinus, Tuae charitatis erga nos insignia, fideliter asserens Te unum de nostris Priscianis velle, quem et per eundem libenter mittimus; quidquid etiam de nostro petieris, hilarissime, si possibile fuerit, transmissuri; ipsam quoque praesentiam nostram, si tibi opus esset, ac voluntas, nobisque potestas, obsequentissime praestituri. Ad ultimum saluere te semper optamus, precantes ut illam nouam et gloriosam adoptionis prolem summi Regis, Regem videlicet Stephanum, ex nostri parte salutes, intimans Excellentiae suae ex parte nostra et vniuersarum congregationum, quae sunt in episcopatu nostro Canonicorum scilicet et Monachorum, orationum fidelia.“ Cod. Dipl. tomo I. pag. 288—289. Anno MXXXVI. Cathedrae Quinqueecclesiensi praesesse, anno vero MXLII. etiam viuere desiit. Koller l. c. tomo I. p. 61.

§. 160. VII. Jaurinensis. Episcopatum hunc peraeque Regis Apostolici magnifica pietate fundatum, controuertit nemo; utut foundationale instrumentum huius quoque desideretur; constitutum fuisse a primordio sane oportuit, cum secus Strigoniensis, Vesprimiensisque, sedium limites et ambitus defigi neutiquam potuerint. Ad minus non serius, quam Quinqueecclesiensis Dioecesis, cum haec in illius sede fuerit auctoritate regia sancita: „Actum, inquit Stephanus Rex, anno 1009. In ciuitate Jauriana.“ Ecclesia tamen Cathedralis, ob laborum, et operarum copiam, laborantium et operariorum ex aduerso inopiam serius adducta perfectionis usque fastigium; quod indicare videtur prostans in extrema templi parte, quae Danubium respicit, imago cuprea, vetustissimi, ut ex rudi forma colligas, moduli, quae Diuum Stephanum puluillo innixum, ac Ecclesiam Deiparae Virgini in coelos assumtae, offerentem exhibet: Illi subscriptus est annus MXXXIII. Hoc patrocinio Ecclesia Cathedralis hodieum gloriatur.

§. 161. Sedes huius episcopatus est ciuitas regia Jaurinum, quod olim Geur, Jaur, fuerat appellatum, unde episcopatus veteribus Geurensis, Jauriensis nomen mutuauit; Romanis Ad Arabonem nomine venit apud Ptolomaeum, et reuera fuit illa ad fluuium Arabonis, infra coemeterium, orientem versus sita; ad confluum Danubii et Arabonis fuit munimentum confiniarium e militari Romanorum instituto. Subin autem ciues intra et prope muros huius, securitatis gratia se contulerant, ut in Historia Academiae Jaurinensis explicui. Hac ratione in partibus trans danubianis Episcopatu huic quarto reseruatae sunt prouinciae: Jaurinensis, ad quam etiam Szolga - Györiensis olim spectabat, tum Mosoniensis, Soproniensis et Castriferrei, quae a temporibus Romanorum et Francorum locupletissimae sunt aedibus sacris, inter quas Coloniae Sabariae nominatissimae. Cf. Steph. Schönvisner Antiquitates Ecclesiae Sabariensis.

§. 162. Jaurinensis Episcopatus dotem, libertates monumentorum defectu fide historica exhibere nequimus; sed ne primum quidem Praesulem: Modestus enim, qui ei liberalius magis quam verisimilius vendicatur, sub lite est: eum secundum sibi, post Stephanum episcopum, causa ea Vesprimienses repetunt, cum Abbatiam S. Adriani de Szala, non exemtam, atque Vesprimiensi Dioecesi subordinatam, citra ordinarii sui praesentiam consecrari canonicè haud oportuerit: cum ergo e duobus praesentibus Bonipertus Quinqueecclesiensium Praesul fuerit, alterum, Modestum, Vesprimiensem fuisse, sit necesse. Nos quaestionem hanc, dum uberiora pateant documenta, in medio relinquimus.

§. 163. VIII. Csanadiensis. Hunc in episcopatum, praesidio documentorum, lubentius commentamur. Condendi illius occasionem, Achtum, Pelbarto, Ahton, Belae Regis Notario Ohtum, Morusenus Dynasta rebellis, Regi Apostolico praebuit: Bellum hoc biographus S. Gerardi ita describit (Edit. Wion. p. 8. 9.) „In diebus illis erat quidam Princeps in urbe Morossena nomine Achtum, potens valde, qui secundum ritum Graecorum in Buda (Budin Widin) fuerat baptizatus. Hic gloriabatur nimium in virtute, et etiam in prouincia sua; habebatque septem uxores, eo quod in religione christiana perfectus non erat. Regi autem Stephano honorem minime impendebat, confidens in multitudine militum et nobilium, supra quos dominium exercebat. Equorum indomitorum multitudinem habebat innumerabilem, exceptis his, quos pastores in domibus sub custodia seruabant. Erant etiam ei pecora infinita, quae omnia habebant pastores suos deputatos. Insuper allodia procurans, usurpabat sibi potestatem super salinas regis, descendensque in Marusium, constituebat in partibus eiusdem fluminis usque in Tibiscum tributarios et custodes, et concludebat omnia sub tributo. Accepta autem potestate a Graecis, construxit in praefata urbe Morossena monasterium eorum. Seruiebat namque eidem viro terra a fluuio Chrysius, qui a partibus Transiluanis fluit, usque in Budin ac Celinem; quae omnia sub sua conduxerat potestate. Unde procedens cum multitudine armatorum, regem minime reputabat. Et erat ei quidam miles valde honoratus, nomine Canadinus (Sunad) qui caeteros dignitate praecellebat, quibus ipsum Dominum praeponerebat. Hic accusatus est apud Dominum suum valida accusatione,

propter quod dominus ipsum interficere cogitabat: Quumque obseruaret tempus, quo eum perderet, loquitur secum in dolo. Quod quum Canadinum non latuisset, inde fugiens, occulte venit ad regem, quem rex ad Christum conuertens, baptisari iussit. Volens autem fidem eius experiri, explorando secreta domini sui intellexit, quod non dolose ad ipsum confugisset. Unde cognita eius fidelitate ac perseuerantia constituit eum ducem exercitus praeliaturi contra Achtum aduersarium suum.“ (Sequitur apparatus belli trans Titiam; votum Sunadi, de monasterio in honorem S. Georgii, si victoria potitus fuerit, Aradini exstruendo.) Egressi ergo sunt in praelium sine mora; expectantes per merita beati Georgii martyris auxilium de coelo; — eadem autem nocte exercitus Actum, qui iacebat in campis, alter ad alterum terga vertens, iniiit fugam. Achton vero interfectus est in loco praelii ab exercitu Canadini, cuius caput abscondentes miserunt regi; acceperuntque die illo spolia multa, et repleti sunt omnes gaudio magno, eo quod inimicus regis cecidisset. Corpora vero christianorum, qui ceciderant, in praelio, tollentes duxerunt Morossenam, et sepelierunt in cœmeterio Joannis Baptistae, in monasterio Graecorum, quia in eadem prouincia aliud monasterium tunc non erat. Monachorum autem ipsius loci, urbis pars tertia deseruiebat, quos Canadinus non repulit, sed in eodem statu, in quo inuenti sunt, manere permisit. Quo facto assumens Canadinus abbatem de eodem monasterio cum aliquibus fratribus, venit ad locum, in quo apparuit ei leonis imago, ut votum, quod sancto Georgio promiserat, adimpleret. In quo quoque die societati suae magnum conuiuium praeparauit. Deinde transeuntes Titiam venerunt ad regem. Jam vero caput Achtum appensum fuerat super turrinam portae ciuitatis. Videns autem Rex Canadinum, gaudens est gaudio magno. — — Quem constituendo principem domus Regis et domus Achtum ait: ab hac die urbs illa non vocabitur Morossena, sed urbs Canadina: pro eo, quod inimicum meum tulisti de medio, eris Comes illius prouinciae; ipsa quoque sub titulo nominis tui tituata, prouincia Chanadina vocabitur in generatione. Post haec veniens Canadinus ad locum, ubi leonem vere in somnis viderat, in honorem B. Georgii M. monasterium aedificauit, cui nomen Aradinus (Arslanus?) imposuit, introducens illuc memoratos Graecos monachos, de monasterio B. Joannis Baptistae una cum Abbate.“ Belae Regis Notarius hanc in rem, postquam notasset e progenie Gad Ducis, qui dominium habebat a fluuio Morus usque ad castrum Horom, longo post tempore descendisse Ohtum, quem Sunad interfecit, plenius memorat: „Terram vero, quae est a Morus fluuio usque ad castrum Ursica (Orsova) praeoccupauisset quidam Dux, nomine Gaad de Budyn (Vidui) — ex cuius progenie Ohtum fuit natus, quem postea longo tempore S. Regis Stephani, Sunad, filius Dobuca, nepos Regis, in castro suo iuxta Morisium interfecit; eo quod praedicto regi rebellis fuit in omnibus. Cui etiam praedictus Rex pro bono seruitio suo uxorem et castrum Ohtum cum omnibus appendiciis suis condonauit. — Quod castrum nunc Sunad nuncupatur.“ Cap. XLIV. et XI. *)

*) Graeci ritus Catholicos ex Bulgaria, Russia, aliisque prouinciis vicinis propagatos, aeniam Protoregis Hungariam incoluisse, Latinis Episcopis subordinatos, Historia Csanadi-

§. 164. In principali hac prouinciae urbe taliter constituit Rex Apostolicus episcopatum: „Videns autem pius Rex Stephanus regnum suum pacis tranquilita-

en. episcopatus prodit. Achtimum ob ritum quem sequutus est, Graecum, praelio plexum, subuersumque, Bardosii commentum est. Graeci ritus Catholicos cum Coerulario anno 1050. domi quoque nostrae saluificam respuisse unionem, nullo monstratur indicio. Ruthenos, in quorum gratiam Theodorus Kyriatovich, Dux Podoliae in dominio suo Munkács, cum arce Kamienez cambiato, S. Nicolai Ep. et Cofessoris monasterium graeci ritus anno 1360. construxerat, ac dotauerat, unitos fuisse, tum Ludouici I. in Religionem, et Ecclesiam Romanam zelus, tum ipsius Theodori Ducis, qui Hospitale pro crucigeris S. Joannis in Beregszász erexerat, pietas, nos persuadet. Subin tamen Hungariae quoque regnum Schismaticis inundatum fuisse comperimus: Transiluaniam quidem ex Valachia, anno 1456. per eos, quos Petrus Vajvoda a Joanne Capistrano ad unionem reuocatus, pepulerat; quorumque Wladicam Joannes de Hunyad comprehendit fecit (Vide Codicem), inferiores partes ex Rascia, seu Seruia, quos Mathias Decreti sui VI. Articulo 3. a decimis, Sacerdotio catholico praestandis, absoluerat: superiores vero per Ruthenos, quorum Popae Lucae, iidem Joannes de Hunyad, et Mathias Coruinus fauores impertiti sunt V. Codicem. Fuerant hos inter Munkácsiensis praecipui, quorum Episcopus Joannes a colonis monasterio S. Nicolai subditis decimas promiscue praetendere praesumpsit; en documentum: „Commissio propria Domini Ducis. Nos Joannes Coruinus, de Hunyad, Sclauoniae, Opauiae, Liptouiaeque Dux etc. Memoriae commendantes, tenore praesentium significamus, quibus expedit, uniuersis: Quod cum nos aestate proxima in castro Siklós constituti fuissetus, venit coram nobis honorabilis Joannes Episcopus Rutenus, ritum Graecorum tenens, in claustrum S. Nicolai, supra oppidum nostrum Munkách fundati degens, exhibuitque nobis quasdam sex literas; unas Illustrissimi condam Theodorici Ducis Podoliae, assertas; alias Despoti magni, Rascianorum idioma confectas; tertias Aui nostri, Johannis de Hunyad, Gubernatoris olim regni Hungariae, quartas et quintas Genitoris nostri Charissimi, Serenissimi Principis Domini Mathiae, Hungariae Bohemiae regis, sextas autem conuentus Ecclesiae Sanctae Crucis de Lelesz; penes quas idem Johannes Episcopus Rutenus, curauit nobis supplicari, ut quasdam decimas vinorum de promontorio Leuathka, ac item frugum et bladorum, de medio iobbaggionum nostrorum in Oroszwég, et oppido Munkács commorantium, prouenien. ac septem porcos de incolis Oroszwég eidem faceremus reddere et restituere; ad cuius supplicationem animum nostrum cum inclinassetus, et literas praenotatas perspicacius intuiti fuissetus, fecissetusque cum Secretario et Consiliariis perspicere, visum nobis fuit, una cum eisdem, originales literas Illustris videlicet Theodorici Ducis false et inique fuisse confectas. Proinde quia animus noster erat, castrum nostrum Munkách proxime visitare, distulimus, in aduentum nostrum, ad castrum memoratum Munkács, negocium hoc terminandum. Ubi cum iam aduenissetus, rursus denuo praefatus Johannes Episcopus Rutenus, praesentiam nostram adiens supplicauit Nobis, quatenus litteras memoratas ei confirmare et et prouentus annotatos eidem administrari facere dignaremur. Ex opposito adstitit coram nobis honorabilis Dionysius, artium liberalium Magister, Ecclesiae S. Martini Episcopi et Cofessoris, in oppido Munkács fundatae Plebanus, proponens, qualiter saepe fatus Joannes Episcopus Ruthenus, falsis literis mediantibus, iura plebaniae suae diruere molitus sit; quodque praedecessor eiusdem Episcopi, Lucas Presbiter Ruthenus, in dicto claustrum S. Nicolai olim commorans, ab Auo et Genitore nostro charissimo, false et inique semper literas impetrasset: allegans semper, quoniam indignum, et Sanctorum Patrum sancitis contrarium foret, ut Christiani suas decimas Schismaticis dare debeant; aduenerunt praeterea coram nobis populi et Jobbagiones nostri Christiani, qui huiusmodi decimis obligantur. enixius nos exorantes, quatenus dignaremur annuere, ut decimas eorum non Schismaticis, sed ple-

tem adeptum, seruum Dei Gerardum ex eremo reuocauit, pontificaliue dignitate decoratum ad praedicandum populo suo destinauit, huiusmodi eum verbis

bano ipsorum darent, prout illustris Auia nostra Elisabeth, et Genitor noster Rex charissimus iam prius statuissent. Itaque inter tot propositiones et allegationes, vires litterarum perspicacius nos intendere volentes, cum his doctis viris, qui ad latus nostrum tunc adhaerebant, literas adnotatas, per dictum Johannem Episcopum exhibitas, diligentissime, cum cura et studio, iussimus perspicere, et pro euidentiore causa fecimus inquirere veteres litteras praenotati Ducis Theodorici inuestigare. Si his literis, quas iam fatus Johannes Episcopus exhibuit, responderent, cumque unae literae dicti Domini Ducis per rectorem Hospitalis, Dominicum de Thur, in Zaz (Beregh-Szász) commorantem oblatae fuissent, vidimus et cognouimus, nulla ex parte literis his per episcopum exhibitis respondere; et titulum et Sigillum longe diuersum fore; insuper per alia plurima documenta cognouimus, eas ipsas literas, nomine dicti Theodorici Ducis saepe dicto claustro confectas, et per Joannem Episcopum exhibitas, falsas, iniquas, et viribus carituras esse; quia etiam cognouimus aperlissime, pargamenum politum, et priorem Scripturam de eo deletam esse; et per consequens alias omnes ratione eiusdem, ac etiam per nos datas indebite, et iniuste fuisse confectas; quas quidem sex literas similiter et nostras, prius praetextu rei huiusce datas, suadente iustitia et iuris aequitate cassauimus, cassamusque et viribus destitutas esse censemus, praesentium per vigorem. Cumque dictus Dominus Joannes Episcopus Ruthenus cognouisset, literas suas falsas et iniquas esse, ultra sponte renunciauit decimis vinorum, bladorum, frugum, de promontorio Levathka, et jobbagionibus oppidi nostri Munkács, et Oroszwég, Christianis, scilicet claustro suo prouenien. et prouenire debent: profitens, quod dictus Dionysius Plebanus et sui successores perpetuo recipere possint. Nec hoc praetermittens, ut de caeteris, et ab his, qui ritum colunt graecum; decimas vinorum et bladorum de promontorio Lewathka. — — — — —

Et item ratione septem porcorum de medio nostrorum jobbagionum in Oroszwég commorantium, praefato claustro sancti Nicolai ante tempora dari solitorum, dictus Dionysius Plebanus, et Johannes Episcopus, in huiusmodi deueniunt ordinationem, et unionem: ut quia in dicto Oroszwég Christiani et Schismatici mixtim morantur, porci eorundem incolarum annuatim dinumerentur; et si Christiani plures numero porcos habuerint, quatuor porci Dionysio Plebano, et suis successoribus cedant; et tunc Johanni Episcopo et suis successoribus tres porci veniant; si vero horum, qui ritum Graecorum tenent, plures porci inueniantur, Johannes Episcopus et sui successores et Rutheni quatuor eligant porcos: Dionysio vero Plebano et suis successoribus taliter stante casu, tres porci designentur. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes literas nostras maioris sigilli nostri appensione communitas, memorato Dionysio Plebano, suisque successoribus uniuersis duximus concedendas. Datum in castro nostro Munkách, in festo beatae Dorotheae, Virginis et Martyris, anno Millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio. — Battyányi Leges Eccles. tomo I. p. 514—515. — Falluntur proin ii, qui 1.) Ruthenos, et Monachos S. Nicolai, Munkácsienses, Graeci ritus semper unitos fuisse contendunt: fuerant temporibus Hunyadianis schismatici. 2.) Qui originem Episcopatus Munkácsiensis graeci ritus uniti a Joanne Episcopo repetunt: fuit is euidenter schismaticus et subreptitius; cum praecessores illius Presbiteri duntaxat fuerint Monasterio S. Nicolai praefecti. Manseruntque Schismatici annum usque 1646. quo Unguarini sub Parthenio unio feliciter reintegrata fuit. Unitis secundum concilium Lateranense IV. praeerant primitus Vicarii Apostolici, Episcopi Agriensis, qui iubente Clemente XIV. Papa, facti demum sunt Episcopi. In Historia veritatem, nudam veritatem, non quod lubet, quaerimus.

alloquens: molestavi te, inquit, homo Dei, in hoc tempore importuno. Voluntas quidem meae fuit, duodecim episcopatus, quos in regno meo facere decreueram, episcopis implere; sed retardatus sum aliorum voluntate, quorum, ut vere arbitror, Satanas cooperator fuit. Nunc ergo tibi episcopatum tradimus; existimantes, te perdita posse assumere.“ — — — Gerardum, cum fratribus, Canadinus in dioecesim Canadini duxit: — venerunt in urbem Morosenam, ubi erant Graeci, qui diuina secundum ritum et consuetudinem Graecorum celebrabant. Episcopus autem, inuito consilio cum Comite Canadino, eundem Graecum Abbatem cum monachis suis transtulit in Arasanum (Aradinum?) monasterium vero eorum sibi et fratribus suis reseruauit; qui in eodem habitauerunt, donec monasterium Sancti Georgii perficerent.“ Idem Biographus l. c. Ideo episcopatus hic dictus fuerat primitus Morissenus a fluuio Marusio, cui adiacet, tum Sunadiensis, Cenadiensis. Videntur confecta haec anno MXXXV. Prayo momentosis e rationibus v. P. II. p. 281—285.

§. 165. Si omnem eam ditionem, quae „Athumo profligato, in potestatem Stephani rediit, Gerardus, ut probabile est, percollendam accepit, oportebat Dioeceseos Chanadiensis iurisdictionem olim fuisse amplissimam, cum illa trans Tibiscum, inde a Vidino urbe, ad Valachiae et Transilvaniae limites versus Chrisium annum fuerit exporrecta. Certiores eiusdem limites instrumenta seriora suppeditabunt. — Dotem Episcopatus idem Biographus paucis insinuat: „Ego autem, ait Stephanus, comitibus meis praecipiam, ut a populo, tempore suo, decimas exigant; ut nullum defectum in temporalibus et aliis rebus necessariis patiamini.“ De Gerardo primo Csanadiensi episcopo mox plura.

§. 116. IX. Episcopatus Vaciensis. Huius ortum Regi Apostolico denegarunt, atque Geysae I. vendicarunt nonnulli, Chronici Thurotziani auctoritate; traditur quippe Parte eius secunda Cap. LII. „Duces Geysa, Ladislaus et Otho, ac totus exercitus Hungarorum, qui erat cum eis, descenderunt circa Vacium. Fuit autem ibi magna silua, et nemo in ea manserat praeter unum eremitam nomine Wacsz sanctae vitae; et cuius nomine dux Geysa illi ciuitati, postea ibi constructae, nomen imposuit. Cum igitur exercitus praedictus Salomonem contra se exspectaret, duces quodam mane, in equis consiliandi causa stabant in loco, ubi modo est capella lapidea beati Petri Apostoli, tractantes qualiter essent pugnaturi: et dum ibi starent clara die, vidit beatus Ladislaus visionem de coelo. Et ait ad Geysam ducem fratrem suum: vidisti aliquid? qui respondit, nihil. Tunc beatus Ladislaus subiunxit: dum staremus hic in consilio: ecce Angelus Domini descendit de Coelo, portans coronam auream in manu sua, et impressit capiti tuo; unde certus sum, quod nobis victoria donabitur, et Salamon exul, fugiet debellatus, extra regnum; regnum vero et corona tibi tradetur a Domino. Cui Geysa ait: Si Dominus Deus fuerit nobiscum, et custodierit nos ab inimicis nostris, et visio haec fuerit adimpleta, aedificabo hic in loco isto, ecclesiam Sacratissimae Virgini Mariae, Genitrici eius.“ Cap. vero LIII. continuat: „Post coronationem vero Geysa, veniens in locum, ubi visio facta fuerat, coepit

cum fratre suo Ladislao proponere de loco fundamenti Ecclesiae, ad honorem Virginis Matris, fabricandae. Et dum ibi starent, iuxta Vaciam, ubi nunc est ecclesia beati Petri Apostoli, apparuit eis ceruus, habens cornua plena ardentibus candelis, coepitque fugere coram eis versus siluam, et in loco, ubi nunc est monasterium, fixit pedes suos. — Quo viso beatus Ladislaus ait: vere non ceruus, sed Angelus Dei erat; et dixit Geysa Rex: dic mihi dilecte frater, quid fieri volunt omnes candelae ardentes visae in cornibus cerui? Respondit beatus Ladislaus: non sunt cornua, sed alae; non sunt candelae ardentes, sed pennae fulgentes; pedes vero fixit, quia ibi locum demonstrauit, ut Ecclesiam beatae Virgini, non alias, nisi hic aedificari faceremus. Ut autem locus primae visionis non sit sine aedificio, a Geysa rege et eius fratribus decretum est, ut ibi capella in honorem beati Principis Apostolorum, fundaretur. Rex igitur Geysa fundauit Ecclesiam Vaciensem, et dotauit eam praediis multis et possessionibus; non solum vero ecclesiam illam, verum etiam Budensem.“ Ex his concludunt: cum nec Vacium existerit ante Geysam, nec Ecclesia, Episcopatus Vacienensis non a Stephano protorege, sed a Geysa I. ortus sit, est necesse.

§. 167. Nec tamen rationes hae, quod aduersarii volunt, euincunt. Nihil, redarguit Prayus, l. c. P. I. p. 331. „nihil, quas memorat, visiones moror; confici autem rite hinc posse, Episcopatum Vaciensem, a Geysa rege erectum, non puto; ecclesiam solam Vaciensem fundatam, dotatamque, et eum quidem in modum, quo Budensem, Chronicon affirmat, quo satis nobis declarare videtur; ut Budensis Ecclesiae initia D. Stephano, ita Vacienensis quoque episcopalis eidem tribui oportere; dotationem vero et ampliationem fundorum utriusque ad Geysam spectare. Et illud, quod memorat, locum, ubi nunc Vacium urbs est, desertum et siluis obsitum fuisse, Geysae I. temporibus, a vero abhorret valde: quod et loci positus, situ opportunus, in Budae Veteris, Strigonii, ac Pestini, urbium emporialium vicinia, tamdiu hominibus vix potuerit esse incultus, et iam multo ante, Romanorum coloniam ibi fuisse, non modo lapidum, sed numorum etiam Romanorum non infrequens copia probabiliter arguat; nec ab aedificatione Ecclesiae ad ortum Episcopatus valere semper argumentum, documento esse possunt Jauriana, et Morusena Ecclesiae, quae serius episcopatus origine ad perfectionis, dotationisque complementum sunt perductae.“ Vaciae sane Chronicon ante pugnam ceu existentis meminit: cumque, inquit, Geysa equitasset versus Vaciam, obuiauit fratri suo Ladislao, et Othoni Duci, sororio suorum.“ cap. LII. Quin et ipse Geysa ad annum 1075-um literis abbatiae S. Benedicti de iuxta Gron datis meminit utriusque et episcopatus et ciuitatis Vacienensis dicens: „Est terminus eius cum Episcopalis S. Mariae, Vacienensis ciuitatis.“ Ab anno 1074-to primo regiminis anno et Episcopen, et ciuitatem Vaciam Geysa rex haud perfectit. Decretorium hic est: Geysam Ecclesiam fundasse, non episcopatum, dicit; fides proin Hartuico, qui decem episcopatus constituit, et Biographo Gerardi, qui duodecim voluisse fundare, contestantur, Regem nostrum Apostolicum; temere deroganda non est: dato vero Vacien, namq. vel decem fide digue elicit.

§. 168. Amplitudinem Dioeceseos Vaciensis e prouinciis cis Danubianis, quae in sortem A. Episcopatus Strigoniensis, et Episcopatum Agriensis et Colocensis occupatae non sunt, metimur: totam nempe Pestiensem prouinciam, Szolnokien- sem exteriorem, ac Neogradiensis et Csongradiensis partes; ut notauit Pazmanus in Append. I. Synodi Tyrnauien. — Dotem primitiuam, fundationali instrumento destituti, praeter solitas decimas, ignoramus; eam a Geysa rege pie auctam fuisse nouimus. Toto, quod ante Geysam I-um praeteriit tempore, Vaciensem episcopum certe assignare nequimus: Clemens, qui instrumento foundationis Abbatiae de Tychon subscribitur, sedis est indeterminatae; a plerisque tamen Vaciensi attribuitur.

§. 169. X. Varadinensis. Origo huius episcopatus instrumenti fundationalis defectu, plurimis litibus, diatribis, controuersiis, disputationibus, reflexionibus etc. fuit acerrime disceptata, impetitaque: aliis eam S. Ladislao vindicantibus, aliis autem S. Regi Stephano vindicantibus. Qua in quaestione, celeberrimum domi nostrae ingeniorum acumine agitata, eum tenebimus modum, ut et alterius partis argumenta quam planissime recenseamus. Opuscula hanc in rem exegetica legas: Dissertationum in res Hungariae veteres Historico criticarum p. 129—130.

§. 170. Qui debita pietate Varadinensis Episcopatus ortum Regi Apostolico asserunt, arguunt: 1.) „Historicorum nostratum vetustissimus in rebus ecclesiasticis, Hartuicus ait: Post haec prouincias in decem partitus episcopatus, Strigoniensem Ecclesiam Metropolim et Magistram, per consensum et subscriptionem Romanae sedis Apostolici, caeterarum Ecclesiarum fieri constituit.“ — Oportet ergo episcopatus ab eo fundatos esse decem; si Varadinensem serie hac eximas, octo solum, aut nouem erunt fundati, cum una Metropolitana Strigoniensi. Ut sua proin Historica auctoritas, fidesque Hartuico constet, Varadinensis quoque auctori illi tribuendus. — Testis episcopatum decem, praeter Metropolitanam Strigoniensem, a Protorege fundatorum alter est S. Gerardi Biographus coaeuus, S. Stephanum Gerardo dixisse perferens: Voluntas quidem meae fuit, duodecim episcopatus, quos in regno meo facere decreueram, episcopis implere; sed retardatus fui — nunc tibi trado Chanadiensem“ l. c. Atqui ni Varadinensem S. Stephano tribuamus, nec decem cum Strigoniensi, ab illo conditos efficies.“

2.) Alterum episcopatus a Protorege Varadini fundati argumentum Chronicon Thurotzii suggerit: ternis quippe vicibus ante regnum S. Ladislai memorat episcopum Varadiensem: P. II. cap. 49. et 52. Cum ab omni vel veri specie abhorreat, ut in tot locis, eadem de re, diuersis adiunctis vestita, semper errauerit Chronicon; oportet Episcopatum Varadinensem aetate iam Salamonis exstitisse; si vero tempore hoc iam exstitit, non a S. Ladislao, sed a S. Stephano rege conditus sit est necesse.

3.) Cum feruentissimo S. Stephani rem religionis Christianae propagandi studio conciliari nequit, ipsum tam amplum terrarum spatium, ex quibus dioecesis Varadinensis per Bihariensem, Békesiensem, Krasznensem, Szolnokiensem, Za-

randinensem prouincias, partes item Ugocsensis coaluit; sine doctore, patre, pastore reliquisse.

4) Nec dici potest illam primitus seu Archiepiscopatu Strigoniensi, seu Agriensi seu Transiluanæ diocesi admensam, ac serius ex aliqua illarum excisam fuisse: praeterquam enim, quod huius excisionis nulla seu memoria, siue vestigium, S. Rex contra prudentem oeconomiam acturus fuisset, si primas quidem usque in Transiluaniam, et Transiluanam extra Principatum, immoderata amplitudine protulisset.

5.) Eam fuisse protoregis oeconomiam, ut urbes potissimum ducales sedibus ornauerit episcopalibus; ita Strigonium, Albam-Gyulae, Bácsinum, etc. Fuit castrum Byhor sedes Principis Menumorouth; soceri Arpadi: „Arpadus filiam Menumorout, filio suo Zultae in uxorem accepit, et duci Menomorouth dedit castrum Byhor“ ait Belae regis Notar. cap. 51. In castro proin Byhor sedem episcopalem in honorem B. Mariae Virginis condi, non congruum duntaxat, sed et aequissimum fuerat.

6.) In Parochia castri huius Bihor, inter flumen Kewres (Sebes-Körös) S. Ladislaus quoque aedificauit monasterium in honorem Virginis Mariae, quem locum Warad nominauit. (Chron. Thur. P. II. cap. LIX.) Monasterium inquam construxit, dotauit, seu Praeposituram collegiatam. In hanc quin imo et Cathedralem sedem transtulit fide Historiae in Legibus Ecclesiasticis Battyánianis, et Codice Diplomatico ad an. 1369. perscriptae his verbis: „Ante omnia est notatu dignum, quod Ecclesiae nostrae Varadinensis fundator est beatissimus Ladislaus olim Rex Hungariae. — Fundauit autem ipsam Ecclesiam et dedicauit in honorem Beatissimae matris Mariae Virginis; instituens primo ibi Praepositum et Canonicos numero viginti quatuor, computato praeposito; et tandem erexit eam in episcopatum et multis possessionibus, iuribus ac praerogatiuis dotauit.“ In hac fuerat S. Ladislaus sepulchro conditus teste eodem Chronico l. c. cap. LIX. In eadem celebrata sunt examina ferri candentis; vide in apparatus Belii. Rabie subin tartaro-mogolum 1241. utraque ecclesia est incinerata teste Rogerio; primitiua in castro fuerat prius restaurata, sacraque lypsana Patroni S. Ladislai recepit; altera ad flumen Kewrös, e regione Praepositurae S. Stephani Proto-Martyris de Promontorio Varadinensi Sacri et Candidi Ordinis Praemonstratensium, in rudibus fatiscebat, a Chanadino, Archiepiscopo Strigoniensi anno 1331-o, teste Statutorum Varadinen. Scriptore resuscitata, Praeposito et Canonicis institutis. Mox in Rationibus decimae Pontificiae Minor B. Mariae Virginis, tenuiusque dotata occurrit; eiusdem solus hodie titulus super est: Confer: Dissertationes in res Hungariae veteris Historico-Criticas; item: reflexiones in Scriptores nouos rerum veterum Hungaricarum Historico-Criticas. *)

*) Duorum Varadinensium Praepositorum mentio fit adhuc Pii II. Papae literis, quibus, cum Venerabili fratre Episcopo Varadinensi, praecipiebat, ut in eos habitatores Cibinienses in Transiluania diligenter inquirant, et inuenta veritate iuxta leges

§, 171. Encomistarum vero pro sancto Ladislao haec sunt argumenta: 1.) Codex Corsendonkanus de S. Ladislao praedicat: „Duos, inquit, Episcopatus quoque ordinavit et regia largitate locupletavit.“ Scilicet: Varadinensem et Zagrabiensem fundavit. Attamen Codex non dicit fundavit, sed ordinavit; quae duo aequipollentia non sunt. Duos episcopatus ordinasse, recte dici potest: Bacsiensem in Archiepiscopatum eleuando, et Varadinensem e castro Byhor in suam Ecclesiam transferendo; fundasse autem nullatenus: cum secus denarius episcopatum a Protorege fundatorum numerus cogi nequeat.

2.) Compilator Pelbarti verba Codicis illustrat dicens: „Beatus Ladislaus monasteria episcopalia duo construxit: scilicet Varadinense, et Albense, quae regia largitate dotavit.“ Ast sententiam aduersariorum confirmavit minime: monasteria enim episcopalia construere, tantumdem non est, ac episcopatus fundare; sed praeposituram, aut capitulum collegiatum, erigere; eo certius, cum episcopatum Transiluanum certe non erexerit S. Ladislaus, sed Protorex.

3.) Waradinum ante aetatem S. Ladislai nequaquam exstitit; ille proin fundaverit episcopatum Varadiensem, est necesse. — Atqui chronicon antequam Salamon, ac Geysa, Ladislai frater obiissent, semel, iterum ac tertio meminit Varadini disertissime; tam parum ergo dedit loco ortum Ladislaus, quam parum Geysa Vacio; nomen Varad ecclesiae a se conditae indere potuisse, concedimus; nos in castro Byhor fundatum a S. Stephano episcopatum affirmamus: „Posthaec in parochia castri Byhor, inter flumen Kewres, in venatione, inuenit locum, ubi angelico admonitu proposuit construere monasterium in honorem Virginis Mariae, quem locum Warad appellavit.“ Author proin loci, in quo ecclesiam B. Mariae Virginis construxit, non item episcopalis sedis, quam in eam transtulit, S. Ladislaus haberi potest. Certe etiam, qui Morissenus a primordio dictus est, subin Csananadiensis audiit.

4.) Antonius Bonfinius praeuidens nostrae aetatis Scriptorum, ad cudenda no-ua, immodicum pruritus, sensum Thurotzii luculentis verbis explicat (Dec. II. lib. IV. p. m. 259.) „Diuina, inquit, statim mandata praestitit; magnificentissimam aedem erexit; eique pontificem praefixit; oppidum fundavit, Waradinumque iussit appellari; pontificiam aedem amplissima donatione exornauit.“ Ast Bonfinius sensu praemisso de ecclesia collegiata erecta, sedequae pontificia in illam

Canonicas animaduertant, Apostolicae sedis auctoritate, qui in Albertum Agriensis Ecclesiae Praepositum, et Vice-Cancellarium Regis Ladislai V. iam vero Chanadiensem Episcopum, pro conficienda concordia Regem inter et Ecclesiam, Joannisque de Hunyad viduam, profectum ad Transiluanos, iniecisse manus violentas referebantur. Datum Mantuae. V. Id. Oct. A. 1459. V. in Codice. Praepositus B. Mariae Minoris memoratur demum D. Martinus, Canonicus et Praepositus Minor. Ecclesiae Varadinensis factus Episcopus Cistrensis et Suffraganeus Varadinensis, Die XXVIII. Augusti anno 1544, Pray. Hier. Sacr. P. II. p. 187. — Anno vero 1537. redacto in potestatem Isabellae, viduae Zápolyanae Varadino, Praefectus arois Antonius Nyakazó, placitis Caluini addictus, expulit ex eadem ciuitate utriusque Ecclesiae Canonicos. Restituto autem Episcopatu et Capitulo Cathedrali Praepositura B. Mariae V. minor. originalem suum titulum S. Ladislai regis de Varadino recepit.

translata, non venit intelligendus; corrumpit certe in iis quoque sensum Chronici, quod de monasterio loquitur, non item episcopatu condito. A commentis in rebus ante se gestis, notorius.

5.) S. Ladislaum passim ab Emerico, Mathia Coruino, fundatorem Ecclesiae Varadinensis celebrari.— Celebrari omnino Ecclesiae, non item Episcopatus.

§. 172. Oportet etiam exceptiones aduersariorum praecipuas, quas contra vim argumentorum, pro Sancto Stephano episcopatus auctore productorum, oggerunt in examen arcessere: 1.) Illud ordinauit Corsendoncanus biographus pro fundauit, accepit: nec enim Zagrabiensem episcopatum ab illo fundatum ignorare potuit; si autem de Zagrabiensi ly ordinauit tantumdem est ac fundauit; hinc confit, uti S. Ladislaus Zagrabiensem Episcopatum fundauit, ita etiam Varadinensem fundasse: de utroque enim eodem prorsus modo loquitur.— Codicem Corsendoncanum Zagrabiensem episcopatum testimonio praecitato prae oculis habuisse, doceri non potest: certe nec Simighiensis, et Bathensis Abbatiarum, a S. Ladislao conditarum, conscius fuerat: per duos proin episcopatus a S. Ladislao ordinatos, Zagrabiensem episcopatum a se fundatum intendisse, recte haud consequitur; ex illiusque verbis Varadinensis episcopatus a S. Ladislao fundatus extorqueri nequit.

2.) Ex eo, quod episcopus Varadinensis iam sub Salamone ac Geysa memoratur, non sequitur illum a S. Ladislao fundatum haud fuisse: potuit enim illum S. Ladislaus Dux fundasse. Hoc quidem iuri et canonico et patrio contrarium: iure episcopatus fundandi sacrae duntaxat coronae inhaerente; omniaque documenta, quae praesto sunt, non Ducem, sed Regem Ladislaum a magnificentia commendant.

3.) Etiam si Varadiensis S. Ladislao fundatori debeatur, non sequitur denarium episcopatum a S. Stephano fundatorum numerum hiare; cum illum Nitriensis peraeque compleat. Ast hanc sedem usque aetatem Regis Colomanni acephalam, a S. Stephano haud fundatam fuisse, fide dignis probabimus argumentis.— Accedit: disputatis: si a S. Stephano episcopatus Varadinensis conditus non est, sed cum Ladislao coepit, explicari non potest: unde Varadini Praepositi bini.— Unus cathedralis, constanter: Praepositus Ecclesiae Varadinensis; alter vero Praepositus S. Mariae, nonnunquam addito: minoris, alias: iuxta Portum (Chrisii) dicti. Praeterquam si admittamus: unum Protoregi Stephano, alterum S. Ladislao suam originem debere.

§. 173, Nomen vetustum Dioeceseos, Bichoriense, situm et amplitudinem, dotes quoque largissimas inter disceptandum inuimus: libertates, praerogatiuae mox emergent in lucem. Nomen primi Varadinensis episcopi, ut aliorum, illachrymabiles tegunt tenebrae: quin tamen magnum in eo suspicionis sit momentum; nullus quod usque Sixtum, qui Colomanni literis anni 1103. subscribitur, occurrat: alioquin et Transiluanus, quem a S. Stephano fundatum nouimus, foret controuertendus. Hi tanquam remotiores rarius concurrerunt ad rempublicam administrandam, ideo literis solennibus rarius inserti, pluribusque barbarorum incurSIONIBUS obnoxii, instrumentorum literalium iacturam passi sunt maiorem.

§. 173. Nitriensem ex aduerso Episcopatum a rege Apistolico fundatum, denegamus. Primordia eius sub Urolfo, Patauino Archipraesule coepta, restorationem quoque sub Methodio Moraviae Archiepiscopo, ac quomodo Wichingo suo episcopo ad Arnulfum Imperatorem profugo, facta sit vacua, atque prouisione Apostolica per Hungaros Morauiam incursantes, impedita manserit acephala supra §. 45—55 docuimus: Statum rerum Belae Regis Notarius paucis prodidit: „Tunc omnes Sclauī, habitatores terrae—propter timorem Hetumogerorum, se sua libera sponte subiugauerunt eis; nullo manum subleuante, et ita cum magno timore ac tremore seruiuerunt eis, ac si olim Domini eorum fuissent.“ Cap. XXXVIII. Prouisionem eius impediuit etiam querela Bauarorum, qui Archiepiscopatum Moraviae in Passauiensi erectum deprecabuntur aegerrimo animo ferentes V. literas ad an. 901. Cod. Dipl. tomo I. p. 238. Cui praecessit peruicax Salisburgensis Metropolitae cum Gerardo Passauiensi de iurisdictionis suae praerogatiua et limitibus, coram sede Apostolica agitata contentio, vide ad 937. ibidem. Protracta usque ad tempora Othonis M. Benedicti VI. Papae, qui concessit, ut tota Pannonia, superior videlicet et inferior Salisburgensi Archiepiscopo subordinetur; Bohemia vero ac Morauia tota, unum constituat episcopatum Pragensem, confirmauit anno 974. V. l. c. p. 258. 259. Piligrinus quidem Passauiensis, euangelio apud Hungaros praedicato, iurisdictioni Salisburgensi in Pannoniam finem posuit; ast Morauia tota mansit Pragensi episcopo subiecta, sub proprio tamen Episcopo Wratislao, qui Polessouii resedit: meminit huius Cosmas Pragensis sequentibus: „Fertur autem, quod fuisset in Morauia, ante tempora Seueri, quidam episcopus, ut reor, nomine Wratzek.“ pag. 9037. edit. Mencken. Pluribus edisseruit in ecclesiastica Moraviae Historia, limitesque huius Moraviae episcopatus assignauit Stredowszkus p. 554—5. ad annum 976: „Porro, ait, longe aliam, quam nunc sit, Moraviae Episcopatus Peregrinus mensus est dioecesim: addita est Wratislao sub pastorem curam magna pars Hungariae, ad ipsum Wagum excurrentis; — quousque vero Wratislaus Polessouienti praesedit Cathedrae, multum conuersioni Hungarorum erat proficiuus, atque Morauorum reliquiis intra Wagum amnem et montis Carpatici radices considentibus, supra modum salutaris. — Postquam ex talento sibi credito fructum Domino reportasset centuplum, fractus labore, quem laudabiliter quinquennio in sua cathedra exegerat, ad aeuiterna euadit praemia.“ Uno Moraviae Pelossouii constituto Episcopo, Nitriensem ecclesiam acephalam necesse fuit permanere.

§. 175. Post obitum vero Wratislai Praesulis Morauici, Boleslaus, Bohemiae, Moraviaeque Princeps, Adalbertum, alias Woiteck dictum, qui Dithmaro anno 982-o fati functo suffectus est, ad capessendam etiam Morauiam sedem episcopalem compulit, ut Bohemiae Moraui arctiori iungerentur officio. Benedicti VII. Papae consensus, ac Othonis II. confirmatio accessit anno 984—5. Pacto hoc dioecesis Nitriensis iam directe Pragensi Ecclesiae fuerat subordinata. Mansit Moraui Ecclesia Pragensi copulata usque annum 1063. quae temporis Periodus facit octuaginta duos annos“ ait idem Auctor. l. c. p. 570. Hoc iure videtur Adalbertus ope-

ram suam euangelicam, Geysae Duci repetitum obtulisse; de quo Biographus S. Adalberti Scriptor coaeuus cap. V. ait. ad an. 994. „Non tacendum quod iuxta positis Hungaris nunc nuncios suos misit, nunc se obtulit; quibus etiam ab errore suo parum mutatis, umbram Christianitatis impressit.“ Item ad an. 996. alter: „Miserat his diebus ad Ungrorum seniore[m] magnum, imo ad uxorem suam, quae totum regnum manu viri tenebat, et quae erant viri, ipsa regebat; qua Duce erat Christianitas coepta, sed intermiscetur cum paganismo polluta religio.“ Taliter usque baptismum Stephani mansit Episcopatus Nitriensis acephalus.*)

§. 175. Stephanum, Regem Apostolicum, tali necessitudine cum episcopatu Pragensi iunctum, mirum non est, Nitriensis prouinciae cum eodem nexum, constitutis episcopatibus, haud turbasse; sed nec mox seu causa, siue occasio data unionis huius ecclesiasticae rescindendae u.que regis Colomanni regiminis initia fuerat: quibus maioris solum Praepositurae nomine, sicut Posoniensis, censebatur. Diuortio Bohemorum ac Morauorum dissidia praebuerant occasionem. Dissidiis quippe internis Moraui suum proprium iugiter repetebant Episcopum. „Non cessarunt, prosequitur idem Auctor, Moraviae Proceres et clerus Wratislaum, qui Spitigneo, fratre nuper defuncto ex Olomucensi praepositura ad Pragensem transiuerat thronum, fatigare precibus, ut iure suo in Morauiam Seuerus, Pragensis Praesul, cederet. — Qui laudabili lenitate, diminutionem suae dioeceseos longe post habens animarum iacturae, Alexandro Papa adprobante, proprium Morauis concessit Antistitem, Joannem Pragensem canonicum, et Wratislai Ducis capellanum; qui sedem episcopalem Moraviae ex Polessow transtulit Olomucium praeter propter anno 1065. l. c. Qui Seuero mortuo in sede Pragensi successit, Jaromirus, Wratislai Bohemiae Regis frater uterinus, post obitum Joannis, Olomucensis, in concilio Moguntino, ut episcopatus Moraviae Pragensi reuniatur, a Henrico tertio impetrat mediante priuilegio, in quo etiam eius limites inter Wagum usque montes Tatra, signantur, Dat. III. Cal. Maii, Anno Incarnat. Dominicae MLXXXVI. Ita Cosmas l. c. pag. 2057 usque 2060. V. nro. XXXVI. Nec haec reunio durauit ultra annos quatuor: Wratislauus enim fratris sui fastum et insolentiam pertoesus, Weclum aulae suae capellanum, episcopum Moraviae (Olomucensem) constituit. Quod Jaromirus, mutato nomine Gerardus, tam aegre tulit, quod ad Apostolos contra fratrem appellans iter Romam suscepit; sed ad S. Ladislaum, regem nostrum digressus, Strigonii obiit VI. Kal. Julii anno eodem, teste Cosma Pragensi l. c. p. 2064—5; Wecloni, Morauorum Olomucii episcopo successor datus est anno 1091. Andreas Dubravicius, quem iam serie ininterrupta successores exceperunt. Perstitit nihilominus haec Nitriensis Episcopii cum Moraui unio tam constitutione Pontificia, quam imperiali decreto sancita, inter Bohemos et Hungaros usque annum MXCVIII. eodem Cosma Pra-

*) Quod Rex Apostolicus Ecclesiam Nitriensem haud restaurauerit, non mirabitur quisquis nouerit Viennam quoque usque 1030. annum ditionis Hungariae certe fuisse; eam nihilominus, ne quod Apostolica institutione dispositum, turbaret, in statu aequo suo reliquisse.

gensi testante: „Anno MXCVIII. ait, Dux Brecislaus occurrens Pannonico Regi Colomanno in campo, qui dicitur Luczko, multa sunt inuicem concionati, placitantes ad placitum, utrarumque partium, ac inter se mutuatis muneribus renouant antiqua amicitiae, ac pacis foedera, et sacramentis confirmant. Ibi Dux Brecislaus suum electum Hermannum diaconum committit Seraphim, Archiepiscopo (Strigoniensi) ordinandum. Qui veniens ad sedem suam urbis Strigoniae, tempore quo sacri ordines celebrabantur, III. Idus Junii ordinat eum Presbiterum, et me, quamuis indignum, ad eundem similiter promouit gradum.“ Ita ille pag. 2079—2080. Pax haec perdurauit sane anno etiam 1100-o cum hoc sit decretum articulo 22-o „Judicium feri et aquae in aliqua ecclesia fieri interdiximus, nisi in sede episcopali, et in maioribus Praepositis ut Posonii et Nitriae.

§. 177. Pace ac concordia inter Hungaros ac Bohemos rupta, etiam unio Nitriensis Ecclesiae cum Episcopatu Moraviae Olomucensi fuerat intercepta. Calamitatem belli ea duntaxat parte, qua Nitriensibus incubuit maxime, commemoro ex eodem Cosma Pragensi: „Anno MCIX. X. Luna mensis Februarii — Dux Svatoplugus Bohemiae, iam eruti sanato vulnere oculi, continuo iterum coadunato exercitu, tribus diebus ac noctibus, continuo festinans, intrat Ungariam et nemine eorum praesciente, ex improviso applicuit cum exercitu ad urbem Nitram, et irruisset in eam, si non vigiles, qui semper sunt ibi custodientes (castrenses) clausissent portam; depopulato igitur et succenso eius suburbio — villis eorum combustis, omni illa regione deuastata, maxima onustati iumentorum et coeterarum copia rerum, hilares ad proprios reuersi sunt lares.“ fol. 2097—8. Immanitate hac irritati capitulares, electione canonica Praepositum suum elegerunt Episcopum, et sedem episcopalem feliciter iterum restaurarunt. Cuius restituti indicia, utpote villa episcopalis Gant, in diplomate limitaneo Abbatiae montis Zobor an. 1111-o edito iam prodit: Praepositura in episcopatum eleuata. Confer Diss. in res Hungariae veteris Historico Criticas pag. 103—127.

§. 178. Episcopatum Nitriensem a Protorege haud fundatum arguendi, habemus etiam alias causas intrinsecas: Illi proprium certe fuit, teste Hartuico, Ecclesiis a se fundatis amplissimas assignare dioeceses, et de dote regaliter prouidere; cum tamen Nitriensis episcopatus et unico Comitatu Trencsiniensi arctatus, et opis, usque Geysam secundum, egenus fuerit. Singuli item Episcopatus ab eo conditi, suos nacti fuerant praepositos, quibus Nitriensis caruit aeuum usque nostrum. Sed nec seu a Colomanno, seu Stephano II. aut Bela coeco est fundatus iisdem ex rationibus: quia hi ab eo liberalitatem haud subtraxissent, Praepositumque addidissent. Nec quemquam offendat, Nitriensem sedem acephalam relictam fuisse: cum id ipsum cum Polessouiensi et Olomucensi factum sit, unione episcopatus cum Pragensi, auctoritate pontificia, vigente. Nemo etiam nobis oggerat donationales S. Stephani de anno 1008-o: hae enim authenticae internis externisque notis destitutae pia fraude sunt eidem suppositae. Maiori Ecclesiae Nitriensi cedit gloriae, semet post longinquam vacantiam sedem episcopalem electione cano-

nica restaurasse. Sed eorum, qui denarium episcopatum a Rege Apostolico fundatorum numerum Nitriensi complere contendunt, praesidium cadit omnino.

5). Praepositurae regales a Rege Apostolico fundatae.

§. 179. I. Praepositura Albaregalensis. Locus ab aquae lutosae (Sárviz) et amniculi Gaia confluxu palustris, a Buda Veteri ac Pestino ad Austrum horarum septem ac mediae, Weszprimio quinque, itineris spatio dissitus, Romanorum aevo iam habitatoribus cultus; atque in itinerario a Wesselingio edito Florianae nomine notatus, Arpadi iam, primi Hungarorum Archontae attentionem meruit, mox Sancti etiam Stephani, teste Chronico Thurotziano: „Árpád cum ceteris Hungaris castra fixit in monte Noae (Csucsos hegy) prope Albam; et ille locus primus est, quem Árpád sibi elegit in Pannonia, unde et ciuitas Alba per sanctum Regem Stephanum, qui de ipso processit, fundata est prope.“ P. II. cap. III. Ita etiam Simon de Keza pag. 68. — Fuit Alba a regali sede sic dicta, urbs facta coronationalis, et natura et muris firmata, ut idem Chronicon celebrat: „Carolus — ut citius adipisceretur coronam, coetu Procerum et turbis popularibus comitatus, Albam Regalem properat. Est enim haec ciuitas humili in planitie situata. Hanc natura praeter muros, nescio per quem conditos, limosis vadis, stagnis circumiacentibus, simulque calamis et palustribus, tuetur.“ P. II. cap. VII. Uberrimam eius descriptionem dedimus in Tudományos Gyűjtemény, anni 1818. ternione VI. p. 32. sqq. Vim nominis Alba. explicuimus ibidem ad an. 1832. In hac ciuitate Protorex celeberrimam extruxit in honorem B. Mariae Virginis in coelos assumtae, Basilicam Praepositura adiecta.*)

§. 180. Occasionem ac media utriusque ubertim exponit Chronicon Thurotzianum P. II. cap. XXX. „Posthaec (debellato et in captiuitatem abducto Gyula Transilvaniae Principe) mouit exercitum super Kean, ducem Bulgarorum et Sclauorum, quae gentes loca naturali situ munita inhabitabant; unde etiam multis laboribus, et bellicis sudoribus praedictum ducem vix tandem deuicit, et occidit; et inestimabilem copiam thesaurorum, ac praecipue in auro et gemmis, ac lapidibus pretiosis, accepit et locauit ibi unum — nomine Zoltan, qui haereditauit postea illas partes Transiluanas, et ideo vulgariter dici solet Érdéli Zoltan. — Ex hac itaque Gaza multiplici sanctus Rex plurimum locupletatus Albensem basilicam, quam ipse fundauerat, aureis altaribus, crucibus quoque et calicibus, indumentis etiam pontificalibus, contextis auro purissimo, et lapidibus pretiosissimis ditauit, vasa quoque ministratoria et caetera utensilia eidem basilicae necessaria, regali donauit lar-

*) Ad antiquitates Alba Regalenses memoratas accedat: Florianum municipioium secus viam Budensem, ad orientem, e regione domus tegulariae, ubi columna Alba, in agris situm fuisse. Ecclesiam S. Petri, Parochialem in ciuitate interiori, loco illo: quem domus Rode-Hübneriana occupat, Praeposituram vero S. Nicolai extra muros, in superiori, ante domum nundinalem ciuicam stetisse; uliginem quae arcem circumfudit, inaccessibilemque fecit: aqua cespite vestita eformatam. Haec meismet oculis anno 1781. et 1790—3. Albae degens, vidi, expertusque fui.

gitate.“ — Consonat Hartuicus Cap. III. p. 138. „Et ut maiorem defensionis misericordiam consequi valeret, in ipsa regali ciuitate, quae dicitur Alba, sub laude et titulo B. Mariae Virginis perpetuae famosam et et grandem basilicam opere mirifico, caelaturis in chori pariete distinctis, pauimento tabulis marmoreis strato, construere coepit; quam qui vidit veritati testimonium perhibet verborum nostrorum, innumerabilia palliorum, et paramentorum ibi esse genera; tabulas circa altaria plures, auro purissimo fabricatas; lapidum series pretiosissimorum in se continentes; ciborium arte mirabili supra mensam Christi erectum; cameram omni genere vasorum chrySTALLINORUM, onychinorum, aureorum, argenteorum, pleniter refertam.“*)

§. 181. Desiderantur quidem fundationales Praepositurae Alba Regalensis litterae, libertates nihilominus et praerogatiuas eiusdem nouimus, testimonio Hartuici l. c. p. 113: „Tanta venustate supra scriptam ecclesiam in propriam capellam rex sibi retinens, tali libertate eam dotauit, ut nullus episcoporum in ea iuris quidpiam haberet; hinc passim ecclesiae Albensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, titulus in usu fuit). In die etiam absolutionis et consecrationis chrysmatis, cuiuslibet episcopo vel iniungeret rex, ibi praesens, vel illuc mitteret, absens, poenitentes in ea absolueret, et chrysmata consecraret. Diuina quoque Missarum solemnia, si regem ibi esse praesentem contingeret, ille tantum celebraret episcopus, cui rex, consentiente cum fratribus praeposito, celebrare iuberet. In regis autem absentia, absque praepositi et fratrum licentia, episcopus vel missas celebrandi, vel cuiuslibet episcopalis officii exercendi sibi licentiam non usurparet. Praeterea eiusdem Ecclesiae populum instituit esse tam liberum, ut nihil decimarum cuidam episcopo dare deberet, sed praeposito soli et fratribus, prout ab eodem institutum est, seruitium exhiberet.“ Consentit Chronicon Thuroticianum: l. c. „Inter caetera vero dedit eidem Albensi Ecclesiae quaedam donaria, sempiternae memoriae digna: duo scilicet rationaria (vestes episcopales, pallio metropolitano similes) quorum utrumque habebat oram contextam septuaginta quinque marchis auri purissimi et lapidibus pretiosis. Beatus Benedictus, sanctae Romanae Ecclesiae pontifex, ad praeces sancti Stephani regis sanctae auctoritatis priuilegio insigniuit, ut quicumque in celebrando missam, eis uteretur legitime, posset regem inungere, coronare, ac gladio accingere.“ Hae libertates illi temporum successu magnis litibus constitere.

*) Iis, qui contortis ad haec naribus, post Persium, atque Alexandrum Seuerum, homines ethnicos, querunt: In sanctuario quid facit aurum? Breuiter reponimus: artes pulchras et honestas alunt, fouent, ac promouent. Responderant alii uberius: Sanctificatur aurum in templis et ne prorsus depereat superfluitate, luxus humani et abominandis expensis, ut potest auctori etiam suo inseruire conatur, et ut audacius loquar, natura sua spe non frustratur. Viua quidem Dei templa compagi lapidum anteponenda sunt, atque necessum est, Christum vestire in pauperibus, visitare in languentibus, pascere in esurientibus, suscipere in his, qui tecto indigent, et maxime in domesticis fidei; quod si tamen, qui haec faciunt, insuper aedificent Ecclesias,

§. 182. Praepositura Vetero Budensis. Locus hic ad dexteram Danubii cum munimento limitaneo, olim Romanis ab aquarum calidarum ubertate Aquinquum, et Acincum, nuncupatus, in Pannonia inferiori celebris Romanorum Colonia fuerat. Superat eiusdem vestigium, nostrum usque diem, non quidem, ut RR. D. Stephanus Schönvisner voluit, caldarium, sed aquilegium, in cuius cisternam columnellis prope tercentis, paris moduli, innixam e montibus vicinis per canales aqua recens est deriuata, et alium alueum in Danubium immissa, iam terra aggesta conditum. Inuestigavi diligenter: vide in eodem scripto scientifico ad ann. 1827. Jazygum Metanastarum barbarie in ruinam praecipitatum Atila Hunnorum Rex a Romanis obtinuit; a quo incolae germani illud Ethelsburg, et Etzilsburg, Slaui vero vi nominis Romani Woda, Wuda nuncuparunt; ut Chronicon Thurotzianum prodidit: „Urbem hanc in suo recessu — Urbem Attilae praecipit vocari; — Hunni tamen praeepti minus observantes, illam Budavára vocauerunt. — Teutonici vero edictum regis transgredi magis formidantes, ciuitatem ipsam Eczelsburg, idest urbs Attilae vocauerunt. P. I. cap. XVII. — Dux Arpad ex insula Csepel motis castris, ad portum Mogyer Danubium transgressus, insedit hanc Atilae urbem teste Belae Regis Notario: „Dux Arpad, inquit ille, et omnes sui primates, communi consilio et pari consensu ac libera voluntate egredientes de insula, castra metati sunt ultra Suruksár usque ad fluuium Racus; et dum vidissent, quod undique tuti essent, — transierunt Danubium et portum, ubi transitum fecerunt, portum Moger nominauerunt, eo quod septem principales personae, qui Hetumoger dicti sunt, ibi Danubium transnauigauerunt. Transito Danubio castra metati sunt iuxta Danubium usque ad aquas calidas superiores. Secundo autem die Dux Arpad et omnes sui primates, cum omnibus militibus Hungariae, intrauerunt in ciuitatem Atilae, et viderunt omnia palatia regalia, quaedam destructa usque fundamentum, quaedam non.“ Cap. XLVI. Hungari quoque adoptarunt nomen eius Slaucicum, dixeruntque Wuda; ut Chronicon Thurotzii memorat loco citato: „Vocantque Hungari Wbuda, usque ad hodiernum diem.“ I. c. Vetus Buda nuncupari coepit, quum Bela IV. post vastitatem a Tartaris Hungariae illatam montem Pest (Bulgaris tantumdem ac furnus, inde idiomate Theutonico Ofen) muris ampliari, inhabitarique fecit. Arx haec speciosa subin Budae nomen arrogauit; ex aduerso veteri Budae suum genuinum nomen in germanico Ofen mutuauit; ut hodie tam mons Pestiensis in latino et Hungarico Buda, tam Vetus Buda in Theotonico Alt ofen mutuatum nomen usurpent.

§. 183. Nec Buda haec vetus Protoregis effugit attentionem, ab eodem insi-

vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles aduehant, earumque dearent capita, pretiosum ornatum non sentientia, ebore, argentoque valuas et gemmis aurata distinguant altaria, inquit Hieronymus epist. ad Demetriadem, non rephendo, non abnuo: Unusquisque in sensu suo abundet, melius est hoc facere, quam repositis opibus incubare.“ Utrumque faciens Protorex, in memoria est benedicta.

gni Praepositura S. Petri et Pauli, Principum Apostolorum coonestata; factum Thurotzii Chronicon P. II. cap. XXXI. ita tradit: „Sanctus Rex venit in ciuitatem, quae Vetus Buda vocatur; una cum filio suo sancto Emerico, et regina. Et cum ibi non inuenisset aliquod pium opus in Christo, in quo posset laudari creator omnium; statim sanctissimus rex, de thesauro praedicti Kean, ducis Bulgarorum et Sclauorum, quem occiderat, coepit in medio ciuitatis, aedificari grande coenobium, in honorem Apostolorum Petri et Pauli, ditando illud multis praediis, et simili libertate Romanae ecclesiae. Dum igitur aedificaretur, magistri lapididae de Graecia ducti erant, et sanctissimus Rex cum regina ratione deuotionis ibi degebant; regina autem cruces, tabulas, et ornamenta procurabat. Quia vero illud grande opus inceptum multos annos conducebat, ideo viuente S. Stephano Rege illud coenobium non potuit consummari, sed volente Deo, post multum temporis sanctissimus rex Ladislaus illud opus consummauit.“ — Huius non minus literae foundationales desiderantur.*)

Lectissimus Michaël Szworényi, Amoenitatum Eccles. fasciculo III. Praepositorum a Rege Apostolico fundatis accensere non dubitat Praepositorum etiam S. Georgii de viridi campo, et S. Thomae de monte Strigon. absque ullo teste; immemor, eundem architectorum, et opificum inopia, nec cathedrales Quinqueecclesiis, Vacii, nec Praepositorum Vetero Budae Ecclesias consummare potuisse; principalibus vero minores praetulisse, arguere haud possumus. Sed nec sunt hae praepositorum primitus, sicut Albaregalensis, ac Vetero Budensis, Regalibus accensae. Id tamen lubenter largimur, Ecclesiam supra V. Budam, quae vocata est Alba B. M. V. originem Protoregi debere; cuius Belae Regis Notarius ita meminit (cap. LII.) „Post haec anno Dominicae Incarnationis DCCCCVII. Dux Arpad migravit de hoc seculo, qui honorifice sepultus est supra caput unius parui fluminis, descendentis per alueum lapideum in ciuitatem Atilae Regis, (Ezilburg) V. Budam; ibi etiam post conuersionem Hungarorum aedificata est Ecclesia, quae vocatur Alba, in honorem beatae Mariae Virginis.“ — Est haec continuo regalibus accensa. Talis nec praepositura altera de Castro Agriensi fuerat: erronee proin S. Stephano attribuitur in Schematismo Dioecetano.

*) Ecclesiam Budensem, utut in Vesprimiensi Dioecesi sitam, modo, quo Albaregalensis, exemptam fuisse: ambigendum non est: erat enim haec Praepositorum et Abbatiarum Regalium in genere praerogatiua: Stephanus enim tertius Rex Alexandro III. PP. hanc fecisse dinoscitur sponsonem anno 1169. „Robore inconcusso, tam a nobis, quam posteris nostris, perpetuo obseruandum statuimus: quod Regales Praepositi, vel Abbates, de suis Praepositorum vel Abbatibus, seu dignitatibus nullo modo deponentur. V. in Codice. Innocentius PP. III. in Epistola ad Praesules Hungariae scripsit anno 1202. „Significauit nobis carissimus in Christo filius noster Henricus Rex Ungarorum illustris, quod regales Praepositorum, sicut ad eum in temporalibus, sic ad nos in spiritualibus, nullo pertinent mediante.“ Mansit haec praerogatiua Praepositorum a Sancto Rege Stephano fundatarum; nam aliorum Regum exemptae quidem fuerant a iurisdictione dioecesanorum suorum, sed non a Metropolitae Strigoniensis: ut mox videbimus.

§. 184. III. *Posoniensis*. Praeposituram hanc honori S. Martini Turonensium episcopi honoribus dicatam a Mathia Belio Stephano Protoregi, a Georgio Pray Salomoni aut S. Ladislao auctori tribui non ignoro: ast quibusnam de causis? Quo teste? Ignoro. Nulla certe seu uni se alteri suffragantia prodita hucdum sunt monumenta. Angustias, quibus arctatus Protorex nec Budensem absolueri potuit vita comite Praeposituram, magni non facio, maioris mihi est: si Rex Apostolicus Posoniensem, peraeque ac Albaregalensem et Budensem fundavit, cur non aequalibus etiam donavit, pro more suo, amplissimis dotibus et libertatibus? Maximi vero est: cum Albaregalensis et Budensis Praepositurae a S. Stephano erectae inter maiores praeposituras censae sint nunquam, quo iure? quove respectu? est Posoniensis sedibus cathedralibus coaequata, et Nitriensi praelata, quam initio episcopalem fuisse, nemo dubitat. — Arx eius ad ripam Danubii, a Romanis incursibus Quadorum et Marcomannorum opposita, est omnino antiquissima, cuius utpote iam Ovidius epistolarum de Ponto VIII. memiit; ast non item nominis. Brecislaviae, Presburg nomen, Brecislao, Moraviae Principe, qui primus sacra christiana sumsit, vetustius esse non potest. Alterum Pessen, et Possen eius nomen apud Cosmam Pragensem l. c. occurrit primo. Pisonium ab aedificatore Pisone compellatum, ceu ritibus, legibusque Romanorum aduersum, Ranzani Itali commentum est. Nobis vetustissimum hoc munimentum sub *Vetvar* videtur latere, quod Vroflus Passatiensis Archipresul episcopali ornauit cathedra, ac cuius Praesulem Annonem Eugenius II. in sua salutavit epistola an. 826. Episcopatus huic, quemadmodum Nitriensi, Hungarorum irruptio an. 889—900. fatalis impedimento fuit, quominus canonice electum nancisci potuerit episcopum. Ego sane data opera, tam Ouarini Hungariae, quam Altenburgi, Austriae oppido, vestigia aut memoriam sedis episcopalis inquisiui, et nullum omnino comperi. Si *Vetuarensis* olim fuerat *Posoniensis* plana sunt omnia: cur maioribus adnumerata peraeque sicut Nitriensis sit praeposituris, ceu olim cathedralis. Estque consentaneum, ut sicut Nitriensis Priuinnae sedes episcopali cathedra ornata fuit, ita etiam Moraviae metropolis, Brecislai principis sedes, Posonium, eadem dignitate sit coonestatum. Quod si sanius quis suggesserit, exaudiam lubenter, dummodo S. Stephanum non oggerat, cui tot rationes video graues aduersari.*)

*) Celeberrimus Math. Beel in Hist. Urbis Poson Capite I.—III. cuncta retro acta tempora peruagatus, e densis, quibus rerum nostrarum initia conduntur, tenebris eiusdem nec originem, nec nomen primitiuum elicere potuit. Ortum a Vannio, Quadorum et Marcomannorum Rege, successore Catualdae, qui Marobodorum regno cepulit, duxit repetendum. Taciti, grauissimi Scriptoris, testimonio, qui Annal. Lib. XIII. cap. XXIX. inquit: „Digressus castellis Vannius, funditur praelio; quamquam rebus aduersis probatus, quod et pugnam manu capessit, et corpore aduerso vulnera accepit; ceterum ad classem, in Danubio opperientem profugit, sicuti mox clientes et acceptis agris in Pannonia locati sunt.“ Fuit Vannius Tiberii Neronis clientelaris, aut foederatus; ideo a suis nepotibus Vangio et Sidone fugatus: qui etiam Regnum eius inter se ita partiti sunt, ut Vangioni sui quidem Marcomanni, Sidoni vero Quadi obtigerint; hoc est ii terrarum tractus, qui a Maro (Moraua) amne ad

6). Origo capitulorum Cathedralium, et Praepositorialium in Hungaria.

§. 185. Ne in Historicis ad ea quae iuris canonici sunt exerremus, quid monumenta de hoc sacro Artistitum senatu, ordinisque ecclesiastici seminario, domi nostrae meminerint, exploremus: Verbum Dei Hungaris non solum per Ordinis S. Benedicti, qui unicus tunc floruit, monachos, sed etiam per canonicos ecclesiasticos fuisse praedicatum, disertissime testatur Hartuicus l. c. p. 119. „Geysa clericis ac monachis potestatem concessit suam praesentiam adeundi.“ Item pag. 128. „Multi Presbyteri et clerici Spiritus Paraclleti compuncti visitatione, relictis sedibus propriis elegerunt pro domino peregrinari. Abbates item et Monachi etc. Eui-

Cusium usque protenduntur. Tacitus eodem loco cap. XX. Castella illa Bel vult esse Dévén ac Poson arces, sed nondum haec nomina sortitas. Ast argumento hoc Posonium a Vannio conditum, neutiquam sequitur: Conditores eius ipsemet supponit Romanos in confiniis Imperii excubantes; postquam Drusus ista regione Maroboduus et Catualdae sequaces reposuerat: de quo Tacitus l. c. ita: „Barbari utrumque Comitatu, ne quietas prouincias immixti turbarent, Danubium ultra, inter flumina Marum, et Cusum locantur, dato rege Vannio.“ Tacit. Lib. II. cap. XXXIII. Ast nullum est indicium Quados Romanis concessisse, ut in suo solo munimentum erigerent quum ab eo, per Traianum, et M. Aurelium Antoninum fracti etiam fuerint alieni; Amnian. Marcellinus testis est: Lib. XXIX. cap. VI. p. 447, „Valentinianus, ait: studio munientorum limitum, glorioso quidem sed nimio, ab ipso principatus initio, flagrans, trans flumen Histrum, in ipsis Quadorum terris, quasi Romanorum iuri iam vindicatis, aedificari praesidiaria castra mandauit; quod accolae ferentes indigne, sui-que cautiores, legatione tenus, interim et susurris, arcebant.“ — Nihilo felicior in nomine, quod vetustum hoc castellum primitus sortitum sit, designando: Pisonium a Pisone quo? et quare?) dictum, nullum habet fundamentum: cum nec a Romanis possessum, vel cultum fuisse constet; atque Romanum imperium Danubio coercitum neque citeriorem trans ripam Pisonum aevo, prolatum fuisse, testimonio Velleii Patereuli, Hist. Rom. Lib. II. cap. 3. certissimum sit. Bonfinii Auctoritatem, Dec. I. Lib. I. et II. lib. IV. tanquam serioris, commentum, cum indignatione reiicimus; nec sub gentibus, his in terris dominatis Hunnis, etc. ulla unquam Pisonii ciuitatis usque aduentum Hungarorum mentio. Omnium primo memoratur ad annum 907-um in annalibus Fuldensibus: „Quum Hungari nouam in Germaniam expeditionem comparant, occurrit eis cum exercitu ad Breslaburgum (Auentinus l. c. Brezlaburgum) Luipuldus, acerrimus Boiariae contra Hungeros propugnator.“ Quod vocabulum e Slaua et Germanica lingua mixtum, prodit illa in ora et urbe, Marahanorum sub regno, Braslauum, aut Wratislauum quemdam fuisse dominatum, a quo castrum Presla, et Presburg nomen sumserit. Ex eodem itaque fonte, quo Wratislauias Silesiorum, et nostrae urbis nomen deriuandum. Alterum eius nomen Poson serius adhuc notatur ab Ottone Frisingensi, in Chronici sui lib. VII. cap. XIII. quod Lazius suum fecit (Comm. de repub. Rom. Lib. XII. se et III. cap. VI.) „Appellant Hungari suo idiomate has urbes (Presburg et Oedenburg) Pausonum et Soppron. Recte scriptum occurrit in Chronico Thurotzii, quod finit 1337. P. II. cap. XLII, „Venerat Henricus III. Imperator nauigio ad obsidendum castrum Poson,“ ita ut Poson, nominis proprii Presla, vel Pres, sit hononymum, quo etiam nomine Hungarorum plurimi occurrunt baptizati: ita, ut non Hungari ex Latino Pisonii vocabulo, Poson, sed Latini ex Hungarico formauerint suum Posonium, confinxerintque Pisonium. — Nos proin non pudet fateri: arcis Poson originem, nomenque primitiuum ignorare:

dentissime asseuerat Pilgrinus Antistes, huius praedicationis auctor: „A praefata Ungarorum gente multis precibus ipse inuitabar venire, aut missos meos in opus euangelii illuc dirigere. Ad quos dum transmitterem satis idoneos viros ex monachis, canonicosque presbiteros, atque de singulis ecclesiasticis gradibus, et vita et conuersatione illorum sic ordinata, quemadmodum in gestis Anglorum didici.“ l. c. p. 260—261. ad an. 974. — Collegium hoc capitulare constitutis a Rege Apostolico episcopis, in Ecclesia primaeva non defuisse, idem S. Regis biographus satis prodit, dicens: „Benedictionis ergo Apostolicae literis cum corona et cruce simul allatis, Praesulibus cum clero laudes congruas acclamantibus, dilectus Deo Stephanus — diademate regalis dignitatis feliciter coronatur“ l. c. p. 139. Manifestissime vero, dum idem Haruicus de eodem rege Apostolico ait. „Canonicorum ministerium episcoporum prouidentiae, sub testimonio Christi et Ecclesiae commendabat.“ L. c. p. 136—137. *)

§. 186. Primaeuam canonicorum in Ecclesia Hungariae constitutionem e fundatione sedis episcopalis Morissenae percipimus; fuisse nimirum illos praeter curam animarum etiam muneri docendi adstrictos, atque episcoporum contubernales: ait quippe ad Gerardum idem Rex: sed quum clericos, quos constituamus praesules (canonicos) ecclesiasticos ad praesens non habeamus in obsequium nostri; tollamus ecclesiarum et monasteriorum clericos et monachos, qui sine or-

suspicari tamen, fuisse vetustissimum hoc castellum *Vetus* aut *Vetvár* nuncupatum, et ab Eugenio II. Papa, sedem Episcopalem constitutam: cum nec *Altenburgi* in Austria, nec *Ovárini* in Hungaria, illius cathedrae ullum sit vestigium, *Posonii* autem fuerit Capitulum, quod *Belii* etiam sententia aetatem S. Stephani videtur anteuertere. — Certum quidem non est, sed verisimile: castellum hoc vetustissimum obtinuisse nomen ab Eugenio II. PP. *Vetuár*; a terrae Domino *Presburg*, a Hungaris *Posonvár* denominatum.

*) *Episcopali*um ciuitatum *Presbiteri* in docenda plebe christiana *Praesulibus* suis adiutorio et consilio adfuerunt a principio; eorum *Senatum* constituentem. S. *Ignatius Martyr*, S. *Joannis Apostoli* discipulus, et *Petri* in cathedra *Episcopali* *Antiochena* post *Euodium* successor, nominat sane *Presbiteros* loci: *Senatum* *Apostolicum*, *Epist. ad Magnes.* cap. VI. *Cyprianus* vero *Carthagine* in *Africa* *Praesul*, ac pro *Religione* *Christi* anno 258. *Martyr*, *Presbyteros* urbis suae *episcopalis*: sacrum venerandumque consessum adpellat: *epist. ad Cornelium* p. 137. *Edit. Tyrn.* Illorum enim in causis fidei, morum atque disciplinae, sententia rogabatur; in illisque, qui ad sortem Domini vocabantur, instituendis, opera fuerat necessaria; illi quoque *Ecclesiam* per captiuitatem, mortem, vel absentiam *Praesulis*, vacantem regebant: ut ex celebri *Presbiterorum* *Lugdunensium* *epistola* notum est. Ut hi *Senatores* *Ecclesiastici* communem ducerent vitam, S. *Augustinus*, *Hipponensis* in *Africa* *Praesul* *introducere* coepit; ut una scilicet eademque domo ac mensa cum *episcopo* *Senatus* hic et *clerici* uterentur: *Possid*, in vita S. *Augustini* cap. 25. Hac ratione a speciali *ecclesiarum* suarum cura abstracti sunt. *Institutum* hoc S. *Augustini* a multis *Ecclesiae* *Praesulibus* adoptatum, a *Chrodegango* autem in *Galliis* *Episcopo* prope medium saeculi octauo certis etiam regulis, canonicis dictis, astrictum fuit: inde *Senatus* *episcopalis* nomen in *capitulo* vel etiam *Monasterium*, *Presbiterorum* vero *episcopali*um in *Canonicorum* transiit. *Primaeuos* *Ecclesiae* *Hungaricae* *canonicos* *Episcoporum* *contubernales*, et saeculo primo XII-o ineunte separatos, suo loco videbimus.

dine ecclesiasticae institutionis sint nobis in diuino officio adiutores. — Igitur ad ipsum regis imperium congregati sunt monachi e diuersis regni monasteriis. — Hi duodecim presbiteri monachi erant viri literati. — Venerunt in urbem Morossenam. — Episcopus autem consilio cum Comite Chanadino habito monasterium Graecum sibi et fratribus suis reservauit; in eodem habitauerunt, donec monasterium beati Georgii perficerent. Prouisionem eorum et destinationem vero sic exprimit communem: „Ego autem comitibus meis praecipiam, ut a populo, tempore suo, decimas exigant, ut nullum defectum in temporalibus et aliis rebus necessariis patiamini. Tantummodo exercitate in Christi obsequio officium praedicando, baptizando, ac infideles ad Christum conuertendo.“ Loco citato. Contubernales, ex communibus ecclesiarum prouentibus subsistentes, manebant canonici nostri usque initium seculi secundi Ecclesiae Hungaricae. De munere illorum docendi inferius.

7). Abbatiae Regales.

§. 187. I. Sancti Adriani de Zala. Fuit locus iste iam sub Slauium Marahanensium regno notus, ac S. Adriano M. sacer; conuersionis Carentanorum Scriptor Salisburgensis ita eius meminit: „Transactis fere duorum aut trium annorum spatiis (post Christi DCCCL.) Luiprammus Salisburgensis Archiepiscopus, ad Salapiugin (flexum Salae) consecrauit in honore S. Hrodberti Ecclesiam, quam Priuinna cum omni superposito t adidit Deo, et sancto Petro atque sancto Hrodberto in perpetuum usum fructuarium, uiris Dei Salisburgensibus habendi. Postmodum uero roganti Priuinno misit Luiprammus archiepiscopus, magistros de Salzburgh, muratores et pictores, fabros et lignarios, qui infra ciuitatem Priuinnae, honorabilem ecclesiam construxerunt, quam ipse Luiprammus aedificare coepit, officium Ecclesiasticum ibidem colere peregit. In qua Ecclesia Adrianus Martyr humatus pausat.“ — Fuit locus iste in parte inferioris Pannoniae, quam Priuinna in beneficium a Ludouico Pio ob religionis propagandae zelum, acceperat circa fluuium Zala; in quodam nemore, et palude Salae, constructus; riteque respondet fundamentis in medio fluuii Zala, a me lustratis. Edit. Kopitar p. LXXIV—LXXV.

§. 188. Locum hunc sacrum monasterio ordinis S. Benedicti ornauit, datis fundationalibus, quae sic sonant: „In nomine domini Dei summi, Stephanus suprema prouidente clementia Ungarorum Rex, credimus et uere scimus, quod si locis diuino cultui mancipatis, possessiones atque honores adaugmentauerimus; id non solum laude humana praedicandum, uerum diuina mercede remunerandum. Quo circa omnium sanctae Ecclesiae fidelium nostrorumque praesentium atque futurorum solers comperiat intentio, quod nos diuino instinctu fundauimus monasterium in insula Saladiensi, ordinis S. Benedicti, quod ab anno incarnationis Domini millesimo decimo nono, per Dei subsidium, ob animae nostrae remedium, pro stabilitate regni nostri, ad finem perduximus; in quo iussu nostro dedicata est Ecclesia Beati Adriani, quae est in Sala, simul cum duabus ca-

pellis, una quae est in honore sancti Georgii; altera, quae est in honore sancti Laurentii, a duobus episcopis, Modesto et Boniperto; ibi ordinauimus abbatem Latinum (Italum) nomine Petrum, conferendo ei, etc. — Et ut verius credatur, hanc paginam sigillo nostro authentico corrigiae appensione iussimus sigillari.“ Vide nro. XXVIII.

§. 189. Abbatiae huic congruas largitus est libertates: „Conferendo ei, inquit, potestatem, ut in dioecesi capellarum antedictarum processu temporis, quod necesse est fieri, plures capellae possint — aedificari; quae tamen ad iam nominatas capellas tenebuntur habere respectum; contulimue etiam eidem, auctoritate apostolica nobis annuente, ut in praecipuis solemnitatibus ornamentis pontificalibus uteretur. Condonauimus etiam ut capellas sacerdotibus possit inuestire (ius patronatus); sit idipsum monasterium ab omni inquietudine semotum. Praecipimus etiam sub testificatione domini nostri Jesu Christi, ut nullus potentum, vel aliquis magnus, siue paruus, de iam dicto monasterio aliquo modo se intromittere in mancipiis, terris, vineis decimationibus, piscationibus, ripis, pratis, sine consensu eiusdem abbatis, audeat vel praesumat.“ Ibid.

§. 190. Abbatiam hanc quoque more suo locupletauit Rex Apostolicus largissime praediis, decimis et piscinis; quae longa serie enumerantur ibidem; concludit demum: circa decimas: „Et ne Episcopus Parochianus iniurias, querimoniasque in collatione decimationis praedictarum villarum pateretur, sibi alios terminos decimationis assignando (in prouincia Simighiensi) contulimus. Quod si ipse contra nostra statuta, quod absit, inique agere, vel queri voluerit, ante Deum, iudicem viuorum et mortuorum, in die iudicii se contendere nobiscum sciat.“ Finit comminatione, atque sanctione. Ibid.

§. 191. Libertates atque dotes has Abbatiae S. Adriani de Zala addictas, extendit, firmavitque idem Apostolicus an. 1024. literis huius tenoris: „In nomine Domini Dei supremi. Stephanus suprema prouidente clementia, Hungarorum Rex. Quia ex officio nobis incumbenti, tenemur inuigilare, ne iura, libertates, et decimationes ecclesiarum et monasteriorum regni nostri, nobis a sancta sede apostolica commissarum, et praecipue Ecclesiae B. Adriani Martyris pretiosi, de insula Szalaensi, per nos ob specialem deuotionem fundatae, per ministros earundem dispergantur; una cum praelatis et Baronibus regni nostri, ad petitionem viri fratris Petri, primi abbatis eiusdem ecclesiae, anno domini millesimo vigesimo quarto crastino festi assumptionis B. M. Virginis, quum essemus in Alba, inito consilio diligenti, cum matura deliberatione, duximus discernendum (vetat decimationes illi concessas abalienari, sub poena inuvalidationis, sacerdotes capellarum, iuri ipsius patronatus obnoxios congregationi Abbatis subordinat. Populos abbatiae iudicio ipsius Abbatis reseruat, a collectarum onere eximit, ius fori hebdomadalis Abbatiae eidem adiicit. In casu necessitatis contra impugnantem Abbatiam, Regiam Maiestatem de pugile prouidendo obligat. Multiplicauit aliis piscinis monasterium, sequestrauitque propter religionis disciplinam arctiorem. V. nro. XXIX. Ambas has literas confirmauit S. Ladislaus anno MXCI-o.

§. 192. **H. S. Mauriti M. de Bakonbel.** Huius Abbatiae pro iisdem Fratribus S. Benedicti in medietate siluarum Bakon fundandae Regi Apostolico auctor fuisse legitur Guntherus, Stephano ex Gisela, Saxonicae stirpis coniuge, cognatus. Hic ex saeculari nobilitate conuersus, in monasterio inferioris Quercus (Nieder-Alteich) Bauariae Monachus, mox inde secedens in aquilonarem siluam ad limites Bohemiae vulgo Nordwald, alias Rinchnach, annos XXXVII. eremita. Tantum sui apud Protoregem nostrum accenderat desiderium, ut saepius ab ipso in Hungariam per legatos vocaretur: ita biographus eiusdem apud Mabillonium pag. 476—482. „Quumque in austeritate vitae perseueraret, ait Wolterus, et exemplo suo quam plures ad viam veritatis incitaret, veluti lucerna super candelabrum posita, fama eius bono odore respersa, ad nares beati Stephani Regis Ungarorum, ipsius venerabilis viri cognati, emanauit, cuius animum magno dilectionis incitauit amore, ut hunc facie ad faciem videret, quem sic de virtute in virtutem proficere frequens fama praedicaret. Inde factum est, ut ad ipsum nuncios dirigeret, et ut ad eum venire non recusaret, omni studio postularet. Vir autem Domini, conuersionis suae non immemor, haec sibi minime licere respondebat, quae rex pius postulabat. His rex auditis, maioris inflammatur charitatis ardore, et velut ante nuncios direxit; sed ille se venire etiam secundo denegauit. Tertio itaque post illum — ut ipsius petitioni assensum praeberet, humiliter postulauit. Igitur S. Guntherus, regis tandem victus precibus, eius petitioni, licet inuitus, annuit, et accepta abbatis et fratrum benedictione cum transmissis legatis pariter et ipse ad regem peruenit. Rex autem viso sancto Gunthero gauisus est, et quomodo hunc arctius, veluti iustum et sanctum diligebat; circa ipsum maiorem diligentiam habere satagebat. — — Ad nutum etiam eiusdem serui Dei rex, Deo deuotus monasterium, quod Beel nuncupatur, incipiens, hominibus ditauit; ubi monachus Gerardus, de Venetia veniens, vitam contemplatiuam agere coepit. Qui constitutione diuina Pontifex electus est Chanadiensis.“ Cf. Acta SS. mensis Septemb. Tom. I. p. 529. Quin et Guntherus hic loci eremum coluisse, dicitur.

§. 193. Fundauit monasterium Bakonbeeliense Rex Apostolicus sub finem vitae suae, anno videlicet 1030. et septem post annis consummauit, ut ex diplomate edito patet: „In nomine Domini Dei summi Stephanus suprema providente clementia Ungarorum Rex. Uniuersorum Christi fidelium sane intendat discretio, quod dum in terra Ungariae, christianae religionis per Dei gratiam noua pullularet professio, multi catholici et religiosi viri, ex vicinis prouinciis, spiritus sancti dono illustrati, coeperunt ad me confluere, quorum consilio et monitione in diuersis locis, ad Dei seruitium aptis, Ecclesias et monasteria incoepi construere, in quibus a seculo fugientes, regulariter possent conuersari, et Deo omnipotenti famulari. Igitur inter caetera in illo loco, qui Beel dicitur, in silua Bokon, quia diuino cultui videbatur mancipari valde idoneus, sub titulo S. Mauriti, Christi Martyris, monasterium incoepi construere, quod et per Dei adiutorium consummaui. — Anno Dominicae incarnationis MXXXVII. indictione quinta

existentibus Hungariae Primatibus, Dominico Archiepiscopo, Modesto Episcopo, Urzyo, Chuncio, Tomoyno Comitibus. Locus monogr. Signum Domini Stephani Regis. — Dominicus Archiepiscopus Vice Cancellarius, Pater est.“ V. nro. XXXI.

§. 194. Libertates coenobio huic concessas Rex Apostolicus recenset sequentes: „Regis quoque munificentis, sicut potui, dotaui, et sicut habui potestatem, ut ubicunque vel in quocunque loco, vellem Ecclesias aut monasteria construerem; ita nihilominus a Romanae sedis supremo Pontifice habui auctoritatem, ut quibus vellem Ecclesiis, seu monasteriis libertates et dignitates conferrem. Quamobrem in futurum praecauens, ne idem monasterium multorum temporum successione aliquomodo grauaretur, sit ab omnium episcoporum potestate et iurisdictione semotum, Abbas a monachis illius loci, partis sanioris, libere eligatur, electus vero, a quo voluerit, Episcopo consecratur, infula quoque et baculo pastoralis decoretur. Nullius episcopi subiaceat potestati, nisi Strigoniensis tantummodo Archiepiscopi generali assistat synodo; ut ibidem salutaria monita audiendo, se suosque subiectos valeat salubriter instruere; sitque illius loci monachis et clericis licitum sacros ordines accipere, a quo voluerint, Episcopo; dummodo catholicus sit. Populus quoque eidem loco subiectus, et omnes superuenientes hospites, qui ad eiusdem monasterii capellas, terras, praedia, seu quascunque possessiones habendi gratia accesserint, in cuiuscunque episcopi dioecesi fuerint, decimas suas de vino, de segetibus, siue aliis nascentiis, et de pecudibus vel animalibus, nulli episcopo dent, nisi proprio monasterio, suoque Abbati. Liceat etiam eidem in praediis et possessionibus monasterii sui oratoria, et capellas construendi, consecrationes vero, a quo voluerint, Episcopo petere, et ille Episcopus, ut diuinae benedictionis partem habeat, petenti satisfaciat. Praecipio insuper, firmiter statuendo sub testificatione Saluatoris Domini nostri Jesu Christi, vt nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Praefectus, nec aliquis potens, homo siue magnus, siue paruus, de praefato monasterio, et eius iure infrascripto se aliquo modo intromittat in tributis, in redditibus, in praediis, in mancipiis, in terris, in vineis, in decimationibus tam populi sui, et hospitem suorum, quam etiam praediorum, in piscationibus, in ripis, in pratis, et uniuersis bonis sibi collatis, siue conferendis; sed ita libere possideat, sicut episcopi sua possident iura.“ — Ibidem. Ex his omnibus non video, sequi, Episcopum dioecesanum huic solennitati haud interfuisse; quod laudatus Fuxhoffer praetendit; Episcopusque ordinarius Abbatem, etiam si non debuerit, cur non potuerit consecrare — rogatus.

§. 195. Latifundia etiam huic Ecclesiae a Protorege collata in numerato habemus: „Quae autem in dotem illius contuli, propriis volui vocabulis exprimere: videlicet tributa de foro Reginae; et de foro Zill; et de portu Arpas in Rába, ac portu et foro in Comarin; piscinas duas in Draua, cum piscatoribus, quarum nomina Zualin, et alteri Toplunca, quae separatur riuulo, nomine Burzi. In portu Modusa dedi liberam piscationem, quae vulgo Tana dicitur. Praeterea statui, ut

in Zelibb detur septimus piscis Uzonum, et piscina Nandur in Tiza, detur similiter septimus piscis, siue septimus annus ad piscandum. De fructibus vero arborum, quae ibi sunt, detur septima pars. Piscinam autem Tener-ere, dedi totaliter. Has omnes piscinas cum piscatoribus dedi Beato Mauritio. Villarum autem siue praediorum nomina haec sunt, quae S. Mauritio contuli: Cuppan, Pánnanád, Árpás, Magos, Quiarnul, Ocul, Palaznak. In his villulis siue praediis, cuiuscunque conditionis sunt homines ad me pertinentes, Sancto Mauritio dedi, qui secundum ordinem conditionis suae ita plane seruiant Abbati S. Mauriti, sicut solebant seruire regiae Maiestati. Do etiam licentiam famulis eiusdem monasterii in silua Bocon ligna incidere ad omnia opera monasterii, et praediorum eius. Porci quoque Abbatis in eadem libere pascantur. Sunt praeterea quatuor lapides viciniore ad monasterium, qui vulgariter his vocabulis nuncupantur: Hegyeskuw, Kerteskuw, Fejérkuw, Advaskw; in his, a quocunque homine fuerint ferae interfectae, dimidiam partem illarum ministri Abbatis accipiant, cum cutibus earundem. — Siquis autem“ — sequitur sanctio.

8). Abbatiae priuatorum opera erectae.

§. 196. I. Zoboriensis. Sancti Hyppoliti. Zobor mons est in comitatu et dioecesi Nitriensi, arci cognomini ab ortu solis aestiui oppositus; verticem plures per prouincias ostentans, nomen a Zoborio Nitriensi Duce haereditauit. In Cauerna eius, austrum versus spectante, de Polonia duo venientes, quorum unus Andreas, alter Benedictus — alias Zoerardus, eremiticam vitam causa contemplationis eligentes, se condiderant, curriculumque suum sancte consummarunt: testimonio Hartuici l. c. p. 128. et Mauri, Episcopi Quinqueecclesiensis, illorum Biographi. — Successu temporum in cliuo huius montis ad septentrionem conditum subin est monasterium pro iisdem fratribus S. Benedicti; sed cuius, quorumue pietate ignoratur: hoc unum affirmamus, attribui Protoregi Stephano iure haud posse, hac potissimum consideratione: praesto est huius monasterii limitum rectificatio, bonorumque possessorum recensio, sub rege Colomanno Anno 1112. confecta, in sua forma originali (vide Codicem) vel minimae dotis a Stephano Rege Apostolico obtentae deest mentio; si illud fundasset, donasset quoque liberaliter utique. Meminerimus etiam dioecesim Nitriensem eiusdem regis epocha Morauiico subordinatam fuisse episcopatui; et non mirabimur e remum hanc magnificentiae regalis expertem mansisse. Sententiae huic inhaerebimus, nisi quis productis monumentis errorem nos dedocuerit.

§. 197. II. Tatensis Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum. Tata, cum castro vetusto, collem amoenum obsidet, cum subiectis lacubus, piscinis, inter Strigonium et Comaromium spatio horae a ripa Danubii remota, prouinciae Comaromiensis oppidum haud infrequens; a Geysa Duce, Deodato, de comitibus S. Seuerini, in Apulia, iure proprietario collatum, ut Chronicon Thurotzii sequentibus perhibet: „Intrauit ergo primo Deodatus de Comitibus S. Seuerini de Apulia, qui fundator exstitit monasterii de Tata, et parator. Iste etiam cum Sancto

Adalberto, Pragensi Episcopo, S. regem Stephanum baptisauit. Cuius quidem monasterii nomen pro eo Tata appellatur, quia quum beatus Rex Stephanus eius nomen ob reuerentiam non exprimeret, sed eum Tata appellaret, abolitum est nomen Deodati, et Tata exstitit vocatus.“ P. II. cap. X. Hinc quidem claret, Deodatum Stephani regis patrem lustricum fuisse; ast num etiam in Grammatica praeceptor? non item; Hartuico hoc in merito non plus compertum fuerat: quam „Puer adhuc scientiae Grammaticae (latinae) artis ad plene imbutus est; creuit infans diligenti nutritus educatu.“ l. c. p. 123.

§. 198. Monasterii huius itidem pro fratribus S. Benedicti fundati documentum peraeque vetustas, aut incuria absumsit, ast testimonium habemus Belae IV-i anno 1263. emanatum in originali, quod huiusmodi est: „Bela Dei gratia Hungariae etc. Rex. Uniuersorum notitiae volumus declarare: quod antecessores nostri piae memoriae, Geysa Dux, et Sanctus Stephanus, filius eius, primus Hungariae Rex, plantatores et amatores primitiui, gratia Spiritus S. nouellae fidei Christianae per partes Hungariae, ob gratiam et merita Comitis Deodati; qui erat unus ex principalibus principibus tunc regni Hungariae; qui quidem Comes adiutor conuertendi gentes incredulas et rebelles, fidei veritatis, ac legis diuinae propugnator, una cum Duce Geysa, supra dicto, et caeteris nobilibus terrigenis et aduenis, et episcopis, exstitit gloriosus; qui etiam sanctum regem Stephanum praenominatum, cum sancto Adalberto Episcopo, de fonte Baptismatis subleuauit: magnam partem regni Hungariae eidem Comiti Deodato haereditarie tradiderunt, et contulerunt; praecipue tamen praeter villam, quae Tata vocatur, cum omnibus utilitatibus — eidem praefato Comiti perpetue possidendam; ut cuiusque vellet, alteri vendendam, aut gratis pro Deo libere donandam — liberam haberet facultatem, praesertim cum idem Comes Deodatus absque haeredibus permaneret, — cogitans apud se, tanquam bonus et fidelis aemulator fidei Christianae, habens spem retributionis in futurum, — de consensu et voluntate ac permissione sancti regis Stephani, praedictam villam Tata cum omnibus iuribus — pro testamento perpetuo monasterio BB. Petri et Pauli Apostolorum de dicta Tata, quod ipse fundauerat et dotauerat, legauit, donauit, et in aeuum concessit, et in signum huius rei et facti praefatus Rex S. Stephanus dictam villam, ob reuerentiam et memoriam dicti Comitis Deodati. — Tata nominauit, quod pater spiritualis interpretatur, vulgariter; volens per hoc intelligi in posterum, quod esset donatio et successio spiritualis, etc. Idcirco etc. Datum — anno Domini MCCLXIII.“ Vide in Codice. De ampliori dote, aut libertate huius abbatiae nihil comperimus.

§. 199. III. Abbatia S. Georgii Martyris de Csanadino. Oppidi huius originem supra §. 185. descripsimus. Diploma foundationis itidem pro Benedictionis factae Csanadini produxit hucdum nemo, Biographus S. Gerardi prodidit quaedam indicia: fuisse nempe illud a Csanadino comite loci fundatum, ac primitus a Gerardo episcopo inessum; ait quippe l. c. „Comes Chanadinus monachos, Csanadinum ductos, primo quidem in loco Arasinus (Arad) dicto, ubi mona-

sterium in honorem beati Georgii martyris aedificabat, collocavit. Sanctificato autem eodem loco magnum conuiuium instruxit episcopo et fratribus, quos etiam plurimis donariis remuneravit. — Graecum Abbatem in Crasanum (Krasó?) cum monachis transtulit, donec monasterium beati Georgii perficerent. — Tantum constat insuper ex eodem Biographo l. c. p. 331. quod ubi constructum esset monasterium S. Georgii M. Stephanus Rex illud muneribus, araque in honorem B. Mariae Virginis erecta ornauerit, ac ante ipsum thuribulum argenteum fuerit, duos proeclatae aetatis adhibens in ministerium, ad vigilandum, quatenus ad nullius horae spatium ibi odor thymiamatis deesset. — Dos ac libertates eiusdem caeterae ignorantur. Videtur haec abbatia etiam nomine monasterii B. Mariae Virginis venisse, cuius idem Biographus Gerardinus ita meminit: „Cum septem annis corpus S. Gerardi, ubi tumulatum fuerat, sub terra iacuisset; Maurus episcopus Chanadiensis, et Philippus Abbas monasterii B. Mariae Virginis de Csanadino, quem S. Gerardus adhuc viuens, Abbatem in praedicto monasterio praefecerat, ut fidissimi Sancti Viri procuratores, adierunt regem Andream, cum multitudine nobilium de Episcopatu Csanadiensi, petentes, ut peregrini atque hospitis patris, beati scilicet Gerardi episcopi et martyris corpus quod sepultum erat in Capella Matris Dei Virginis Mariae in Pesth (Taban modo) liceret eis ad sedem Morossenam transferre. Quod cum impetrasent, — Abbas cum episcopo et monachis corpus venerabile honorifice et reuerenter sepelierunt.“ — Abbatia S. Bernardi ordinis S. Benedicti de Csanadino, quam Ignatius C. Battyány, episcopus Csanad. detexit, in episcopis loci pag. 115. uberiori eget illustratione.

9.) Asceteria Monialium.

§. 200. I. De valle Wesprimiensi B. Mariae Virginis. Ut non viri solum, sed foeminae quoque, si quae religiosum institutum sectari vellent, suum coenobium haberent, pius Protorex noster munificentissime prouidit: In parte vallis Wesprimiensis, qua silua Bakon occurrit, monasterium B. Mariae Virgini sacrum excitauit, amplissimisque fundis ditauit. Fundationales lingua edidit graeca, hunc in sensum: In nomine Patris, et Filii et Sancti Spiritus. Jubeo ego Stephanus Christianus et rex totius Ungariae erigendum, administrandum et constabiliendum monasterium sanctissimae Dei Genitricis (Deiparae) Metropolitanum in Besprem, et in eo perennem multitudinem Monialium pro spirituali salute mea, coniugis ac prolium mearum; et Patriae totius, et do annuas eidem monasterio nonas cum villis perpetuo possidendis. Nomina vero duarum istarum villarum sunt haec: prima Sagarberen (nunc Vörösberen) habens mansiones 48; et piscatores sex; et altera villa est Sanaton; habens mansiones triginta, quae est ad Danubium, et viginti Uduarnicos, in dedicationem sanctissimae Dei Genitricis, et traiectum Obada, una cum naucleris septem etc. Et alia plura do eidem metropolitano monasterio Sanctissimae Dei Genitricis, ut donec steterit coelum et terra,

sint monasterii. Do autem et potestatem in hac eadem habitatione, ut volentes habitare in possessorio sancti monasterii, abaque voluntate Abbatis, et Sororum, expellantur e loco etiam potentes. Si quis autem praesumserit ex illis, quae dedi in perpetuum monasterio, minuere, aut aliquid abalienare, seu ex progenie mea, seu alter aliquis, seu Reges, seu Principes, seu belliduces, seu Episcopi, seu aliqui alii, ut habeant maledictionem a Patre, Filio et Sancto Spiritu.“ V. in Codice ad an. 1025. et nro. XXX.

§. 201: Fuisse has metropolitani monasterii de valle Wesprimiensi incolas, moniales Graecas, ex orientis partibus accitas et regulam S. Basilii, monasticae vitae in oriente auctoris, secutas, proinde Basilianas, non ex vano coniecimus; ut sicut ex Latio, monte nimirum Cassinensi, Benedictinos excitos illocavit, ita ex Graecia Basilianas (Basiliani iam aderant) implantet Moniales; quibus regnum huc dum caruit. Quibus tamen, quacunque de causa, fors quia virginibus Ungaris haud fuerat animus Graecis se adiungere, ex oriente vero pauciores aduenerant, lapsu temporis deficientibus, circa annum 1109. Benedictinae successerint, quarum in gratiam Colomanus Rex has graecas Stephani regis fundationales in latinam linguam transpositas, auctasque edidit anno 1111-o ut infra.

§. 202. II. Abbatia de Tormoua. Huius unicum occurrit vestigium in fundationalibus Abbatiae S. Benedicti de iuxta Granum, anno 1075. per Geyssam regem concessis; dum ait: In piscina vero, quae vocatur Vojosér, dedi duas partes: nam pars tertia est Abbatis de Tormoua, in confinio Byhor ciuitatis.“ V. in Codice. Abbatiam hanc fuisse monialium Basilianarum inde arguimus, cum Benedictinarum id temporis, praesertim in partibus istis, nullum sit indicium. Aliud est: Asceterium de valle Vesprimiensi constitutum fuit, ut vidimus Metropolitanum; debuit proin haec mater filias habuisse; talem non aliam comperimus, nisi de Tormoua. Praeter Basilianas autem et Benedictinas nullae aeo illo fuerant Sanctimoniales. Sed huius fundationales, nullo documento innotuerant.

10.) Parochiales quoque Ecclesiae fundatae.

§. 202. Capellas, Oratoria, et Ecclesias parochiales complures, quae vastationem Hungarorum euaserint, aut mox restauratae sint, adfuisse ex iis, quae de Quinque-Ecclesiis, Abbatia item S. Benedicti, et S. Adriani disquisimus, claret abundanter; pietate Regis Apostolici factum, ut eae nullibi desiderarentur: hoc in synodo regia capite XXXIV. perfecit, statutum quippe: „Decem villae ecclesiam aedificent, quam duabus mansionibus, totidemque mancipiis dotent; equo et iumento, sex bobus et duabus vaccis, triginta quatuor minutis bestiis. Vestimenta vero et corporalia et coopertoria rex provideat; presbiterum et libros episcopi.“ Decem igitur pagis unus tunc parochus, unumque templum constituebatur, cui portio duorum agrorum, seu fundorum colonialium, ut iam dicimus, cum iumentis et minutis bestiis, seu capris, ouibus, porcis assignabatur, pro rerum necessitate sufficientia.

11.) Ecclesiae a Stephano Protorege extra Regnum fundatae. *)

§. 204. Chronicon Thuroczianum Protoregem Stephanum Curiam Romanam corporaliter visitasse (P. II. cap. XXXI), Ranzanus Romam petiuisse, reliquias beatorum Petri et Pauli AA. sacras visum (Ind. VIII. p. 593.) Pelbartus de Temesvár in suo Pomerio Serm. I. Eundem cum Henrico Imperatore Hierosolymam contra Saracenos profectum, inde Constantinopolim, tum Romam exspatium fuisse, perhibent. Ast haec regis Apostolici peregrinatio eo minus est credibilis: cum ei ad muniendum religionem, lege ac pace regnum domi summa agendorum moles incubuerit; iam etiam, ut literis Monialibus de valle Veszprimiensi datis apparuit, plurium prolium parens fuerit; ab exteris Scriptoribus synchronis illa ignoretur, a domesticis vero diuersa ratione referatur. Eundem et Romae, et Constantinopoli et Hierosolymis, pro effusa sua munificentia, fundationes fecisse, ex aduerso nihil repugnat.

§. 205. Fundatio regis Apostolici Romae facta. Testis huius est idem Hartuicus, dum p. 142. ait: „In capite quoque mundi Romae, sub titulo Protomartyris Stephani, duodecim Canonicorum congregationem, cunctis pertinentiis abundantem, statuit; et materiam in circuitu lapide muratam, cum domibus et hospitibus Hungarorum. Orationis causa B. Principis Apostolorum

*) Ex hac, quam diligenter deduximus Ecclesiarum per Stephanum Protoregem domi nostrae facta dispositione, despectis literis Syluestrinis, Godefridus Schwartzius nouam sumit initia Religionis et Ecclesiae nostrae a Graeca Orientali repetendi occasionem; simplici hoc argumento: Mos Graecorum Imperatorum fuit Ecclesias pro arbitrio disponendi, quod fecit Protorex; ergo initia Religionis et Ecclesiae Hungaricae Graecis debentur (l. c. p. 60—67). — Cum tamen, haec ecclesiastica etiam disponendi facultas (unde? et qualiter? hic quaerere nolumus) Latinis aequae Principibus ex aequo fuerit communis: ut ea, quae in Codicibus Theodosiano et Justiniano reperiuntur, praeterea, in Capitularibus Regum et Imperatorum Francorum Ecclesiastica, maximi momenti, tractata occurrunt plurima: In Capitulari Caroli M. anni 779. cap. I. ita habetur: De Metropolitanis: ut eorum suffraganei episcopi, secundum canones, subiecti sint; et ea, quae ad illorum ministeria emendanda cognoscunt, libenti animo emendent, atque corrigant. Cap. II. De Episcopatibus: ubi praesentes ordinati non sunt episcopi, sine tarditate ordinentur.“ Cap. LIV. „Ut Presbiter, qui sanctum Chrisma dederit ad iudicium subuertendum, postquam de gradu expulsus fuerit, manum amittat.“ Cap. LXII: Ut nemo alterius clericum sine commendatitiis aut dimissoriis literis recipere praesumat. Cap. XCV. Ut decimae populi in quatuor partes diuidantur: Prima pars Episcopis detur; alia clericis; tertia pauperibus; quarta in fabricam ipsius ecclesiae conuertatur.—Carolus M. Ecclesiam Iuuaniensem Metropolitanam instituisse, dioecesim eius assignasse; iam diximus. Confer Dipl. num. I. II. Otto I. Imperator Misnensem Episcopatum ita constituit: Ecclesiam inquit, in Misna ciuitate collocari et construi praecipimus; ubi etiam rogatu et consilio uniuersorum Principum nostrorum — sedem episcopalem fieri decreuimus. Cui quidem — nomine Burchardum — gloriose praefecimus. Huic etiam Episcopatu more antiquorum Imperatorum et Regum Imperiali potestate, terminum posuimus — Uniuersa dubietate procul remota, pleniter persoluant, referant, et reddant decimationes, quas Deo, cuncta gubernanti, debent.“ Triennio post id ipsum Joannes Papa XIII. suis confirmauit literis: „More antiquorum Imperatorum hi duo Imperatores, pater et filius, nobis assidentes, Mian

Petri limina quaerentium condidit.“ Consonat Pelbartus l. c. „Romae sub titulo B. Stephani Protomartyris Hospitalē construxit Hungaris, limina Apostolorum visitantibus; ubi XII. Canonicos instituit cum victualium abundantia.“ Hanc norunt, etiam exteri: Vetus MS. Mellicense: apud Stiltingum p. 535. „Et quosdam familiarium Romam adire delegit, commendans facultates multas nimis, ut ibi in honore protemartyris Stephani ecclesia fundari deberet. Quod et ita factum est. Post haec diuisit, alia quibus acquirerentur domus, villae, possessiones et caetera, talia, quae ad sumtus ministrorum Ecclesiae pertinent.“ Theodorus item Amydeus de pietate Rom. P. I. cap. 2. „Sanctus Stephanus — hospitalia subditis suis — regali munificentia aedificauit: Romae quidem in ipso Vaticano prope Basilicam S. Petri, cui inscriptio: Ecclesia Hospitalis Sancti Stephani regis Ungarorum.“ Eius vicissitudines subsequas dabit Inchoffer, qui Romae scripsit, hasque foundationes inquisiuit Annal. eccles. ad an. 1007.

§. 206. Similem foundationem posuisse Protoregem nostrum Constantinopoli testatur idem Thurotzii Chronicon l. c. „Ipsam quoque regiam urbem Constantinopolim beneficiorum munere non priuauit, quam ecclesiam, mirifici operis, cum necessariis omnibus suis donauit.“ „Constantinopoli quoque magnam Ecclesiam erexit.“ Idem Pelbartus l. c. Theodorus Amydenus l. c. „In singulis ciuitatibus (Romae, Constantinopoli, et Hierosolymis) hospitalia subditis suis, qui ea loca visitarent, regali munificentia aedificauit.“

§. 207. Sed Hierosolymis quoque munificentiae suae fructus exporrexit. Occasionem prompsit Rudolphus Glaber contemporaneus, dicens: „Eo quoque tempore, idest anno nono post millesimum Christi, Ecclesia, quae apud Hierosolymam sepul-

si Episcopatus terminum imposuerunt, nominando fines et determinationes locorum“ Script. rerum Lusatic. Tomo I. ad an. 948. Otto III. Imp. venerandas S. Adalberti reliquias inuisens, Gnesnam, Urbem Poloniae, ante Posnaniensi Dioecesi comprehensam, in Metropolim erexit; Gaudentium, fratrem S. Adalberti, eidem praefecit, ac Colbergensem, Cracouiensem et Vratislaviensem Episcopatus ei subordinauit: Stephano autem, ut in regno suo Cathedras Episcopales faceret, auctor fuit, ut testificatur Ditmarus saepiuscule laudatus L. IV. p. 357. et 360. — An non sunt hae totidem de Ecclesiis dispositiones? An ideo horum omnium initia religionis ac Ecclesiae a Graecis repetenda? — Si religionis et Ecclesiae Hungaricae initia a Graeca repetenda: cum hic Imperatores etiam Patriarchas iure nescio, quo destituant, cur hoc Rex noster Apostolicus cauit manifeste dicens: „Si accidente casu, culpa reprehensione digna, super aliquem Episcoporum ceciderit, quod absit, corripe eum ter, quater inter te et ipsum solum, iuxta praeceptum Euangelii. Si tunc secrete renuerit, adire monita; adhibenda sibi sunt publica, secundum haec: Si te non audierit, dic Ecclesiae: Nam si tu hunc ordinem seruabis, gloriosam tuam penitus exaltabis coronam. Dec. Lib. I. cap. III. — Denique: si Schwartzius Syluestrinus abnuit literas, cur non respexit Stephaneas, Abbatias S. Benedicti, S. Adriani, et S. Mauritii, quibus iteratim protestatur, se auctoritate, a sede Apostolica obtenta, ordinasse Ecclesias, dispensasse praerogatiuas, concessisse priuilegia? habemus igitur ipsum Protoregem confutantem Schwartzii assertum, dicentis: Stephanum suo consilio, suaque propria auctoritate Archiepiscopum, Episcopatus, Abbatias, aliasque Praelaturas condidisse, et quibus visum ipsi est, immunitatibus donasse.“

chrum continebat Domini ac Saluatoris nostri, euersa est funditus, iussu Principis Aegypti ac Syriae. Cuius videlicet occasio euersionis, tale, quod dicturi sumus, cognoscitur exordium habuisse: Judaei, qui Galliam incoluerant, monuerunt Palaestinae Principem: quoniam, nisi celerius domum christianorum venerabilem subuerteret, sciret se, in proximum Christianis regnum illius occupantibus, omni penitus dignitate carere. His vero princeps auditis, protinus furore correptus, misit Hierosolymam de suis, qui praedictum funditus subuerterent templum, qui venientes, fecerunt, ut eis fuerat imperatum. Ipsum quoque concavum sepulchri tumulum ferri tuditibus tentantes quassare, minime valuerunt. Tunc etiam beati martyris Georgii Ecclesiam in Ramulo pariter subuerterunt.“ — Hagemus idem antequam interfectus esset, anno 1015, teste Elmacino (Hist. Sarac. L. II. cap. 6.) eorum, quae patrauerat, poenitudine ductus, edidit literas imperiales, quibus non modo dirutas Ecclesias instaurare permisit, sed etiam restitui iubebat ligna, lapides, columnas et omnia tandem, quae ablata inde fuerant. Hoc Hakemi edictum occasionem praebuit etiam Stephano regi charitatem ac liberalitatem Ecclesiae Hierosolymitanae exhibendi.

§. 208. Idem, qui Protoregis nostri in fundandis Romae, ac Constantinopoli hospitii magnificentiam perhibuerant, adnectunt etiam Hierosolymas: Ita MSS. Melicense de Hierosolymitana S. Stephani fundatione ita continuat sententiam: „Jerosolymis etiam, in monasterio, quod construxerat, monialium conversionem destinavit, quibus simili dispositione necessaria praeparavit.“ Hartvic. p. 140., Construxit etiam in ipsa conuersionis Christi secundum humanitatem Hierusalem, monachorum coenobium, quod praediis ditavit et vineis, ad victum quotidianum copiam ministrantibus.“ Sententiam eorum ita explicauit Inchofferus ad an. 1010. „In his non postremus Stephanus non solum munera sacro templo misit, verum augendae fidelium religioni studens, quod superiori anno deliberabat, effectui mandauit. Itaque spectabile monachorum coenobium, addita Ecclesia, magnifico sumtu ibi fundauit. Ecclesia S. Georgii martyri sacra est, siue ut euersam a Saracenis eiusdem martyris in Ramulo memoriam renouaret, siue ut eandem Ecclesiam pristino splendori restitueret. Additae praeterea domus et hospitia peregrinis Hungaricae nationis, quorum cura penes dictos monachos erat, qui Carmelitani an Basiliani fuerint, in medio est.“ Vicissitudo, quae illam deinceps mansit, ad dicenda pertinet.

§. 209. Sicut Stephanus Rex Constantinopoli Hungaris Jerosolymam peregrinaturis, ita etiam Rauennae, Romam profecturis, hospitium construxit; testem habemus Rubenum, qui et fundationem et huius causam promit in Historia Rauennae Lib. V. p. 260. „In agro Rauennati, circa haec tempora D. Petri ad vincula templum ac domus a D. Stephano Ungarorum rege, exstruitur; consecratur a Gerardo Morisiensi Episcopo, ac paulo post Martyre. Adiecit Rex Sanctus vectigal, quo non solum monachi ibidem ab se constituti, alerentur, sed suppeditaretur etiam victus Ungaris omnibus, Religionis causa Romam proficiscentibus. — Magnus enim erat numerus Ungarorum, qui quotannis Romam ad limina Apostolorum visenda, osculandaque veniebant.“

§. 210. Libertatem, dotemque huius foundationis ipsae literae apud eundem ~~in territorio~~ ~~productae~~, perhibent: „Stephanus, Dei gratia, Ungariae Rex, venerabilibus viris, abbatibus et conuentui monasterii sancti Petri ad vincula, quod in territorio Rauennae situm est, et eorum successoribus in perpetuum. Quoniam illo Domino nos illuminante, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, praefatum monasterium vestrum, per adiutorium nostrum, ad consilium Gerardi, venerabilis episcopi Ecclesiae Morisanae, fidelis nostri, una cum nobili viro Romano, Duce Rauennae, construi fecimus, et per praedicti Gerardi manus proprias, ac auctoritate Romanae Ecclesiae, consecrari; idcirco nos decet illud regali munificentia honorare ac vobis, vestrisque posteris providere, quod ideo in ipso monasterio seruire possitis, peregrinos Ungaros, ac nuncios nostros caritatiue valeatis tractare. Quapropter proprio motu et liberalitate regali, vobis vestrisque successoribus in perpetuum concedimus ac donamus pro anima nostra et parentum nostrorum tam antecedentium quam subsequentium ut Deus et beatus Petrus, apostolus Domini, ab omni vinculo delictorum nos soluat, viginti quinque marchas auri, argenti, de camera nostra, quas per vos, vel nuncium vestrum, recipere debeatis, propter competentes expensas, quae vobis aut nuncio vestro, de eadem regali camera nostra, pro huiusmodi itinere faciendo, cum praedictis viginti quinque, semper annuatim dabuntur, pro hoc anno eleemosyna nostra, quam vobis facimus, et in perpetuum fieri volumus, ecclesiam reparare curetis, quum fuerit necesse, residuum sit pro indumentis vestris. Et nos ac successores nostri vestris semper erunt orationibus commendati. Hoc quoque auctoritate regali statuimus, et firmiter praecipimus, atque pronunciamus, quod nec nos aliquatenus contra praedicta veniamus, nec successores nostri, et nullus aut Camerarius, siue Consiliarius concedere hoc sit ausus,“ Vide in Codice.

§. 211. Ad foundationum harum meritum aestimandum, finis Regis Apostolici ultimus pensandus nobis est: hunc, fuisse Christum, aperuit nobis Biographus illius his verbis: „Deinde seruus Dei, quae tunc acquirere poterat omnia Christo, quae ex ipsius dono fluxerant, conferre studuit; ut qui eum gloria et honore mundi praesentis dignum facerat, coelestis patriae ciuibus clementer associare dignaretur.“ Idem professus ipse quoque fuit identidem literis suis foundationalibus: „Credimus et vere scimus, si locis diuino cultui mancipatis, potestates atque honores adaugmentauerimus, id non solum laude humana praedicandum, verum diuina etiam mercede remunerandum. Dipl. anni 1001. etc. Finem vero proximum respexit semper Hungarorum suorum non salutem modo aeternam, sed et aequi huius necessitates: „In capite mundi Romae duodecim Canonicorum congregationem cunctis pertinentiis abundantem statuit, cum domibus et Hospitiis Hungarorum, orationis causa limina B. Petri Principis Apostolorum, quaerentium“ Hartuicus. De foundatione vero Constantinopolitana non dubitauit asseuerare Inchofferus Hist. Eccl. R. H. ad an. 1007. „In ea porro Ecclesia, principi Apostolorum sacra, natio Hungara, ritu latino ministrabat, certo sacerdotum et clericorum numero definito; quem ad regis nutum supplebant alii, quoties alii aut

mori, aut in patriam reuerti contigisset. Fuit quidem ea in re praecipuus Stephani scopus, diuini cultus propagatio; sed etiam auebat suos, Graecis literis eruditos, Hungariam illustrare, non secus ac latinis eos, qui Romae operam dabant. Ex quibus quam multi illustres viri euaserint, peculiari loco tractandum erit, ut Hungaris suos vindicemus ciues, qui quorundam gloriantium arte, ad alienos abstracti sunt.“ — En Stephani in suos Hungaros pietatem!

§. 212. Quaerendum non minus: quibus, aut cui addixerit Rex Apostolicus amplissimas, quas fecerat, donationes. Veritate compulsi ausimus ducere: non Episcopis, non Praepositis, nec Abbatibus, sed Ecclesiis: „Conuenit, ait Rex Apostolicus, ut animi cultum ad supernas anhelantes deuotiones, sanctarum Ecclesiarum postulationibus acclinemus, ipsasque praediis atque possessionibus subleuando, procurare satagamus: Proinde omnium sanctae Dei Ecclesiae fidelium nostrorum praesentium et futurorum nouerit industria; quod nos pro animae nostrae remedio, quatuor ciuitates — — donamus atque largimur, e regali nutu, atque donatione praelibatae S. Ecclesiae Wesprimiensi.“ A. 1009. „Stephanus, ait Chronicon Thurotzi P. II. cap. XXX. Albensem Basilicam, quam ipse fundauerat, aureis altaribus etc. ditauit; vasa quoque ministratoria et cetera utensilia, eidem Basilicae necessaria, nec non aliis Ecclesiis Dei, regali donauit largitate.“ „Votum voui, inquit Stephanus, Sancto Martino, quod si victor existerem, Comitatus Simigh. decimationem de omnibus negotiis, praediis etc. eius monasterio subiungarem.“ A. 1000. Item: Ne monasticae religionis contemplatio aliqua temporum necessitate compressa mutaretur in laeuam, monasterium S. Benedicti ex donatiuis nostris, consensu et confirmatione sedis Apostolicae, dotauimus terris, siluis, vineis, villis, populis tam liberis quam seruis.“ Anno 1015. Vsus fructus proin donationum regiarum e primaeva sui destinatione pertinebant 1.) ad necessitates ipsius Ecclesiae. 2.) Praesulum, idest Episcopi, Praepositi vel Abbatis. 3.) Eorum Capituli seu Canonicorum, Presbiterorum et Scholasticorum tegendas: quin omnium. Dioecesanarum Ecclesiarum quadam tenus necessitates in eisdem fundatas fuisse patet e decreti II. a Protorege editi art. XXXIV. „Ecclesiis dioecesanis Episcopi Presbiterum ac libros provideant.“ — Monasterii religiosi e destinatione regis Apostolici praeterea misericordiae opera incubuisse, haec Hartuici verba produunt: „Astricus Abbas cum suis honorifice susceptus, ad radicem montis ferrei coenobium sub titulo Sancti Patris Benedicti construxit, — temporalium sustentatione copiarum e donatiua sancti Ducis superabundans, non est alicuius egens, nisi ut suos et aliorum pedes secundum Euangelium, quotidianis precibus et lacrimis lauet.“ l. c. pag. 128 — 129.

§. 213. Superat quaestio maximi momenti: has amplissimas fundationes Episcopatum, ecclesiarum Cathedralium, Praepositorialium, Abbatialium, domi forisque, Rex Apostolicus propriis ne regis, an Status bonis fecerit? — Animaduertendum praeprimis est, Duces Hungariae terris occupatis non omnes earum partes, compactorum articulo II. inter suos, ac milites aduenas, dispertitos fuisse,

castra, villasque cum aliis adpertenentiis suis reservasse iuribus; Stephano Proto-regi res fuisse proprias, regalia, et res fisci dictas, art. Decreti II. sextus satis indicat: „Volumus quidem, ut sicut caeteris facultatem dedimus dominandi suarum rerum; ita etiam res, milites, serui, et quidquid ad nostram regalem dignitatem pertinet, permanere immobile, et a nemine quid inde rapiatur.“ En ius et bona, ex quibus Ecclesias a se fundatas dotare potuit; dotavitque teste Hartuico dicente p. 136. „Ipse vero Rex episcopia nuper incepta, tam videlicet archiepiscopalem, quam omnes episcopales ecclesias, amplissimam singulis assignans dioecesim, et unicuique semper praeficiens idoneum pastorem; simul et abbatias praediis, curiis, et familiis et redditibus regaliter disposuit.“ Sed audiamus etiam Eusebium Verinum, a sacris Catholicis alienum, Comment. Jurid. pag. 38: „Quomodo tantos episcopatus condere, ac tanta bona, redditusque titulo dotis eis dare potuerit? Nullus, quantum ex Historia mihi constat, Regum, intra tam breue tempus, tam magnificus erasit fundator Ecclesiarum. Immortale nomen sibi Carolus M. apud Germanos comparauerat, quod multos condiderit Episcopatus, redditusque amplios eis procurauerit. At poterat id facile facere; constat enim multos eum sub iugum suum misisse populos. Solebat partem bonorum, devictis hostibus ereptorum, in condendos episcopatus convertere. De Sancto Stephano haec dici nequeunt: nullum enim principem exterum provincia depulit; ex annalibus Hungaricis id tantum constat, eos duos rebelles vajrodas seu comites (Cupam et Gyulam) devicisse, eosque bonis, quae possidebant, priuasse. Non negauerim, eum fundos plurimos, quos a devictis rebellibus recepit, per donationem dedisse episcopis. At unde reliquis episcopatibus assignavit dotem? Forte Equestris ordinis viros bonis aliquibus spoliavit, eaque in episcopales convertit fundos? Vel forte Proceres et nobiles eo perduxit, ut sponte partem bonorum venerabili clero cederent? Oleum et operam perdas, si quidquam de his, antiquis in monumentis, quaesiveris. Proinde concedas necesse est; primos episcopos bona, fundos, prouentus suos ex incomparabili sancti regis accepisse liberalitate. Consentanea his in legibus Hungaricis deprehendes.“ Verbötzius etiam, quum causas recenset, cur pontifices in collationibus beneficiorum ecclesiasticorum, praeter confirmationis auctoritatem, in Hungaria nihil iuris habeant, ita primam exprimit: „Quia reges Hungariae, quum soli fuerint omnium ecclesiarum, et episcopatum, abbatiarumque ac praepositarum in hoc regno fundatores; per eiusmodi foundationem, omnem facultatem iurispatronatus, nominationis, electionis et collationis beneficium, sibi ipsis acquisiuerunt.“ P. I. tit. XI. §. 1. Ecclesiam etiam Albensem ex Keani, Chanadiensem ex Achtum, Ducum rebellium thesauris erectas esse, vidimus; Ecclesiam et Hospitia Rauennatensia ex Camera regis Stephani, non ex regni aerario, prouisa non minus: Bona proin haec tam parum quaeunt statui attribui, quam illa, quae Geysa Dux Deodato comiti, suo compatri, contulerat.

II. Status internus religionis et Ecclesiae nouellae Hungaricae.

§. 214. Felices ita sumus nos Hungari, quod ipsum symbolum, quod Primores nostri religionem Christi amplexi, sunt professi noscamus; illud Piligrinus

gentis nostrae Apostolus, ad Benedictum VII. Papam ita perscripsit: „Confiteor et credo sanctam et ineffabilem Trinitatem, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum naturaliter esse. Unius substantiae, unius naturae; unius maiestatis et veritatis; et Patrem quidem non genitum, non factum, sed ingenitum profiteor; fons ergo et origo ipse est totius Trinitatis. Pater namque ineffabili substantia filium genuit, nec tamen aliud, quam quod ipse est genuit. Deus Deum; lux lucem; filium quoque de substantia Patris sine initio, natum ante secula; nec tamen factum, fateor. Igitur non sicut filius a Patre, ita Pater a filio est; quia non Pater a Filio, sed Filius a Patre generationem accepit; Filius ergo Deus, de Patre Pater autem Deus, sed Deus non de Filio; si enim Pater fuit, semper habuit filium; cuius Pater esset Deus, et ob hoc Filium de Patre natum sine initio confiteor. Spiritum etiam Sanctum, qui est tertia in Trinitate persona, unum atque aequalem cum Deo Patre ac Filio credo esse Deum; unius substantiae, unius quoque naturae nec tamen genitum, vel creatum, sed a Patre Filioque procedentem, amborum esse Spiritum. Nec enim procedit ad sanctificandam creaturam, sed ab utriusque procedere monstratur; quia charitas sanctitas amborum esse cognoscitur; et nec Patris tantum, nec Filii tantum, sed similiter Patris et Filii Spiritus Dei. In relatiuis vero Personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus ad utrosque refertur. Quae cum relatiue tres personae dicantur, unâ tamen natura, vel substantia praedico; sed unam substantiam, tres autem personas. Quod enim Pater est, non ad alium, sed ad Filium; et quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est; similiter Spiritus S. non ad se, sed ad Patrem et Filium relatiue refertur in eo, quod Spiritus Patris et Filii praedicatur. In hac ergo S. Trinitate tres Personas, unum Deum confiteor, Ergo non ipsum, qui Pater est, dico etiam Filium, vel Spiritum S., nec ipsum Filium Patrem, aut Spiritum S. profiteor, vel eum, qui est Spiritus S. Patrem, vel Filium dicere valeo, sed quod Pater est, hoc Filium esse, hoc esse Spiritum S. sine ambiguitate pronuncio. Personas enim distinguo, non naturam Deitatis separo. Tres ergo illas unius atque inseparabilis naturae personas, sicut non confundo, ita separabiles nullatenus praedico. Cum nulla ante aliam, nulla post aliam, nulla sine alia, vel exstitisse, vel quidpiam operasse aliquando credatur; inseparabiles enim inueniuntur, in eoque sunt, et in eoque faciunt. Habet enim Pater aeternitatem, sine natiuitate, Filius aeternitatem cum natiuitate, Spiritus vero Sanctus aeternitatem processionis a Patre et Filio sine natiuitate. De his ergo tribus Personis sola Filii persona hominem verum sine peccato, pro liberatione generis humani, ex Maria Virgine, nouo ordine, nouaque natiuitate, sumsit: nouo ordine, quia inuisibilis in diuinitate, visibilis in carne; noua autem natiuitate est genitus, quia incorrupta virginitas et virilem coitum nesciuit, et foecunditate per Spiritum S. carnis materiam ministravit. Dei enim Filius non personam hominis accepit, sed naturam; naturam enim nostram in unitatem suae Personae assumpsit; et idcirco Filius Dei et Filius hominis, unus est Christus. In eo enim, quod Filius est Dei, aequalis est Patri, et in eo, quod filius est hominis, minor est Patre. Qui etiam ex quo homo est, pro delictis nostris, passionem

sustinuit, mortique addictus et cruci veram carnis mortem accepit. Tertia quoque die, virtute propria suscitatus de sepulchro. Hoc ergo exemplo capitis nostri in hac carne, qua nunc sum, et moueor, resurrecturum me credo. Idem autem Dominus et Saluator noster, peracto resurrectionis suae triumpho, paternam sedem repetiit, a qua per diuinitatem nunquam recessit. Inde in finem seculorum venturus iudicabit viuos et mortuos, reddetque singulis, prout gessit quisque in corpore siue bonum siue malum. Ecclesiam sane Catholicam, pretio sui sanguinis redemptam, cum eo credo semper regnaturam. Credo et confiteor unum baptisma, in remissionem peccatorum. Hanc ergo fidem professionis meae inuiolatam me retinere, et ab ea nunquam deuiare promitto.“ V. in Codice ad annum 974. — Haec Protorex Apostolicus paucis ita expressit: Fides Catholica, de qua loquor, haec est: ut Patrem, Deum omnipotentem, factorem totius creaturae, et unigenitum eius Filium, Dominum nostrum Jesum Christum de Maria Virgine, angelo nunciante natum, et pro totius mundi salute, in crucis patibulo passum, et Sanctum Spiritum, qui per Prophetas, Apostolos et Euangelistas loquutus est, unam Deitatem perfectam, indissolubilem, incontaminatam esse firmiter credas, et sine ambiguitate teneas.“ *Decreti I. cap. I.*

§. 215. Dogmatum, quibus Catholici a Protestantibus ac Reformatis discernuntur, prima fundamentalisque a neo conuersis Hungaris credita, fidei et Ecclesiae Catholicae, bonorumque operum, ad salutem necessitas est: Rex Apostolicus ibid. ita praecipit: Sanctae catholicae fidei in nostris mandatis primum damus locum. Inprimis praecipio, consulo, suadeo, filii charissime, ut fidem catholicam et apostolicam tali diligentia et custodia conserues, ut omnibus tibi a Deo subiectis exemplum praebeas. — Qui enim false credunt, vel fidem in bonis non implent et ornant operibus (quia fides sine operibus morua est) nec hic honeste regnant, nec in aeterno regno vel corona participant. — Haec est fides catholica, quam sicut Athanasius dicit: nisi quis fideliter, firmiterque crediderit; saluus esse non poterit. Si aliquando infra tuam inueniantur potentiam, quod absit, qui hanc collationem Sanctae Trinitatis diuidere, vel minuere, seu augere conabuntur; hos ipsos scias esse haeresiarchae seruos, et non sanctae Ecclesiae filios. Tales vero nec nutrias, nec defendas, ne tu etiam videaris amicus et fautor.“

Secunda: Fidei Catholicae custodia et potestatis Ecclesiasticae centrum in Petro, Apostolorum Principe, huiusque successoribus fundata: „Scitis enim, ita scripsit Leo VII. Papa ad Christianos Pannoniae, quod ab ipso Domino, Beato Petro, Principi Apostolorum, eiusque vicariis, omnium Ecclesiarum cura commissa est, veritatis voce dicente: Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam; cui etiam proprias oues commendauit dicens: Si diligis me, pasce oues meas. Et idcirco pro uniuersis Ecclesiis sollicitudinem gerimus, et veluti in specula positi, quod per totius orbis prouincias geratur, vigili cura insistimus.“ Vide in Cod. ad an. 937. Ita etiam Benedictus VII. Papa literis quibus Hungarorum conuersionem annunciat: „Religiosi consacerdotes

passim ab omni mundi termino tenorem et regulam, atque proprii officii vigorem ab hac uniuersali sancta Romana Ecclesia eiusque sortiuntur ministro, vicario scilicet beati Petri, Principis Apostolorum; cuius, quamuis indigni, eius tamen gratia et dono, potestati successimus et ordini, cui voce dominica dicitur: Tu es Petrus, et super hanc Petrum aedificabo ecclesiam meam.“ V. in Codice ad annum 975. Hinc Romanae Ecclesiae Primatum sic profitetur Rex Apostolicus: „Post fidem Ecclesia secundum tenet locum a capite nostro, scilicet Christo seminata, deinde per eius membra, utique apostolos, sanctosque Patres transplantata, et firmiter aedificata, atque per totum orbem diffusa. Haec autem fili charissime, in nostra monarchia, adhuc quasi iuuenis et nouella praedicatur; atque idcirco cautioribus et euidentioribus eget custodibus, ne bonum quod diuina clementia per suam immensam misericordiam nobis concessit immeritis, per tuam desidiam et pigritiam atque negligentiam destruat et annihilatur. Nam qui minuit aut foedat sanctae Ecclesiae dignitatem ille Christi corpus mutilare nititur: Ipse enim Dominus dixit Petro: Tu es Petrus, et super hanc Petrum aedificabo Ecclesiam meam. — Si quis infelix huius sanctae Ecclesiae membra, vel paruulos scandalisat, dignus est, ut deiciatur de potestatis dignitate, et maneat extra ecclesiam iustorum in illa mundiali miseria, sicut ethnicus et publicanus.“ Dec. I. cap. II.

Tertia: Hierarchiae sacrae obseruantia: Biographus Protorem Stephanum non solum Romanum Pontificem, Ecclesiae caput, et unionis centrum agnouisse, sed etiam Episcopos, et Metropolitam constituisse, cum magisterio ac potestate, perhibet: „Quarto post obitum Patris anno, Astricum, Colocensem Praesulem, ad limina sanctorum Apostolorum misit, ut a successore sancti Petri, Principis Apostolorum postulare, ut Strigoniensem Ecclesiam in metropolim suae subscriptionis auctoritate sanciret, et reliquos episcopatus sua benedictione muniret.“ l. c. p. 130. Episcoporum dignitatem sacram agnouit etiam Rex Apostolicus statuens: „In regali dignitate tertium possident locum Pontifices. Carissime fili, seniores illos ita custodias, sicut oculorum pupillas. — Illorum precatio commendabit te omnipotenti Deo. Illos enim Deus humani generis constituit custodes, fecitque speculatores animarum, ac totius ecclesiasticae dignitatis ac diuini sacramenti dispensatores, et datores. Per illorum, interuentum delicta delentur hominum. — In manus enim illorum posita est potestas ligandi nos in peccatis, et absoluendi a peccatis. Testimonium enim sempiternum statuit illis Deus, eosque segregauit ab hominibus et sui nominis atque sanctitatis fecit participes.“ Decr. I. cap. III.

§. 216. Usus Synodorum. Catholicae Ecclesiae proprium fuerat a principio congregationes generales, aut particulares, ut rei momentum exigebat, cogere dupplici causa: ut quid a Christo reuelatum, et ab Apostolis uniuerso orbi annunciatum fuerat, e confessione Doctorum et Pastorum, diuinitus constitutorum, e locis omnibus, quantum licuit unanimi euidenter constaret; quod enim omnium locorum, ac temporum confessione vigeat, non poterat non a Christo et Apostolis repeti. Nouella Hungariae Ecclesia hunc in censum suam sententiam contu-

lit in generali quidem, aut quasi generali, Francofordiensi: In hac cultus imaginum licitus ac pius iterato examine statutus, et Bambergensis Episcopatus fundatio, a Henrico II. Imperatore facta, approbata fuerat; cui Anastasius, alias Astricus, ita legitur subscriptus: „Anastasius, Ungrorum Archiepiscopus, interfui, et subscripsi“ Coll. concil. Harduini ad an. Christi 1006. — Celebratae fuerant etiam domi nostrae Synodi prouinciales, quibus constituti sunt, vel potius adoptati diuersi canones capitulares Carolini, quos anonymus compilator, cum decretis consilii regis Stephani, non satis accurate in unum coegit; quaeue collectio sub nomine Libri secundi decretorum S. Regis Stephani in corpore Juris Patrii habetur. In hac recapitulatione plures leguntur canones e capitularibus Regum Francorum de verbo ad verbum adoptati: Confer Battyanium de Legibus Ecclesiae Hungaricae Tomo I, cap. V.

§. 217. Septem nouae legis Sacramenta a primitiua Ecclesia Hungarica credita, administrata quodque fuisse, sufficientibus indiciis probantur: 1) Baptismus fide imbutis collatus: „Tantum diuina gratia fructum statim ministravit, ut ex eisdem nobilioribus Hungaris utriusque sexus catholica fide imbutos, atque sacro lauacro ablutos, circiter quinque millia Christo luerarentur.“ Piligrinus epist. an. 974. 2) Confirmationis indicium faciunt haec Hartuici verba: „Hunc Deo dilectus Adalbertus Episcopus chrismati baptismate secundum credulitatis suae veritatem intinxit. Nomen sibi impositum est Stephanus.“ l. c. p. 122. Ut mihi videtur, cum Baptismo fuit una etiam confirmatus; qua occasione sortitus nomen alterum Vaic, seu Voitec, S. Adalberto proprium. 3) Eucharistiae Sacramentum: Maiores nostri sui temporis fidem catholicam receperunt utique a Praedicatoribus parte maxima Germanis: hac tempestate Leutericus Senonensis Episcopus realem corporis ac sanguinis in Eucharistia praesentiam in quaestionem vocare praesumpsit; ast contra hanc innouationem conelamatum protinus, fuerat undique; Fulbertus Carnotensis Episcopus, ac Doctor errorem impetit continuo: „Christus reliquit, inquit, non inanis mysterii symbolum, sed compaginante Spiritu S. Corpus suum verum,“ ait item „terrenam materiam in Christi substantiam commutari.“ Item: „Exterius quidem panis, quod ante fuerat, forma ostenditur; sapor accipitur; at interius Christi corpus ostenditur.“ Epist. de Eucharist. Tomo XI. Biblioth. Patrum pag. 4. Item: Gerardus Episcopus in concilio Camera. „Videtur namque panis materialis, sed verissime efficitur corpus Christi, et sanguis verus ac proprius efficitur, quamuis aliud esse videatur. Videtur namque panis materialis, sed verissime efficitur corpus Christi.“ Ad annum 1025. Tomo XIII. Spicil. Dacheri. — 4) Poenitentiae Sacramentum; „In manus illorum (Sacerdotum) posita est potestas ligandi nos in peccatis, et a peccatis soluendi. Decr. Lib. I. Cap. III. 5) Ordinis Sacramentum: „Testamentum sempiternum statuit illis Deus, eosque segregauit ab hominibus, et sui nominis atque sanctitatis fecit participes. — Nolite tangere Christos meos — sacri ordinis viros etc. 6) Extrema Unctio: „Rex dilectus in medio iacens, accepta unctione spirituali Sacramenti, sanctam animam, corporis

et sanguinis Domini nostri Jesu Christi viatico recreatam — — aeternae quietis beatitudini tradidit.“ Hartuicus l. c. p. 161. 7) **Matrimonii Sacramentum:** „Ad consortium vero, praecipue causa sobolis procreandae, sororem Romanae dignitatis augusti, videlicet Henrici, qui ob mansuetudinem morum pius est appellatus, Gislam nomine, sibi in matrimonio sociauit; quam unctione Chrysmati perunctam, gestantem coronam regni sociam esse constituit.“ Hartuic. l. c. p. 135. „Ut genus utriusque sexus certa lege et absque iniuriis maneat, et vigeat; et in hoc regali decreto statutum est: ut si quis, proteruitate praeditus, propter abominationem uxoris, patriam effugerit; uxor cuncta, quae in potestate mariti habebantur, possideat, dum velit exspectare virum virum; et nemo in aliud coniugium eam cogere praesumat. Sed si sponte nubere velit, liceat sumtis congruis vestimentis, et dimissis ceteris bonis, ad connubium ire. Et si vir, hoc audito, redierit; ne liceat ei aliam ducere propter suam culpam, nisi cum licentia episcopi.“ Dec. Lib. II. cap. XXVI. — **Sacramenta in genere:** „Illos (sacerdotes) Deus humani generis constituit custodes; animarum ac totius ecclesiasticae dignitatis, ac diuini Sacramenti dispensatores et datores.“ Decr. I. Cap. III.

§. 248. Ita aliis discretiuis fidei catholicae articulis catholice creditum fuit: 1). Illos, qui vita hac cum morali perfectione incompleta aut piaculi cuiusdam haud immunes, decesserunt, piis precibus nostris per modum suffragii, subleuari posse: „Concedimus et donamus pro anima nostra, et parentum nostrorum, ut Deus et beatus Petrus, Apostolus Domini ab omni vinculo delictorum nos soluat, viginti quinque marcas.“ Literis anni 1037. In valle Besprem constabiliuit monasterium pro spirituali salute sua, coniugis et prolium suarum, et patriae totius anno 1025. Haec non facturus Rex Apostolicus, si status non esset, in quo detentis, precibus fidelium suffragari licitum, piumque foret. 2). Cultus et inuocatio Sanctorum licitus, pius ac salutaris: „Erat Rex Stephanus fidelis in omnibus actibus suis, Deo perfecte deditus, per votum et oblationem, semet ipsum, cum regno suo, sub tutela perpetuae Virginis, Dei genetricis Mariae, precibus assiduis conferens; cuius gloria et honor tam celebris inter hungaros habetur, quod etiam festiuitas Assumptionis eiusdem Virginis, sine additamento proprii nominis, ipsorum lingua, dies Dominae (Nagy-Asszony nap) vocitetur. Et ut maiorem defensionis misericordiam consequeretur, in ipsa regalis civitatis sede, quae dicitur Alba, sub laude et titulo eiusdem virginis perpetuae, famosam et grandem basilicam construere coepit.“ Hartuic. l. c. p. 138—9. „In illo loco, qui Beel dicitur, in silua Bacon, quia diuino cultui videbatur mancipari, valde idoneus, sub titulo S. Mauritii monasterium incepit construere, quod et per Dei auxilium consummauit.“ Anno 1037. Maiorem Ecclesiam Strigonii in honorem Adalberti instituit: Albericus Monachus l. l. Stephanus Protorex haud fuisset fidelis in omnibus actibus, si sanctos colere, et inuocare licitum pium, salutareque haud foret. 3). Reliquias Sanctorum inuisere, venerari licitum, piumque: „Stephanus Rex Apostolicus, ait Ranzanus, agens aetatis annum tertium et tricesimum, urbem Romam

petiuit, ut beatorum Apostolorum Petri et Pauli, aliorumque Martyrum Christi, sacras reliquias viseret.“ Indice VIII. Sed habemus huius certius documentum: „Pius Dei famulus Colomannus, ait indiciorum Sanctitatis auctor ad an. 1012. ex Hibernia peregrinus adueniens, ut iret in Hierosolimam, Domini nostri Saluatoris sanguine rigatam, ignotus habitu et lingua, ab imprudenti plebe prouinciae Austriae pro exploratore Hungarorum, vel Bohemorum habitus, apud Stokerowe, post multa tormenta, cum duobus latronibus, suspensus est, XVI. Kal. Augusti. Sed latronibus putrescentibus, sanctus Dei famulus, viuenti similis, integer pendit. — Ita prodita per Deum viri sanctitate, sapere et poenitere coeperunt fatui homines; corpus deposuerunt, et iuxta Danubium sepeliuerunt cum laudibus in erecto sacello. — De palaestina rediens Poppo, Treuirensis Praesul, a Rege Stephano S. precibus fatigatus fuit, donec polliceretur, se supplicaturum fratri suo Hainrico Marchioni, ut sanctum Colomanni corpus regi cederet. Adfuerunt cum Poppone Legati Ungari, cum donis, apud Marchionem supplices, cui quum plurimum inuitus videretur, ausi sunt etiam minas addere. Qua importunitate motus Hainricus dolens tandem assensit, sed Deum cum fiducia orauit. Decore ergo et reuerenter sacrum corpus Ungariae infertur, et cum exultatione suscipitur; cuius suffragiis regnum illud omnem fortunam sperabat. Contra vero accidit. Exortae sunt calamitates variae, nec antea cessarunt, quam Stephanus Rex pius et sui praesules agnoscerent, nolle Deum, ut in Pannonia colatur Sanctus, qui apud Australes coronam meruit; maxime cum metu potius, quam dono illuc sit transmissus.“ Haec Rex Apostolicus facturus erat neququam, si Sanctorum reliquias habere, et honorare illicitum ac piaculum credidisset. 4). Sanctorum imagines habere ac honorare non absimiliter licitum piisque est: Corona certe Stephano submissa sacris imaginibus insignis est; uti eam Petrus C. de Réva descripsit: „Est, inquit, forma sacrae coronae, auro solido, artificio sculpturae magis coelesti quam humano, in orbem fusa; a cuius latiore circumferentia pariter pinnae florentes forma triangulari circum eminent; quatuor angulis rectis, absides se mutuo intersecantes, desinunt in crucem, in ipsa vero circumferentia, fronte recta, imago Saluatoris nostri, pomum tenentis; ex aduerso diuae matris Virginis; et deinde sacerrimus apostolorum ordo; regumque ac Imperatorum, Martyrumque christianorum, ut videre licet; literis graecis, cuiuslibet imaginis aureis vultibus, ac propriis trophaeis per corpus totum usque ad crucem summam mutuo consequuntur; interiectis cuilibet sacrae imagini gemmis ac unionibus candicantibus, smaragdo, atque item pretiosioribus lapidibus, saphyro, hiacintho, chrysolito, et rubino.“ Script. rer. Hung. tomo II. p. 467. An ergo Stephanus imagines habere, honorare, illicitum, piaculumque credit?!

§. 219. Item discretiuis poenitentiae operibus: *Ieiunio*: „Si quatuor temporum ieiunia, cunctis cognita, carnem manducans violauerit, per spatium unius hebdomadae inclusus ieiunet.“ Dec. II. cap. IX. „Si quis in sexta feria, ab omni christianitate obseruata, carnem manducauerit; per unam hebdomadam inclusus

ieiunet.“ Ibid. cap. X. Peregrinationibus ad loca gratiosa: Peregrinationes ab Hungaris, spiritu poenitentiae, ad limina Apostolorum, et Hierosolyman susceptas iam docuimus: eas apud Hungaros more catholico viguisse, plura etiam documenta euincunt: Peregrinorum talium meminit Ademarum apud Stiltin-gum p. 523. „Eo tempore Willelmus, Egolismensis comes, per Baioariam iter egit ad sepulchrum Domini. Comitati sunt eum Odo Bituricus, Princeps Dolensis, Riccardus, abbas Virdunensis; abbas S. Eparchii, Egolismensis, et princeps eius et consiliarius eius, Giraldu, Fanesmus; et Amalfredus, postea Abbas, et magna caterva nobilium. Stephanus Rex Ungariae, cum omni honore eos suscepit, et muneribus ditauit.“ Eiusdem Regis in hos peregrinantes pietatem etiam Hartuicus ita laudat: „Tantis igitur miserationibus et pietatis brauiis Christi pauperes, imo Christum ipsum, amplexatus est, quod nullus unquam hospes et peregrinus ab eo sine benignitatis alicuius solamine tristis abscessit.“ l. c. p. 174.

§. 220. Disciplina Ecclesiae Hungaricae catholica: „Si quis igitur presbiter vel comes, siue aliqua alia persona fidelis, die Dominica inuenerit quemcunque laborantem, abigat. Si vero cum bobus; tollatur ipsi bos, et ciuibus ad manducandum detur. Si autem cum equis, tollatur equus, quem dominus boue redimat, si velit, et idem bos manducetur, ut dictum est. Si quis aliis instrumentis, tollantur instrumenta et vestimenta, quae, si velit, cum cute redimat.“ Decretum II. cap. III. — „Si quis tam obstinatus est (quod absit) ut nolit sua facinora confiteri secundum suum presbiteri; hic sine omni diuino officio et eleemosynis iaceat; quemadmodum infidelis. Si autem parentes neglexerint vocare presbiteros, et ita subiaceat absque confessione morti, ditetur orationibus et consoletur eleemosynis; sed parentes luant negligentiam ieiuniis, secundum arbitrium presbiterorum. Qui vero subitanea periclitantur morte, cum omni ecclesiastico sepeliantur honore. Nam occulta et diuina iudicia nobis sunt incognita.“ Ibid. cap. XL „Si qui ad Ecclesiam venientes, ad audiendum diuinum officium, et ibidem hora sollempnitatis Missarum inter se murmurant, et ceteros inquietant, exponentes fabulas ociosas, et non intendentes in diuinas lectiones, cum ecclesiastico nutrimento; si maiores sunt, increpati, cum dedecore expellantur de ecclesia; si vero minores et vulgares, in atrio ecclesiae pro tanta temeritate coram omnibus ligentur et corripiantur flagellis.“ Ibid. cap. XVIII. „Si quis, obseruatione christiana neglecta et negligentiae stoliditate elatus, quid in eam commiserit; iuxta qualitatem offensionis ab Episcopo per disciplinam canonum iudicetur. Si vero rebellitate instinctus, renuerit, sibi impositam suffere poenitentiam, iterum eodem iudicio restringatur, etiam usque septies. Tandem, si per omnia resistens et abnuens inueniatur, regali iudicio, scilicet defensori christianitatis, tradatur.“ Ibid. cap. XII.

§. 221. Ritus Ecclesiae nonnullae Hungaricae, Ecclesias consecrandi, Regem sacro chrysmate inungendi, commemorauimus saepiuscule. Ampliores memorant litterae Leonis VII. ad Archiepiscopum Pannoniae datae: „Interrogatio vestra talis erat: De auguratoribus et incantatricibus, et maleficis, vario modo mortificatis a populo, si aliqua poenitentia debet exigi. De talibus namque

personis, quid veteris et noui testamenti pagina censeat, manifestum est. In lege namque Mosaica scriptum est: maleficos non patiaris viuere; similiter in Samuelis libro legitur: quia exterminauit Saul omnes Pythonissas de terra; et alia quae enumerare longum est. Sed nos etiam tales nostris exhortationibus ad poenitentiam trahere debemus, ut magis ecclesiastico iudicio poenitendo uiuant, quam gladio vindice puniantur, dicente Apostolo Beato Paulo: „Non enim posuit nos Deus ad iram, sed in acquisitionem salutis. Quod si ecclesiastica iudicia spreuerint, humanis subiaceant legibus; meminisse enim debent, a Deo potestates fuisse concessas, et ad vindictam noxiorum gladium fuisse permissum, et Dei ministrum fuisse datum in huiusmodi vindictam. Et dum in talibus improbis legum exercetur auctoritas, dicente beato Innocentio: erit dictator immunis. — Consultum est etiam: vtrum episcopi, Pax vobis, an Dominus vobiscum pronuntiare debeant? Sed non aliter per omnem vestram prouinciam tenendum est, quam in Sancta Romana Ecclesia. In Dominicis enim diebus, et in praecipuis festiuitatibus, atque Sanctorum natalitiis, Gloria in excelsis Deo, et Pax vobis pronuntiamus; in diebus ergo quadragesimae et in IV. temporibus, siue in vigiliis Sanctorum, et reliquis ieiuniorum diebus, Dominus vobiscum tantummodo dicimus. — Post haec consuluit: Si Dominica oratio in benedictione ciborum debeat usitari. Quod fieri non oportet, quia in sanctificatione corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, hanc solummodo orationem sancti Apostoli decantabant; et in Euangelio legitur: quia post coenam a Domino factam, hymno dicto exierunt ad montem Olyuarum. — Post haec interrogauit de eo: qui matrem et filiam ducit spirituales in coniugio: quod ne fiat sacri canones per omnia vetant: In canonibus Zachariae PP. ita habetur: ut presbitera diacona monacha, vel etiam spirituali commatre, aut spirituali filia nullus utatur; nam qui huiusmodi opus perpetravit, sciat se anathematis vinculo innodatum, et Dei iudicio condemnatum: atque a sacro corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi alienum; et quicumque sacerdotum eis communicare praesumserit, eorum iudicio condemnatus, sacerdotii sui honore priuetur. — Dehinc intulit lamentabile, et nimis lugendum: ut Domini sacerdotes publice ducunt uxores, et si filii eorum valeant promoueri? Quod scelus, quia omnis sacra scriptura contradicit: quia sanctum et venerandum Nicaenum concilium vetuerat, ne sacerdotes cum foeminis habitare praesumant, multo magis ne copulari, vel sociari mulieribus debeant, iuxta sanctos canones modis omnibus prohibemus. In Neocaesareensi concilio ita habetur: Presbiter, si uxorem acceperit, ab ordine deponatur, et qui in tali scelere fuerint reperti, nostra apostolica auctoritate ab omni priuentur honore. Filii vero eorum immunes ab eorum peccato sunt, dicente Propheta: Filius non portabit iniquitatem patris, et in baptismo sacro omnia dimittuntur peccata. — Dehinc perquisiuit: si a Chorepiscopo Ecclesiae debeant consecrari, aut presbiteri ordinari, vel consignatio chrysmatis et manus impositio fieri: quae omnia chorepiscopo, ne fiant, interdiximus; iuxta canonum decreta: In concilio Antiocheno capite X. sic habetur:

„Qui in vicis et et possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamuis manuum impositionem perceperint Episcoporum; tamen sanctae Synodo placuit, ut modum proprium recognoscant, et gubernent subiectas sibi Ecclesias; ordinent etiam Lectores, et Subdiaconos, atque exorcistas; quibus promotiones istae sufficiant, nec Presbiterum, nec Diaconum audeant ordinare. Si quis autem transgredi statuta tentauerit, depositus, quo utebatur, honore priuetur.“ — Perquisiuit etiam: si vir et mulier tertio vel quarto gradu consanguinitatis coniuncti, et inscii, coniugio copulantur, postea Dei respectu compuncti, ostendunt se sacerdoti, secrete confitentes peccata sua, utrum valeant eleemosynarum largitione ac bonorum operum exhibitione purgari. De talibus enim personis in veteri et nouo testamento nulla reperiuntur exempla; maxime in conciliis Gregorii et Zachariae PP. in quibus haec continentur: ut consobrinam, nouercam, neptem, fratris uxorem, nulum vel etiam de propria cognatione, aut quam cognatus habuit, nullus coniugio praesumat sibi copulare. Si quis vero hoc nefario coniugio conuenerit, sciat auctoritate apostolica se anathematis vinculo innodatum; et ut nullus sacerdos ei tribuat communionem, et si inclinatus, diuisus fuerit ab illicita copula poenitentiae submitatur, ut sacerdos loci considerauerit.“ — De vastatoribus autem Ecclesiarum unde inquisiuit: nihil aliud scribimus, nisi, quae Paulus Apostolus ad Thimotheum scribens ait: Argue, increpa, obsecra cum imperio.“ In Cod. Dipl. ad an. 937. — De ritu etiam Ecclesiae Hungaricae fuerat: Episcopis, munus hoc capessentibus fidem suam catholicam Sedi Apostolicae profiteri, ut ex eiusdem Leonis Papae VII. ad Gerardum Pannoniae A. Episcopum literis claret: „Fidem autem, quam in tuis epistolis breuiter assignasti, licet latius explanare debuisses, Redemptori tamen nostro gratias agimus, quod eam in ipsa breuitate ratam esse cognouimus“ l. c. Confer professionem fidei a Piligrino supra praescriptam. Ritus autem fideles Dei seruos beatificandi ecclesiae nouellae Hungariae connata est: A principio Ecclesiae christianae seculum usque decimum fideles, qui bonum certamen certarunt, in praesenti perfectionis stadio cursum consummarunt, fidem seruauerunt, episcopi testimonio ac consensu cleri ac populi, vocarunt in censum beatorum, cui si omnium ecclesiarum accessit sententia, uniuersaliter ceu sancti culti fuerant, erectis super eorum tumulis aris aut capellis; ita Beata Maria Virgo et Apostoli. Ut fidelium ea fidei ac morum integritas, perseuerantiaque usque finem constaret, Episcopis, notariis constitutis, curae fuit, ut exemplo Clementis Papae, et Cypriani Martyrum patet. Cyprianus epistola 37, et 97. Clemens certe Papa septem notarios constituisse, qui acta Martyrum consignarent, traditur. Seculo V. coeperunt haec acta a prouincialibus ecclesiis Sedi Apostolicae submitti: Antiquus Codex de Actis S. Vigili Episcopi Tridentini et Martyris apud Mabilonium Tom. VII. SS. Benedict. praef. pag. 46 habet: Gesta vero beatissimi Martyris, ut moris erat, vobis Romae episcopo transmissa sunt — ut sanctis Martyrum memorabilibus inderentur.“ Ex his actis inuestigatis, compertis seruorum Dei meritis, cultus eorum est propagatus per Ecclesiam uniuersam: „Particularis huiusmodi canonisatio, accedente totius ecclesiae consensu et approbatione, gene-

ralis euadebat.“ Mabill. l. c. Cautissime fiebat haec beatificatio Ecclesiae Praesulis: Tzetilianus Archidiaconus Dominam Lucillam seuerè corripuit, quod ante Communionem, cuiusdam Martyris, de quo sententia necdum lata, religionis osculata fuerat. „Martyris, sed nondum vindicati.“ Optatus Mill. L. I. Confer etiam Gregor. Turon. de glor. Martyrum Lib. XII. Haec ratio habita fuit etiam Confessorum: In Concilio Atrebat. damnati certe sunt, qui tantum Martyres colendos censuerant. Mabill. Praef. cit. pag. 50. SS. Martyrum et Confessorum lypsana eleuata, vel in aris collocata fuerant, ut ex Amniani Marcellini pagani testimonio liquet: „Dicens ideo Dracortii et Deodori cadauera proiecta in mare, ne collectis supremis aedes eis construerentur, ut reliquis, et nunc Martyres appellantur.“ Lib. XXII. cap. II. „Primum ait Mabillonius l. c. p. 52. solennis canonisationis exemplum esse, sub Joanne XV. qui S. Udalricum Augustanum canonisauit anno 997. Haec in concilio Episcoporum ac Presbiterorum contigit ad preces Luitolfi, urbis Augustanae Episcopi; instructione vitae illius perlecta et examinata, signisque in considerationem vocatis; memoria et ueneratione dignus census est. Huic sententiae se subscripserunt Episcopi quinque, Presbiteri Cardinales nouem, Diaconi quatuor: Bulla canonizationis sic sonat: Joannes Episcopus, seruus seruorum Dei — cum perlecta esset vita sanctissimi Episcopi, ventum est ad miracula, uidelicet coecos illuminasse etc. Anno 995. Apud Mabillonium Tomo VII. p. 466. — Spectatis praemissis mirandum foret omnino, qua impudentia propugnauerit in pagellis publicis nouissime. Hetényius V. D. minister: Religionem et Ecclesiam a Rege Apostolico Hungariae implantatam non fuisse catholicam: si, quod Cicero de Philosophis dixerat, dicendum iam non foret: non esse paradoxum, quod non aliquis Heterodoxorum contra Ecclesiam Romano catholicam effutiuerit.

II. Praecepta moralia Religionis et Ecclesiae nouellae in Hungaria.

§. 222. Praecepta generalia: „Observatio orationis maxima aquisitio est salutis. Continua oratio est peccatorum abolitio et remissio. Tu, quotiescumque ad templum Dei curris, ut Deum adores, cum Salomone semper dicas: Emitte, Domine, sapientiam de sede magnitudinis tuae, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit coram te omni tempore; et iterum: Domine Pater, et Deus vitae meae, ne derelinquas me in cogitatu maligno; extolentiam oculorum meorum ne dederis mihi, et desiderium malignum auerte a me Domine, aufer a me concupiscentiam, et animo irreuerenti et infrunito ne tradas me Domine. — Ora, ut Deus cuncta vitia auferre dignetur. — Ora etiam, ut desidiam et hebetudinem a te depellat; et supplementum omnium tribuat virtutum; quibus visibiles et inuisibiles vincas inimicos; ut securus et expeditus ab omni incursione inimicorum, cursum aetatis tuae vitae cum pace possis finire.“ Decr. I. cap. IX. „Opus pietatis ad summam deducit beatitudinem: Sis misericors omnibus, vim patientibus; semper illud Domini in tuis praecordiis habens exemplum: Misericordiam volo et non sacrificium. Patiens esto ad omnes: non

tantum potentes, sed etiam potestate carentes. Sis fortis, ne te prosperitas eleuet, aut aduersitas deiiciat. Sis quoque humilis, ut Deus te altum faciat hic et in futuro. Sis vero modestus et ultra modum neminem punias vel damnes. Sis mitis, ut nunquam iustitiae repugnes. Sis honestus, ut nunquam alicui spontaneum inferas dedecus; ut cunctos libidinis foetores, sicut stimulum mortis, euites. Sine his nullus ad aeternum valet pertingere regnum." Ibid. cap. X.

§. 223. Munia Regum: Ea sic ordinavit Rex Apostolicus: „Regium so-
 lum ornat ordo Pontificum: Carissime Fili! seniores illos ita custodias, sicut ocu-
 lorum pupillas: si illorum benevolentiam habebis, neminem aduersariorum time-
 bis. Illis quidem te obseruantibus eris securus in omnibus. Sine enim illis non
 constituentur Reges, nec Principatus. Si illos perfecte amas, te ipsum sine dubio
 sanas, tuumque regnum honorifice gubernas. — Ille tangit Christos Dei, qui con-
 tra diuinum atque canonum institutum sacri ordinis viros falsis criminibus foedat,
 atque in publicum protrahit. — Si accedente casu, culpa, reprehensioneque di-
 gna super aliquem horum ceciderit, quod absit, corripe eum ter, quater inter te
 et ipsum solum iuxta euangelium. Si tunc secrete renuerit audire monita, adhi-
 benda tibi sunt publica: secundum haec: Si te non audierit, dic Ecclesiae. Nam
 si tu hunc ordinem seruabis, gloriosam tuam exaltabis coronam." Dec. I. cap. III.
 — „Decor regiminis est, fidelitas, fortitudo, agilitas, comitas, confidentia Princi-
 pum, Baronum, Comitum, militum, nobilium. — Eorum omnibus sine ira, atque
 inuidia, pacifice, humiliter, mansuete dominare: memoria retinens semper, quod
 omnes homines unius sint conditionis; et quod nihil eleuat nisi humilitas, et ni-
 hil deiicit, nisi superbia et inuidia. Si eris pacificus, tunc diceris Rex, atque ama-
 beris a cunctis militibus; si iracundus, superbus, inuidus, impacificus, ac super
 Comites et Principes ceruicem erexeris, sine dubio fortitudo militum, hebetudo
 erit regalium dignitatum. Cum regula dirige vitam Comitum, ut tua dilectione an-
 gulati, semper regali dignitati adhaereant inoffensi, et ut tuum regnum per
 omnia sit pacificum." Ibi cap. IV. — „Patientiae et iudicii obseruatio, regalis
 coronae est ornatio. Daud Rex atque Propheta dicit: Deus iudicium tuum Regi
 da; et idem alibi: Honor regis iudicium diligit. De patientia Paulus Apostolus
 loquitur: Patientes estote ad omnes. Et dominus in euangelio: „In patientia ve-
 stra possidebitis animas vestras. Ad hoc tende; fili mi, si vis regni habere hono-
 rem: dilige iudicium; esto patiens. Quotiescunque causa digna iudicari ad te ve-
 nerit, vel aliquis capitalis sententiae reus, noli impatienter portare; vel cum iu-
 ramento firmare illum punire; quod instabile et fragile esse debet: quia stulta vota
 frangenda sunt. — Time esse iudex, gaude vero Rex esse ac nominari. Reges pa-
 tientes regnant; impatientes tyrannisant. Quando aliquid, quod tuae conuenit ad
 iudicandum dignitati, tibi venerit; cum patientia et misericordia hoc iudica, ut
 corona laudabilis sit et decora." Ibid. cap. V. In tribunalibus Regum consilium sibi
 vindicat locum. Consilio enim constituuntur reges, gubernantur regna, defenditur
 patria, componuntur praelia, sumitur victoria, propelluntur inimici, appellantur
 amici, ciuitates construuntur, et castra aduersariorum destruuntur. Quanta vero

consiliis inest utilitas? Nam a stultis et arrogantibus, ac mediocribus (ut mihi videtur) non valent componi viri, sed a maioribus, et melioribus, sapientioribusque ac honestissimis senioribus exprimi debent ac poliri. Id circo fili mi cum iuuenibus et minus sapientibus noli consiliari, aut de illis consilium quaerere, sed a senioribus, quibus illud negotium propter aetatem et sapientiam aptum sit. Nam consilia Regum in praecordiis sapientum debent claudi, non ventositate Stultorum proparari. Si enim gradieris cum sapientibus, sapiens efficiaris; si versaris cum stultis, sociaberis eis: fatente Spiritu Sancto per Salamonem. — Omnino tamen iuuenes non sunt expellendi a consiliis, quoties vero consilium cum ipsis inibis, etiam si sit habile, tamen semper ad maiores deferas, ut omnes actus tuos norma sapientiae mensures.“ Ibi cap. VII. — Modus virtutum ornat coronam regiam: nam Dominus virtutum ipse est Rex Regum. — Oportet regem ideo esse pium, misericordem, et caeteris virtutibus imbutum et ornatum. Rex enim impietate et crudelitate foedatus in cassum sibi vindicat nomen Regis, quia Tyrannus est dicendus. Ob hoc ergo fili mi, precor, iubeo, ut per omnia et in omnibus pietate fultus, non solum parentelae et cognationi, vel principibus, siue Ducibus, siue diuitibus, seu vicinis et incolis, sis propitius, verum etiam extraneis, et cunctis ad te venientibus.“ Ibi cap. X. „Regale ornamentum scito esse maximum, sequi antecessores Reges, honestos imitari parentes. Qui enim antecessorum decreta spernit patrum, nec diuinas procurat leges, peribit. — Spiritus enim inobedientiae dispergit flores coronae. Inobedientia enim totius regni est pestilentia. Graue tibi est huius climatis tenere regnum, nisi imitator consuetudinis ante te regnantium extiteris regum. Quis Graecus regeret Latinos graecis moribus? nullus. Id circo consuetudines sequere meas, ut inter tuos habearis praecipuus, et inter alienos laudabilis.“ Ibi . cap. VIII.

§. 124. Officia Superiorum Ecclesiasticorum e primaeva Ecclesia Hungarica ex his literis nouimus: „Leo Episcopus, Seruus seruorum Dei, RR. et SS. confratri nostro Gerardo S. Laureacensis Ecclesiae Archiepiscopo, omnibus diebus vitae tantum tuae exhinc ammodo. Si pastores ouium solem, geluque pro gregis sui custodia, die ac nocte ferre contenti sunt, et nequa ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant; quanto sudore, quantaque cura debeamus esse peruigiles nos, qui pastores animarum dicimur; attendamus, et susceptum officium exhibere erga custodiam dominicarum ouium non cessemus; ne in die diuini examinis pro desidia nostra, ante summum pastorem negligentiae nos reatus cruciet, vnde modo honoris reuerentia superiores iudicamur. — — Nihil tempestatis praesumptione arrogandum, ne dum in exteriori habitu inordinati aliquid arripitur, ordinate etiam, quae licere poterant amittantur; cuius quoniam indumenti honor modesta actuum viuacitate seruandus est, hortamur: ut et morum tuorum ornamenta conueniant, quatenus, auctore Deo, recte utrobique possis esse conspicuus. Itaque vita tua sit filiis tuis spiritualibus regula; in ipsa, si qua fortitudo illis ingesta est, oculos dirigant in ea, quod imitentur, aspiciant. In ipsa, se semper considerando proficiant, et tu-

um post Deum, videatur esse beneficium, quod vixerint. Cor ergo neque prospera, quae temporaliter blandiuntur, extollant, neque aduersa deiiciant, sed quidquid illud fuerit, virtute patientiae deuincatur. Nullum apud te locum odia, nullum fauor indiscretus, inueniant. Benignum te sentiant boni, districtum mali cognoscant; insontem apud te culpabilem suggestio mala non faciat, nocentem gratia non excuset. Remissum te delinquentibus non ostendas, ne quod ultus non fueris, perpetrari permittas. Sit in te et boni pastoris dulcedo, sit et iudicis seuera districtio; unum scilicet, quod innocenter viuentes foueat, aliud quod inquietos feriendo, a prauitate compescat; sed quod nonnunquam praepositorum scelus, dum districtus malorum vult vindex existere, transit in crudelitatem correctio, iram iudicio refroena, et censura disciplinae sic utere, ut et culpas ferias, et a dilectione personarum, quas corrigas, non recedas. Misericordem te prout virtus patitur, pauperibus exhibe. Oppressis defensio tua subueniat, opprimentibus modesta correctio contradicat. Nullius faciem contra iustitiam accipias; nullum quae- rentem iustitiam despicias; custodia aequitatis in te excellat, ut nec diuitem potentia sua aliquid extra viam apud vos suadeat rationis audere, nec pauperes de sua faciat humilitas desperare: quatenus Deo miserante talis possis existere, qualem sacra lectio praecipit dicens: Oportet Episcopum irreprehensibilem esse. Sed his omnibus salubriter uti poteris, si magistram charitatem habueris, quam qui secutus fuerit, a recto aliquando tramite non recedet. Ecce frater charissime, inter multa alia ista sunt sacerdotii munia; quae si studiose seruaueris, quod foris accepisti, intus habes. — — Sancta Trinitas fraternitatem vestram gratiae suae protectione circumdet, atque in timoris sui via nos dirigat, ut post huius vitae amaritudines, ad aeternam simul dulcedinem peruenire mereamur. Amen. V. Cod. Dipl. ad annum 937. Primitiua Superiorum Ecclesiasticorum officia Rex Apostolicus paucis expressit dicens: „Ut nullum defectum in temporalibus et aliis rebus necessariis patiamini, prouidi: Tantummodo exercitate in Christi obsequio officium vestrum; praedicando, baptizando, ac infideles ad Christum conuertendo.“ Biogr. S. Gerardi l. c. *)

*) Operarios in vinea Domini, se ad arduas et excelsas vocationis suae partes, humilitate, suique demissione, comparasse, ex hac Stephani Aeduensis Episcopi ad Flodoardum epistola nouimus: „Qui aurum quaerit, ait, uti et qui margaritas piscatur, se demittit; hic in maris, ille in terrae viscera: nec animas alias certius quam demissione inuenies. Nec Christus, animarum nostrarum Zelator maximus, alia eas via quaesivit, quam sui abiiectione. Quantum ab huius exemplo, tantum ab animarum lucro recedis. Posse Deo cooperari in salutem animarum, gratiarum est maxima: hanc arrogans sui aestimator sperare non potest; nec enim dat Deus nisi humilibus gratiam. Nulla vox ad persuadendum aptior sui demissione: plus haec adminiculi quam integra Bibliotheca dabit. Excelsa aedificia singula submissis nituntur fundamentis.“

Fas sit etiam sensum virorum religiosorum huius aevi de Episcopatu memorasse: „Fateor, qui prodesse, qui contradictiones, non honores: qui labores non delicias, qui opus non opes Episcopatus desiderat, bonum opus desiderare. — Horreo notare: quod dixit Sanctus: Nunc essem de numero damnatorum, si fuissem de numero Episcoporum. — Scrip. Kal. Oct. Anno 951. Adaldagi epist. ad Frodoardum.

§. 125. Religiosi ordinis virorum vocationem Hartuicus paucis, ast significantibus verbis insinuauit: „Monasterialis congregatio, disciplina regulari pollens, temporalium sustentatione copiarum ex donatiuis sancti Ducis superabundans, non est alicuius egens, nisi ut suos et aliorum pedes secundum euangelium quotidianis precibus et lachrymis lauet.“ I. c. Orationes istas domui regiae, ac pro stabilitate regni deberi, atque in disciplinae religiosae obseruantia fundari, clare edixit Protorex: „Nos per Dei subsidium ob animae nostrae remedium; et pro stabilitate regni nostri monasterium — fundauimus. Omni autem cura adhibita, ne monasticae religionis contemplatio, aliqua temporalium necessitate compressa, mutaretur in laeuam, dotauimus.“ Quod una in subsidium curae animarum, non solum domi, hoc est in bonis suis, sed uniuersim sint vocati; haec regis Apostolici verba produunt: „sed quum clericos, quos constituamus praesules, non habemus ad praesens, in obsequium nostri, tollamus monasteriorum monachos, qui sine ordine ecclesiasticae institutionis, sint nobis in officio diuino adiutores. — Igitur ad ipsius regis imperium congregati sunt monachi ex diuersis regni monasteriis.“ Biograph. S. Gerardi loco citato. In omnibus religionis disciplina praecipue fuit spectata: „Ipsium monasterium de Zala deuotionis affectu sequestratum propter religionis disciplinam deuote seruandam, et ab ipsis fratribus in eodem conuersantibus deuotius tenendam et custodiendam.“ Ad an. 1024. *)

*) Ordinis monastici originem, ac meritum hoc in consilio euangelico: Qui vult perfectus esse, abneget semet ipsum, tollat crucem suam, et sequatur me. Math. 16. fundari certissimum est: regulae diuersae sunt eius duntaxat variationes. et ad obiecta alia et alia applicationes. Coeperunt eae in Ecclesia Orientali, ibique primum a S. Basilio M. lucidius praescriptae, in Occidente vero a S. Benedicto. Quo magis praecepti euangelici Spiritui conformes, eo salubriores. Tales erant primaeuae: Unus quisque persuasum habeat, tantum se in spiritualibus profecturum, quantum ab amore sui et commodi proprii affectatione se se subtraxerit. — Multo ardentius insistendum homini interiori domando, quam corporis, et frangendis animi motibus. quam ossibus. — Ille Religiosi nomen se implere credat, qui integre non solum a seculo liber, sed etiam a se ipso, fuerit. — Item: ad fauores diuinos, alia non patet via, quam per demissionem. — Orare, ut longe facilius est, quam se impugnare; ita hoc prae illo laudabilius: Quamquam nemo vir erit magnae orationis, nisi parus fuerit sui mortificationis. — Nulla scientia tantam habet infallibilitatem, quantam praestat debita superioribus legitimis obedientia: principiis primis prius et clarius est: obediendum esse. Si vis secundum Deum obedire, omni te affectu, et in alterutram partem propensione exuas, est necesse. — Possidenti Deum, etiam si nihil habeat, nihil deest necessarium. Vineae Domini operarii, altero tantum pede insistere, altero ad iter urgendum subleuato esse, debent. Haec prima sit agendorum regula: sic Deo fide, quasi rerum omnium successus a Deo, nihil a te penderet; ita tamen operam omnem admoue, quasi tu solus sis omnia factururus. Oleum et operam perdit, qui aliorum mores emandaturus, non incipit a se ipso. Non mutat mores coeli, aut vestis mutatio, nisi imperfectus se ipsum deserat. — Nisi charitati, et humanitati comes sit veritas; iam nec charitas, nec humanitas fuerit, sed fraus et vanitas. Oportet parum loqui, multum audire, et plurimum, quod officii est, facere. Compendiosissima et fere sola ad sanctitatem via est, abhorrere ab omnibus, quae mundus amat et sectatur.“ Qui mundum contempsit, eum Statuae similem esse oportet.

§. 226. *Obligaciones subditorum*: „Scitote fratres cuncti, quod supra omnes laborant Sacerdotes. Unusquisque enim vestrum suum fert laborem proprium; illi vero et suum et singulorum. Ideo sicut illi pro omnibus vobis, ita et vos omnes pro eis summopere laborare debetis, in tantum, ut si necessitas fuerit, animas vestras pro eis ponatis.“ Testes autem et accusatores sine aliqua sint infamia; uxores et filios habentes; testimonium laici aduersus clericum nemo recipiat, nemo etiam quemlibet clericum in publico, nisi in ecclesia, examinare praesumat.“ *De. II. cap. IV. et III.* „A sacerdotibus vero et comitibus commendetur omnibus villicis, ita ut ipsorum iussu omnes concurrant die dominico ad Ecclesiam, maiores et minores, viri et mulieres, exceptis illis, qui ignes custodiant. Si quis vero obstinatus remanebit, ob negligentiam vapulet, et depiletur.“ *Ib. cap. VIII.* „Si cui Deus decem dederit in anno, decimam Deo det. Et si quis decimam abscondit, nouem soluat. Et si quis decimationem, Episcopo separatam, furatus fuerit, diiudicetur ut fur; ac huiusmodi compositio tota pertinet ad episcopum.“ *Ibi. c. LII.* — Si quis misericordia ductus proprios seruos et ancillas libertate donauerit, cum testimonio; decreuimus, ut post obitum eius, nemo inuidia tactus, in seruitutem audeat inducere. Si autem libertatem promiserit, et morte impediante, testatus non fuerit; habeat mulier, ipsius vidua, et filii potestatem eandem libertatem testandi, et agape faciendi pro animae redemptione, sui mariti, qualitercunque velit.“ *Ibi. c. XVII.* „Si quis militum, suum spontaneum donum dicens sibi vi ablatum, mendax exstiterit, et hoc careat, et insuper tantumdem soluat.“ *Ibi. c. XLV.* „Si quis hospitem cum benevolentia accipit, et nutrimentum illi honeste impendit, quamdiu secundum propositum nutritur, non deserat suum nutritorem; et nec ad aliquem alium suam deferat hospitalitatem.“ *Ibi. cap. XXII.*

§. 227. *Vetita*: 1.) *Contra Maiestatem regiam*: Si quis in Regem, aut regnum conspirauerit, refugium nullum habeat ad Ecclesiam; Si quis contra regis salutem aut dignitatem quolibet modo aliquid conspirauerit, aut conspirare aliquid tentauerit, seu tentanti scienter consenserit, anathematisetur, et omnium fidelium communione priuetur. Vel si quis huiusmodi aliquem nouerit, et probare valens, non indicauerit, praedictae subiaceat damnationi.“ *Dec. II. cap. LI.* „Volumus quidem, ut sicut ceteris facultatem dedimus dominandi suarum rerum; ita etiam res, milites, serui, et quidquid ad nostram regalem dignitatem pertinet, permanere debet immobile; et a nemine quid inde rapiatur, aut subtrahatur; nec quisquam in his praedictis sibi fauorem aquirere audeat.“ *Dec. II. cap. VI.* 2.) *Contra bonum vitae alterius*: „Si quis hominem gladio occiderit, eodem iuguletur gladio.“ „Si quis gladio euaginato alium quemlibet debilitauerit in oculo, vel in pede, vel in manu; consimile sui corporis damnum patiatur.“ „Si quis ve-

tet: quae nec lacerna indui recusat, nec purpura, qua prius ornabatur, detrectat spoliari.“ — Harum maximarum contemplatio et exercitium fecit religiosi ordinis viros a principio utrique reipublicae salubres, Deo, hominibusque acceptos.

ro gladio vulnerauerit aliquem, et vulneratus de eodem vulnere sanus et incolumis euaserit: homicidio compositionem vulneris illator componat.“ „Si quis furore repletus euaginauerit gladium, et tamen non laeserit; pro sola euaginatione medium homicidii compositum soluat.“ Ibid. cap. XIII. XIV. XVI. XXXVI. 3.) Contra libertatem personalem: „Quoniam igitur Deo dignum est, et hominibus optimum, unumquemque in suae industriae libertate vitae cursum ducere; secundum regale decretum statutum est: ut nemo comitum, vel militum post haec aliquam liberam personam seruituti subdere audeat. Ibid. cap. XX. De his, qui rapiunt puellas. Ibid. cap. XXV. 4.) Contra proprietatem alterius in bonis fortunae: „Ut creatura Dei ab omnium laesione malignorum remota, et a nullo detrimentum sui passura maneat, nisi a Deo, a quo augmentatur; secundum decretum senatus statuimus, ad magni cautionem terroris, ut nulla persona maleficio, aut veneficio quemquam hominum subuertere a statu mentis, aut interficere audeat. Ast si quis, vel quae post haec praesumserit, tradatur in manus maleficio laesi, aut in manus parentum eius secundum eorum velle, ad iudicandum; si vero sortilegio utentes inuenirentur, ut faciunt in cinere, et his similibus, ab episcopis flagellis emendentur.“ Ibi. cap. XXXIII. „Si qua Striga (Strix) inuenta fuerit, secundum iudicalem legem, ducatur ad ecclesiam, et commendetur Sacerdoti ad ieiunandum, fidemque discendam; post ieiunium vero ad domum redeat; si secundo in eodem crimine inuenietur, simili ieiunio subiaceat; post ieiunium vero, in modum crucis, in pectore, et in fronte, atque inter scapulas incensa clauis ecclesiastica domum redeat. Si vero tertio: iudicibus tradatur.“ Ibi. cap. XXXI. „Si quis per inimicitias alterius aedificia cremauerit igne; decreuimus, ut aedificia restituat; et quidquid supellectilis arsum fuerit, persoluat, et insuper sedecim iuuenos, qui valent sexaginta solidos.“ Ibid. cap. XXX. „De inuasionem domorum et pugna ibidem commissa. Cap. XXXIII. De furto serui semel commisso, cap. XXXIX. De poena furtum secundo et tertio committentis. cap. XL. De furto liberorum semel, bis et ter commisso. cap. XLI. De furto Uduarnicorum. cap. LV. 5.) Contra fidem in Deum, et publicam auctoritatem delinquentibus: De periuriis cap. XV. De non recipiendis seruis vel ancillis in accusationem vel testimonium contra Dominos suos, vel Dominas. cap. XIX. De his, qui alterius milites vel seruitores auocant. cap. XXI. De his qui flagellant sua quaerentes. c. XXIII. De vindicta nitentium aquirere libertatem alienis seruis. cap. XXXVIII. Comites, quod regis est apud se non detineant. cap. XLII. De contemptu ac spreptione iusti iudicii comitis. cap. XLIII. De restituenda re militibus per Comites iniuste ablata, cap. XLIV. De testimonio seruorum, regali curiae, vel comitis praepositorum. cap. L. De calumniatoribus aulae cap. LIII. De his, qui mendacia inter duos familiares aulae adstruunt. cap. LIV. 6.) Contra sanctimoniam matrimonii: De liberis fornicantibus cum ancillis alterius Domini. cap. XXVI. De his, qui petunt ancillas alienas in uxores. cap. XXXVII. Qui extra regnum a suis aufugiunt uxoribus.“ cap. XXVIII. — 7.) Contra aggressores bonae famae: De calumniatoribus aulae. cap. LIII. De his, qui mendacia inter duos aulae familiares adstruunt. cap. LIV.

Instituta Religionis et Ecclesiae nouellae in Hungaria pia.

§. 228. I. Scholae. In fide, moribus salutaribus, item et artibus honestis, ut sui instituantur, Religioni et Ecclesiae christianae proprium, sanctumque fuit. Maiores nostri ad faciendum potius, quam dicendum, teste Reginone ad annum 889. proniores, armatam magis quam togatam Falladem coluerant; nec superstitione gentilis, cui implexi fuerant, ad litteras poterat ipsos facere propensos: Scholis certe, literarum seminariis, caruerant. Ad earum cultum, religione Christiana implantata, per ministros Ecclesiae sunt pedetentim adducti.

§. 229. Protorex Stephanus cum Episcopis et Praepositis capitula, cum Abbatibus monasteria constituens, literariae Hungarorum institutioni iecerat fundamentum: occasiones Praesules Ecclesiae amplexi sunt diligentissime. Sollicitudinem eorum facto Gerardi, Chanadiensis Episcopi, nouimus quam maxime: „Inter praefatos vero monachos, scribit eius biographus cap. XII. erant septem viri litterati, et in Hungarica lingua interpretes expediti, scilicet Albertus, Philippus, Henricus, Conradus, Cato, Tado et Stephanus, qui etiam per se verbum Dei populo praedicabant. — Quadam autem die venerunt triginta viri neophyti ad Episcopum, petentes, ut tolleret filios eorum, ac literis erudiret; quos benigne suscipiens sub Waltero constituit; dans eis unam domum ad hoc aptam, ut eos scientiis grammaticae et musicae informaret; qui in breui in ipsis artibus non mediocriter profecerunt. Quo viso, nobiles et magnates, filios suos tradebant praedicto Waltero instruendos, ad adipiscendum fructum scientiae liberalis. — — Episcopus autem gerebat magnam curam — Scholarium, — ad cuius nutum ducebantur paruuli, et tradebantur ad scholas; in quibus adeo sollicite informabantur, ut noctes pro diebus computarentur. — — Mittebat etiam nuncios ultra Danubium, et congregabat scholares.“

§. 130. Idem factitatum fuisse in collegiatis Praepositarum capitulis ex eodem Biographo coaeco nouimus dicente: „Videns vero magister Wolterus succrescere numerum scholarium, laboris onere pressus, dixit ad episcopum: non sufficio, inquit, huic multitudini in utroque praesesse officio, cantus videlicet et lecturae. Mitte ergo alium adhuc magistrum lectorem, vel cantorem. Misit ergo Episcopus fratrem Maurum, ad salutandum Regem; praecipiens ei, ut etiam ingrediens scholas, quae tunc in Alba-Regali erant famosae, accerseret doctorem scholarum et adiuuaret eum. Qui veniens Albam, peracto apud Regem negotio, intrauit scholas, ubi erat quidam Teutonicus, nomine Henricus, qui erat puerorum vicemagister; quem, quum allocutus fuisset, et praebisset ille assensum, continuo surgens, acceptis libris suis, venit cum eo ad episcopum. Suscepit autem illum gratanter Episcopus; et constituit eum principem lectorum. Scholaribus, Walterus autem praerat illis in cantu.“

§. 231. Scholarem institutionem in monasteriis quoque Ordinis S. Benedicti vixisse tam ex Sancti huius regula, quam ex vita S. Gerardi certis comperimus indicis: „Gerardus autem, orationum et vigiliarum exercitiis deditus, immobilis

(in Bakonbeel) permansit; aedificans sibi ecclesiam, in qua dictabat libros, quos propria manu scribebat.“ cap. IX. — Ad imperium regis congregati sunt monachi de diuersis regni monasteriis; de Pécsvaradino duo; de Zaladino duo; de Beel duo; de monte Pannonico quatuor: Hi duodecim presbiteri monachi erant viri literati, quos Canadinus Comes in currum suum imponens, in dioecesim Chana-diensem duxit.“ l. c. cap. XI. Nomen certe Lectoris et Cantoris in capitulis et monasteriis titolare primitus haud fuit, sed reale.

§. 232 II. Hospitalia. Misericordiae nomen apud primores nostros, gentilismo deditos, fuerat sine sensu, suscepta religione Christiana coepit innotescere; pauperum, orphanorum, viduarum ac peregrinorum cura per Ecclesiam habita, capitulisque et monasteriis hospitalium vices obeuntibus: quod itidem e biographia S. Gerardi clarescit imprimis: „Episcopus autem gerebat magnam sollicitudinem pauperum et hospitem — Singulis quoque Sabbatis opera misericordiae in pauperes maiori caritate exercebat.“ l. c. cap. XIII. Huc quoque valent Hartuici verba saepe laudata: „Monasterium exstructum, disciplina regulari pollens, temporalium sustentatione copiarum ex donatiuis sancti Regis superabundans non est alicuius egens, nisi ut suos et aliorum pedes secundum euangelium quotidianis precibus et lachrymis lauet.“ Hartuic. p. 129. Item: „Inter omnia supernae miserationis beneficia beato Regi diuinitus concessa, prae omnibus sunt illa miranda, scriptis commendanda, quae locum primum obtinent, ad aeternae vitae gaudia promerenda, misericordia scilicet. — In omnibus factis suis felicibus illud intendebat praecipuum, quod ex euangelio fidei pectoris contemplatus est visu super veritates ipsius testimonium dicentis: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et in loco: Date et dabitur vobis. Tantis igitur miserationibus et pietatis brachiis Christi pauperes, imo Christum ipsum amplexus est, quod nullus unquam hospes, et peregrinus ab eo sine benignitatis alicuius solamine tristis abscessit. Ad releuationem egenorum quotidianas expensas indeficienter fieri constituit.“ l. c. p. 143—144. Eum in subsidium Hungarorum Romam, et Hierosolymam peregrinantium Hospitalia constituisse, eundem Sanctum Regem, supra vidimus.

§. 233. Ex his auitam Hungarorum superstitionem cum Religione, quam amplexi sunt, christiana, siue dogmata, seu praecepta morum, et instituta pia publica spectando comparet, incredulorum quisque, licet: non dubitabit sane iudicare: maiores nostros ad humanitatis officia, socialisque vitae beneficia, religionis christianae luce illustratos fuisse; hacque neglecta, eos rursus in auitam barbariam praecipitandos.

Virtus, pretium ac meritum nouellae Religionis in Hungaria

Castigati fidelium mores, ac vitae sanctimonia.

§. 234. Religionis et Ecclesiae nouellae in Hungaria virtus, pretium, ac meritum, sicut arboris bonae e fructibus bonis, e castigatis fidelis populi moribus

est comprobata: cuius duplex etiam habemus argumentum: Piligrinus, primarius gentis Hungaræ apostolus, non dubitavit de conuersis ad Christum Hungaris testari: „Quibus Deus Omnipotens, quoniam solita sua pietate semper dispersa congregat, aperire dignatus est ianuam cordis sui, diu clausam, ut, discisso velamine duritiæ suæ, depositaque ferina crudelitate, leui iugo Domini colla submittant. — — Ipsi hi barbari, mira omnipotentis Dei operante clementia, quorum licet adhuc gentilitate sint quidam detenti, nullum tamen ex illorum subditis vetant baptisari, nec sacerdotibus inhihent quocumque proficisci. Sed ita sunt concordēs pagani cum christianis, tantamque ad inuicem habent familiaritatem, ut illic videatur Isaiæ Prophetia impleri: Lupus et agnus pascuntur simul. Leo et bos comedent paleas. Factum est ergo, at pene cuncta Ungarorum natio sit prona ad percipiendum fidem.“ — Benedictus VII. Papa „Ungari, dudum inimici, illum, quem persecuti sunt more gentili, iam Christum baptisati profitentur; et Sacerdotes modo desiderant, ac prout rudes scire poterunt, venerantur; ecclesias quasdam in sua terra, quas patres incendio dederunt, posteri restaurare videntur. Cum aliis in pace, et tranquillitate viuunt.“ A. 975. Uberius biographus l. c. cap. XII. „Inter præfatos vero monachos, erant septemuii — in Hungarica lingua interpretes expediti, — qui etiam per se populo verbum Dei prædicabant; per ipsos enim tota Chanadiensis prouincia sacri eloquii flumine exstitit irrigata. Hi officium archipresbiteratus habentes, aedificabant ecclesias in urbibus et villis. Populus autem nouæ plantationis, verbum Dei feruenti spiritu audiebat; meditando in lege Domini, die ac nocte. — — Igitur in festiuitate beati Joannis baptistæ facta prædicatione et benedictione data, accesserunt ad episcopum quasi centum viri, postulantes sibi sanctificari loca pro ecclesiis construendis; de quorum deuotione episcopus non modicum lætabatur. Factoque conuiuio, episcopus ad mensam suam inuitauit cum caeteris diuitibus uniuersos pauperes, qui adesse poterant. Quumque surrexissent de mensa, obtulerunt episcopo varia dona et munera, et clenodia; videlicet equos, oves, boues, puluina; mulieres vero anulos aureos, monilia; quibus dicebat episcopus: nunquam propter hoc vos inuitaui, ut omnes vos exspoliarem; absit! sed vocaui ad audiendum verbum Dei; cui responderunt uniuersi dicentes: quia, pater sancte, audiuimus te hodie, in sermone Dei protestantem: sicut aqua extinguit ignem; ita elemosyna extinguit peccatum. Suscipe ergo, quæ tibi offerimus pro Christi nomine, in quo sumus ad vitam ab errore reuocati. — Factum est autem, quum episcopus egrederetur cum fratribus suis, sua in visitare dioecesim, ut consecraret eorum coemeteria, qui erant ecclesias constructuri; recipiebantur ab eis tamquam sancti Apostoli, signa et prodigia facientes; quibus etiam munera ex eis omnibus, quæ habebant, prompto animo offerebant.“ L. c. cap. XII. *)

*) Si sincero veritatis studio rem metimur: quantum inter ministerium Stephani Apostolicum, et Martini Lutheri aut Joannis Caluini opus, discrimen! illius virtute mores Hungarorum conuersorum meliorati; horum opera reformati deteriores effecti: ut ipsimet fassi sunt, E fructibus cognoscetis eos. Is exiuit seminare semen bonum in agro suo; inimici homines hi superseminarunt zizania!

§. 235. Quin quaedam nouellae Religionis et Ecclesiae germina, talentis a Deo sibi concessis fideliter, ac bene usi, hoc est: status sui officis iugiter finem usque satisficientes, eorum assecuti etiam sunt beatitudinem, quibus Christus addixerat: Euge serue bone ac fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. — Inter hos principe stat loco Rex ipse Apostolicus, Stephanus. Quomodo singulis status sui muniis fecerit satis, examinemus.

§. 236. Stephanus Proto-Rex, ad quem regnum ordine, libertatibus, ac legibus constituere spectabat, regnum ordinavit magistratibus praepriis more Maiorum (Belae regis Not. cap. LIII.) et antiquorum, ac coaeuorum Agustorum exemplo (Dec. II. praef.): Barones regni: Comites Palatii, Curiae regiae, Camerae regiae, Agazonum etc. Voiuoda item Transilvaniae: hi enim Barones post Principes stirpis Arpadiae regnantis: Wazulem, Michaëlem Caluum, huiusque filios Andream, Belam et Leuentam nominantur immediate Barones: Decreti I. cap. IV. Ad hos respexerit etiam, quoties regalis senatus, regalis consilii, meminit Dec. L. II. cap. XIX. XXVII. XXIX. Hos inter subin primus erat Comes Palatii, cui tam cura palatii regii, quam iuris dicendi, atque exercitus contra hostes ducendi, vice ac nomine regis adnatum est. Comes Curiae regiae a primordio aulae regiae familiarium, mox in vicem Palatini causarum etiam appellatarum Iudicium obtinuit. Post Barones regni secuti proxime Comites prouinciarum, quas Comitatus dicimus, Iudices, prouentuum una regalium administratores, ac militum Duces, mandatorumque senatus regii ac consilii executores cum suis Vice-Comitibus, et officialibus: Marchiones, qui in literis fundationalibus et frequenter nominantur, prouinciarum limitaneorum Comites fuerant instituti: sed vide uberius, quae scripsi de Archiofficiis et magistratibus.

§. 237. Gentem ingenuam, ac liberam, ut affirmat Leo sapiens l. c. in suis institui libertatibus oportuit vel maxime: praestitit hoc Protorex, singulis incolarum classibus competenti libertate insignitis: In genere: Libertas personarum: „Quoniam Deo dignum est, et hominibus optimum, unum quemque in suae industriae libertate vitae cursum ducere; secundum regale decretum statutum est, ut nemo Comitum vel militum posthac aliquam liberam personam seruituti subdere audeat.“ Dec. II. cap. XXX. Rerum: „Decreuimus regali nostra potentia, ut unusquisque habeat facultatem sua diuidendi, tribuendi uxori, filiis, filiabusque, atque parentibus, siue ecclesiae; nec post obitum eius quis hoc destruere audeat.“ Ibid. cap. V. „Consensimus etiam petitioni totius senatus, ut unusquisque dominetur propriorum, similiter donorum regis, dum uiuit; excepto, quod ad episcopatum pertinet, et comitatum; ac post eius vitam filii simili dominio succedant, nec pro ullius reatus causa detrimentum honorum suorum patiatur quis, nisi consiliatus mortem regis, aut traditionem regni fuerit, aut in aliam fugerit prouinciam; tunc vero bona illius in regiam veniant potestatem, ipse vero subiacet sententiae, filiis innocentes remanentibus.“ Ibid. cap. XXXV. In specie: Statui Ecclesiastico: In regali dignitate tertium (post fidem et Ecclesiam Catholicam) possident locum Pontifices. Charissime fili! Seniores illos ita cu-

stodias, ut oculorum pupillas. — Sine illis non constituuntur Reges, nec Principatus. — Si illos perfecte amas, te ipsum siue dubio sanas, tuumque regnum honorifice gubernas.“ Decr. I. cap. III. „Ut Episcopi habeant potestatem res ecclesiasticas prouidendi, regendi, et gubernandi, atque dispensandi secundum canonum auctoritatem.“ L. II. cap. II. — 2.) Ordini equestri: Quartus decor est regiminis fidelitas, fortitudo, agilitas, comitas, confidentia Principum, Baronum, militum, nobilium; illi enim sunt regni propugnatores, defensores imbecilium, expugnatores aduersariorum, augmentatores monarchiarum. Illi tibi, filii mi, patres sint et fratres. Ex his neminem in seruitutem redigas, vel seruum nomines. Illi tibi militent non seruiant.“ Lib. I. cap. 4. — Volamus etiam, quod nec nos, nec posteri nostri, aliquo tempore Seruientes (Nobiles) capiant, vel destruant, fauore alicuius potentis, nisi primo citati fuerint, et ordine iudiciario conuicti.“ Andreas II. Decr. an. 1222. art. 2. 3.) Statui ciuili regio: „Volumus etiam, ut sicut ceteris facultatem dedimus dominandi rerum suarum; ita etiam res, milites, serui, et quidquid ad regalem dignitatem pertinet, permanere debeat immobile. Et a nemine quid inde rapiatur, aut subtrahatur; nec quisquam in his praedictis sibi fauorem aquirere debeat.“ Lib. II. cap. 6. Jobb agyones et castrenses teneantur secundum libertatem a S. Stephano rege concessam.“ Andr. II. decr. anni 1222. art. 19. Licentia migrandi a principio, solutis soluendis, potiti: Regest. Varad. §. 269. Serui emancipati: Si quis misericordia motus proprios seruos et ancillas libertate donauit, cum testimonio; decreuimus, ut cum obitu eius nemo inuidia tactus, ad seruitutem audeat eos inducere.“ Lib. II. cap. 4. Alii a Sancto rege redempti, ac conditionarii facti: Simon de Keza Chron. pag. 142. „Conditionarii poterant se et familiam centum Byzantinis redimere; personam suam XXVI, aut seruitio tantundem compensare. Ibid.—Jura regnicolarum vide: Regni per Hungaros in Europa stabiliti rationes §§. 63. — Felicem omnino Hungariam! si respublica penes has libertates, ac iura permansisset; ast Nobiles, se militiae magis ac magis subtrahentes, immunitatibus, arte et Marte extortis amplioribus, reliquis regnicolis facti oneri! Hinc illae lachrymae!!

§. 238. Stephanus Rex: ad regum in genere munia pertinet securitatem internam et externam suis vindicare: Securitati internae prouidit debite legibus sancitis, et executioni mancipatis, testimonio Hartuici: L. c. p. 133. „Post acceptum regalis Excellentiae signum, qualis vitae vir, et discretionis fuerit, cum Episcopis et Primatibus Hungariae statutum a se decretum, manifestum fecit. In quo scilicet uniuscunq; culpae contrarium dictauit antidotum, et ut pacis, per quam Christus orbem codunauit, se fore probaret filium: quod nullus alium hostiliter inuaderet, nemo vicinum sine iudicii examinatione laederet; viduas et orphanos nullus opprimeret, subscriptione foederis non pereuntis, posteris suis reliquit stabilitum.“ Leges ab eo sancitas iam recensuimus. Quomodo rebelles et inobedientes Cupanum, Gyulam, et Achtumum in ordinem redegerit, pariter vidimus. Securitatem item externam: Quomodo impetitionem hostium exterorum solícite propulsauerit; eodem Hartuico teste comperimus: l. c. p. 147—9.

„Quadam nocte repente per reuelationem quamdam expergefactus, Veredarium quemdam infra diem et noctem ad Albam Transiluanam praecepit festinare; et omnès ruri manentes ad munitiones ciuitatum, quam citissime posset, congregare: praedixit enim superuenturos christianorum hostes, qui tunc Hungaris inimicabantur, Bessos, et possessiones eorum depredaturos. Vix nuncius mandata Regis compleuit, et ecce Bessorum inopinata calamitas incendiis et rapinis, cuncta deuastauit: per reuelationem Dei meritis beati viri concessam, animabus omnium saluatis, per receptacula munitionum.“ Altera vice, eodem Hartuico teste pag. 149. sqq. „Accidit post hoc defuncto beati Regis Amico, Romanae dignitatis Augusto, Henrico pio, Conradum imperatoriae dignitatis coronam per Germanorum electionem assumere; qui destructa pacis tranquillitate, totius Theotoniae manu coadunata, Pannoniae terminos hostiliter conatus est inuadere. Contra quem Rex consultum habens episcoporum et Principum, ad tuendam patriam, armatos totius Hungariae extraxit. Prius tamen recolens, se nihil posse sine Christi suffragio, manus et cor leuans ad aethera, Dominae suae, perpetuae Virgini, Dei genitrici, Matri suas iniurias commendans, talem erupit in vocem; Si placet tibi Domina mundi, tuae partem haereditatis, ab inimicis deuastari; et nouellam plantationem Christianitatis aboleri; non meae, precor imputetur desidia, sed potius dispositioni voluntatis tuae; si pastoris culpa quid meretur, ipse luat, insontibus parce, precor omnibus. His dictis, quasi consolatus ab ipsa, creduliter aduersus hostes iter arripuit. Altera mox die nuncius ad unum quemque ducem Germanorum, et in castra Teutonicorum ab Imperatore venit, qui eis redeundi mandatum detulit. Regredientibus aduersariis, vir sanctus respectu miserationis Dei se visitatum intelligit, Christo, eiusque Genitrici, terrae prostratus gratias agit, cuius se cum regni prouisione, tutamini precibus assiduis commendauit. Imperator vero suorum tam repentina perterritus defectione, sciscitans, qualiter res facta fuerit, cum nuncium reuersionis suorum non suum fuisse veraciter sciret, per consilium diuinitatis, ad corroborandam Regis fidelissimi spem, factum non dubitauit, seque dehinc ab inuasionem regni eius, timore Iudicis aeterni retentus, abstinuit.“ Rem Wippo quoque, Capellanus Conradi Imperatoris, similiter narrat ad annum 1030-um „Unde commotus Imperator Conradus, cum grandi exercitu super Ungaros venit. Rex autem Stephanus minime sufficiens aduersus Imperatorem, orationibus et ieiuniis in uniuerso regno suo indictis, praesidium Domini tantummodo flagitabat.“ Mox subiicit: „sed filius eius, Rex Henricus, adhuc puerulus, Eigelberto, Fridingensi Episcopo creditus, legatione Stephani Regis, pacem rogantis, accepta, unico consilio Principum regni, patre nesciente, gratiam reconciliationis amuit: iuste et sapienter agens, qui regem, iniuste iniuratum, ultro petentem gratiam recepit in amicitiam.“ Securitatis huius gratia factum quoque, quod Stephanus Werinbarium Conradi legatum, Constantinopolim destinatum in regnum non admisit: Eodem tempore, inquit idem Wippo l. c. „Werinbarius; Argentiniae ciuitatis episcopus, ab Imperatore (anno 1028.) legatus Constantinopolim mittitur: Mirabiliter prohibitus. Nam dum magnam comita-

tum hominum, maiorum quoque mutorum animalium, equorum, boum, ouium, porcorum, multasque delicias seculares ultra modum secum educeret; perueniens in Ungariam, a rege Stephano contradicta est illi via, quod eo tempore nulli oratorum accidit. *)

§. 239. Stephanus Rex Christianus, Religionis et Ecclesiae tutor et inspector: hoc in merito, legibus ecclesiasticis auctoritate etiam regia sancitis, a Péterfio, conciliorum Ecclesiae nostrae editore, sequentibus celebratur (P. I. num 1.) „Adolescente religione Christiana, et repurgatis magna Stephani cura gentilium sentibus, in agrum Domini abibat Hungaria; ex quo plenos Ecclesia receptura manipulos, illius potissimum opera in firmanda Christi lege uti voluit, in quo prima deponens regni insignia, Apostoli una merita et nomen agnouit. Quae, quantaque Stephanus egerit, ut populum, quem nactus est, detera semper barbarie, Deo initiaret, annalium potius, quam instituti nostri argumentum est. — Mitiores ergo Hungari ad ferendum Christi iugum, felicitatem primam suam intueri, certas subinde leges admittere coeperunt, quae uti sacram, profanamque ligarent rempublicam, ita ad recti, honestique limites mores gentis arctarent. — His ossibus molem hanc, quam videmus, regni compegit, et suis velut neruis adstrinxit; quo sanctum illud, tenerumque adhuc religionis orthodoxae corpus saluum praestaret. In eas porro prouincias intuitus Stephanus; quae recens posita feritate, in nouas sese Petri colonias formari, et principum suorum exemplo inuitatae, ad dignam Christiano nomine vitae modestiam flecti sinebant, studia itidem sua eo conuertit, ut errantem et froeno quasi liberam gentem, piis monitis, infra humanae non minus societatis, quam illatae nuper ecclesiasticae disciplinae fines contineret. Nec poterat meliori consilio, initiatos iam Deo Hungaros, aduersus ritus veteres, et infelici haereditate posteris transcriptos obfirmare; atque diluculum illud fidei totidem fere radiis, quot legibus, ad plenum usque meridiem animaret. — Inde

*) Primam hic videmus Hungarorum insurrectionem; fuit illa, praedis ac mancipiis lege Christiana prohibitis, vel sera vel admodum exilis: nam irruptio hostium a Protherege magis piis precibus, pacis rogatione, et partium iactura fuerit auersa, quod Wippo, Capellanus Gonradi Imperatoris ita narrat: „Valde commotus Imperator Conradus, cum grandi exercitu super Ungaros venit. Rex autem Stephanus minime sufficiens aduersus Imperatorem, orationibus et ieiuniis in uniuerso regno suo indictis, praesidium Domini tantummodo flagitabat. Imperator tam munitum regnum fluviiis et siluis intrare (ultra Rabam) non valens, multa tamen praedationibus, incendiis, circa terminos regni, iniuriam suam ulciscens, reuersus est: volens tempore oportunitate coepta sua peragere; sed filius suus, rex Henricus, adhuc puerulus, Eigelberto, Frisingensi Episcopo creditus, legatione Stephani regis pacem rogantis, accepta, unico consilio Principum regni, patre nesciente, gratiam reconciliationis annuit, iuste et sapienter agens, qui regem iniuste iniuriatum, ultro petentem gratiam, recepit in amicitiam.“ ad annum 1030. En infaustum natorum militum insurrectionis generalis principium! Iniuriatus rex, precibus pace rogata, ac partis regni iactura, receptus in amicitiam! Katona, Pray, hanc partis regni iacturam, studiose tegunt; insurgentium nostrorum inertiae parentes: ast incassum: lege Diploma nro. XXXV.

quippe profecimus; inde primus Sanctimoniae vigor in patriam; ceu ab anima dimanavit, et concreditum fidei semen in laetam adeo segetem assuxit. — Sanctiones omnes, in unum fascem collectae, regii decreti nomen accepere. Quod sane sub initium, deletis nondum maiorum vitiis, pernecessarium erat, ut, nihil profectura in rudi populo mansuetiore pastorum industria, Principis demum auctoritas, unde vis et pondus conscriptis nuper legibus accessit ad amplectendum sanctius vitae genus, nonnihil obnitentes compelleret. Quis enim existimet, adultam tot seculis petram episcoporum duntaxat institutione emolliri potuisse, si Regis fulmen et potestas aduersas plerumque piis conatibus ceruices non fregisset? Oportebat nempe, ut Stephanus se murum pro domo Dei opponeret, ne excusso subinde Christi iugo, et feritate ad mores reduce, inuisos hactenus fidei magistros populus impeteret. — Imo speciali etiam ratione fecit ac facere debuit, ut S. Rex de rebus ecclesiasticis statuta conderet, atque ipse huiusmodi statutis condendis adesset. Erat enim ipse non solum Rex, sed et Apostolus Hungariae, atque etiam Pontificis Romani, in Ecclesiis Hungariae disponendis, eius nutu et ordinandis vicem gerebat. Pari fere ratione hodierna regni comitia aguntur; tametsi in iis plurima ecclesiae paci, commodo et necessitati, per episcopos et optimates constituuntur, quae in legum nostrarum serie locum et robur obtinent.“ — Huius tutelae et inspectionis complura transscripsit argumenta vitae S. Stephani testis: „Ipse quoque Rex — singulis annis, quoad vixit, munera et oblationes semper augebat, ne aliquid extrinsecus quaerent, qui officio sanctuarii praerant. Monachorum vitam et conuersionem, nunc per alios, nunc per se ipsum, explorando diligenter examinabat; torpentes arguens, vigiles sua dilectione constituens; Canonicorum ministerium Episcoporum prouidentiae sub testimonio Christi et Ecclesiae commendabat, secundum Apostolum omnibus omnia factus, ut omnes lucri faceret.“ L. c. pag. 136. „Infra terminos suae dominationis nomen adeptus est Apostoli, et quamuis super se euangelisandi non assumpsit officium praedicatorum; tamen Dux et Magister eius, tutaminis et sustentationis instituit solatium.“ Ibid. p. 143.

§. 240. Stephanus Pater: cuius nomen ipse Deus haud dedignatus, partes omnes tenerrime impleuit Stephanus noster: teste Hartuico l. c. p. 115. „Postquam, inquit, propitiationis Dei medicamine conualuit, tamen iudicio aeterni per secreti consilii quamdam examinationem in filiorum suorum obitu, sibi sensit immitti verbera, quod in ipsis infantiae gradibus iufantes, qui dedit, abstulit. De quorum morte moestitiam obortam Genitor propter amorem filii superstitis, bonae indolis pueri, Emerici, compescuit solatium, quem quasi iam unicum charo diligens affectu, precibus Christo quotidianis, et eius Genitrici Vtrgini perpetuae commendauit. Hunc sibi fore superstitem, hunc regni haeredem, votis omnibus desiderauit; et ut efficax fieret ad tenenda tanti regiminis gubernacula, viro- rum documentis orthodoxorum, usu lectionis quotidianae, fecit auditum utrumque praebere. Ipse quoque paternae dilectionis ardore compunctus, libellum sibi de institutione morum composuit, in quo fideliter et diligenter verbis eum admoniti- ouis spiritalis alloquitur instruens, qualiter ante omnia debeat obseruare fidem

catholicam; confirmare statum ecclesiasticum; honorem impendere dignitati Pontificum; Principes et milites diligere; iudicium obseruare; patientiam in omnibus actis habere; hospites benigne recipere; benignius nutrire; sine consilio nihil agere; Maiores suos semper ante oculos ad exemplum statuere, orationis officium frequentare; pietatem et misericordiam cum caeteris virtutibus possidere.“ — Sed paternam suam in Filium teneritudinem viuidius ipsemet explicuit in praefatione, dum hortatur Ducem ad capessenda paterna monita et praecepta, hisce verbis Corp. Juris Hung. Decr. I. „In nomine Sanctae Trinitatis et indiuiduae Unitatis. Quum cuncta Dei nutu condita, suaque euentissima praeordinatione disposita, tam in amplitudine caeli, quam in istis amplissimis terrarum climatibus, ratione intelligentiae funditus sentiam vigere atque subsistere; quumque affatim uniuersa huius vitae utilitati, dignitatiue gratia Dei concessa, scilicet regna, consulatus, ducatus, comitatus, pontificatus, ceterasque dignitates, partim diuinis praeceptis, atque institutis, partim legalibus, partim iuridicis, partim ciuilibus, ac nobiliorum, aetateque provectorum consiliis, suasionibus, regi, defendi, diuidi coadunari videam; et quum omnes ordines ubique terrarum cuiuscunque sint dignitatis; non solum satellitibus, amicis, seruis praecipere, consulere, suadere; sed etiam filiis, pro certo sciam: tunc me non piget, fili amabilissime, hac vita comite, tibi documenta, praecepta, consilia, et suasionem parare; quibus tuae vitae mores, tibiue subiectorum, ornes, quando summa potentia concedente, post me regnabis. Te autem studiose adhibita audientia, patris praecepta, iuxta diuinae sapientiae suam condecet obseruare, dicentis per os Salamonis: Audi, fili mi, patris tui disciplinam, et ne dimittas legem matris tuae, ut addatur gratia capiti tuo, et multiplicentur tibi anni vitae tuae. Ex hac ergo sententia animaduertere poteris, si ea, quae paterna pietate tibi praecipio, contempseris, quod absit: quod amplius amicus Dei et hominum non eris. Audi vero inobedientiam praeuaricatorum praecepti, casum et praecipitium: Adam quidem, quem Dominus conditor, totiusque creaturae plasmator, ad suam formauit similitudinem, eumque uniuersalis fecit haeredem dignitatis, vinculum fregit praeceptorum, statimque dignitatem sublimitatem, ac mansionem paradisi perdidit. Antiquus quoque populus, a Deo electus et dilectus, quia ligamina mandatorum digitis Dei condita, disiecit, idcirco diuersis interijt modis, partem quamdam terra deglutiuit, partem quoque exterminator mortificauit, et pars inuicem se interfecit. Filius quoque Salamonis, abiiciens pacifica verba patris, ac superbia elatus, minatus est populo percussiones frameae pro mastigiis patris; idcirco multa mala passus est in regno, et ad ultimum deiectus est. Hoc tibi ne accidat, obedi fili mihi. Puer es, deliciarum vernula, puluinaris accola; lotus, educatusque in deliciis cunctis; expeditionum, laboris, atque diuersarum gentium incursionis expers, in quibus ego iam fere totam meam contriui aetatem. Jam tempus adest, in quo tibi non semper puluinarium mollities, quae te hebetem et delicatum reddant, adhibendae sunt, quod est dissipatio virtutum, et vitiorum fomentum, atque contemptio mandatorum; sed interdum asperitas tribuenda est; quae tuam intelligentiam ad ea, quae praecipio red-

dant attentam. His itaque praefatis, redeamus ad propositum.“ — Concludit cap. X. „Fili mi amabilissime, dulcedo cordis mei, spes futurae sobolis; precor iubeo, ut per omnia et in omnibus sis pietate fultus.“

§. 241. Stephanus Christianus: Inter amplissima, quae nomen hoc complectitur officia, praecipua sunt misericordiae opera: Erga hospites, Angliae Regis filios: Canutus s. l. Daniae Rex, anno 1017. regnum Angliae inuadens, ut regnum sibi redderet firmiter, non caedem solam Edmundi regis acerbissimis ultus est suppliciis, sed in domum quoque eius regiam saeuit: fratrem illius S. Eduardum, in Galliam fugauit, filios vero Edmundum et Eduardum, in Sueciam iugulandos destinauit, ad inuidiam declinandam: „Puerulos, filios Edmundi, scribit Alredus, Act. SS. Jun. Tomo II. ad diem X. ferire metuens, ad regem Suecorum eos interficiendos transiit. Rex vero Suecorum, nobilium puerorum miseratus aerumnam, ad Hungarorum Regem eos destinat nutriendos; quos ipse benigne excepit; benignius fouit, benignissime in filios adoptauit. Edmundo filiam suam dedit uxorem; Eduardo filiam Germani uxoris suae, Henrici Imperatoris, in matrimonium iunxit, sed paulo post Edmundus ab temporalibus ad aeterna transfertur; Eduardus hospitalitate, et prosperitate fruitur.“ Hunc Hungariae benignum Regem nominant quidam Angliae et Scotiae Scriptores nonnulli Salamonem, sed bene obseruauit Papebrochius errorem inde natum, quod in M. S. tantum initialis litera S. scripta fuerit, qua Salamonem, non Stephanum designari autumabant; haec certe nec aetati, nec genio regis nostri Salamonis, Stephano vero omni modo conueniunt. Inuolabilia haec hospitalitatis iura Stephanus certe in Bessis, alias Bissenis, veterum Vas, seu Chalibiorum posteris, e Ponto in Thraciam ac Bulgariam delapsis, per suos violata, acerbissime vindicauit, teste Hartuico l. c. pag. 152. „Fama nominis S. Stephani, in auribus multarum gentium secularium diffusa et indicis oris sui celebris laude ubique innotescentibus, sexaginta viri Bessorum, quorum superius mentionem habuimus, cum uniuerso apparatu suo, videlicet auri et argenti copiositate, multaque varietate ornamentorum, curribus onustis, de partibus Bulgarorum, egressi, ad regem Stephanum venire volentes, terminis Pannoniorum appropinquauerunt. At multi seruorum, quorum certus est animus flecti in vitium, malignitatis suae face succensi, obuiam illis exiuerunt, quosdam gladio percusserunt, omniaque, quae eorum fuerant, auferentes, vacuos et semiuiuentes reliquerunt. Illi vero Regi, quid actum, quidue perpassi sint, reseruantes, iter quod ceperant, peregerunt, et ad eum properantes, genibus se eius aduoluerunt. Quibus visis, quae causa, inquit, malorum? Mi Domine, referunt, nos serui tui, nihil mali machinantes, ad audiendam iudiciorum tuorum disciplinam, veniebamus; et quorundam manibus, quam nobiscum ferebamus, pecunia, absque delicto, omnium nostrum ablata est, insuper apprehensos aliquos caeciderunt, et vita vix comite, venimus, ut nunciaremus tibi. Rex ut erat prudentioris animi, non vultu, non verbis minatus est eis; sed sustinens, ut scribitur, prudens spiritum reseruat in posterum; misit ocius ad illum, sub quo militabant, tribunalum, et die constituto, omnes perditionis viros iussit con-

spectibus suis praesentari. Factum est, ut imperauerat, et ad discutiendum in praesentia sui constituti sunt. Quos alloquens, cur inquit, legem praeceptorum Dei transgredientes, non intellexistis misericordiam, et viros innocentiae condemnastis? Sicut fecistis, ita faciat Dominus vobis coram me hodie; transgressores enim legis feriendi sunt. Accepta sententia educti sunt, et per omnem regni ingressum duo et duo, suspendio perierunt. Quod ob terrorem aliis incutendum zelo eum iustitiae fecisse credendum est: ut quia regnum, omnibus hospitibus patens asylum esse volebat, sic liber omnibus introitus esset, ut nullus ingredientem quemlibet in aliquo laederet, vel molestare praesumeret; quod et factum est. Nam quoad vixit, nullus cuiuslibet hospiti quidquam molestiae inferre praesumpsit.“

§. 242. Praeceteris erga egenos et infirmos emicuit Stephani misericordia: „Inter omnia, ait Hartuicus l. c. p. 143. supernae miserationis beneficia beato regi concessa, prae omnibus sunt illa miranda, scriptis commendanda, quae locum primum obtinent ad aeterna vitae gaudia promerenda; misericordia scilicet: In omnibus enim factis suis felicibus illud intendebat esse praecipuum, quod ex Euangelio fidei pectoris contemplatus est visu super veritatis ipsius testimonium dicentis: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur; et in alio loco: Date et dabitur vobis. Tantis igitur miserationibus et pietatis brachiis Christi pauperes, imo Christum ipsum, amplexus est, quod nullus unquam hospes, et peregrinus ab eo sine benignitatis alicuius solamine tristis abscessit. Ad releuationem egenorum quotidianas expensas indeficienter fieri constituit: nocturnas vigiliis in lauandis Christi fidelium pedibus, et in abscondendis in sinu pauperum eleemosynis agiliter et hilariter transigere solebat; egenum Christum in membris suis consolari deliberans temporaliter, ut ipse vitae coelestis cameram, cunctis delectamentis refertam, inueniens, iucundari mereatur aeternaliter. Quadam vero nocte spirituali monitu tactus, nemine sciente, solus plenum homo Dei gerens sacculum Christi pupillum gregem solito more perrexit visitare; statimque pauperes distribuendae coelestis thesauri pecuniae disturbantes initium, viri Dei meritis euulsione barbae praebuerunt testimonium. Ob hoc gaudio perfusus maximo miles Christi, se contulit ad Beatissimam creatoris omnium genitricem, prostratus terrae gratias agens, sic exclamavit: Regina coelestis et mea, quem tu Regem statuisti, milites tui sic honorauerunt. Si ab aliquo aduersario mihi hoc fuisset illatum, meam iniuriam per tuum ulciscerer adminiculum. Sciens ergo Domina, hac aeternam mihi tribui felicitatem, nimis exulto; gratias agens Saluatoris verbis consolatoriis, quibus discipulos suos consolatus est; dicens: Capillus de capite vestro non peribit. His dictis vir Dei, se coelesti gratia percipiens visitatum, et spirituali chrismate perfusum, cordis ianuas opem petentibus nunquam claudere decreuit, sed per se deinceps et per alios, praecipue tamen per Christi seruos et familiares, clericos scilicet et monachos, coelitus sibi datas facultates in aeternis thesauris per manus pauperum fecit collocari. Huius rei testimonium quam plures exhibent, sed ex his unus in aeternum cum ipso coelestis vitae particeps Monachus,

ex seculari nobilitate conuersus et eremita, beatus Guntherus, qui hac liberalitate charitatiui principis illectus, saepius eum de terra Bohemorum visitare solebat. Quoties enim curiam ipsius aduentus sui fulgore perlustrauit, cura regni sub manu sua posita, peregrinis et indigis, viduis et orphanis, coenobiis et ecclesiis re distributa, quam continebat, in breui fuit exinanita. — Nec hoc praeter eundem censeo, quod in viro Dei, quanti meriti post obitum foret Diuina virtus, in vita sua demonstrari voluit. Quippe quoties alicuius hominis infirmitas auribus suis diffamata fuit, sibi pro medicina, quam tunc in praesenti poterat habere, particulam panis, pomi, vel herbae redolentis, mandans, ut sanus surgeret, transmisit, et Dei propitiatione verbum ipsius comitante, statim sospitatem recepit.“

§. 243. Feruor orationis: „Idem quoque rex, prosequitur Biographus, beata sollicitudine, regalium dispositione occupatus, tempus diuturnum colloquiis et consiliis transigens, per noctis silentium vigiliis et orationibus instare, contemplationi vacare, lachrimas fundere, Deum alloqui precibus, operam dedit; iustique iudicis moderationem super quotidianas iudiciorum discussiones misericorditer descendere flagitabat. Quod cum sedulo spiritualis desiderii frequentaret officio, nocte quadam, templo Dei longe remoto, descenderat quippe cum illo suo magno et nobili comitatu, fixis tentoriis in campestris amplitudinis loco; ceteris sopore depressis, surgens a lecto, cubiculum cordis ingressus, genibus flexis, solo labiorum motu aeternae miserationis ianuam gemitibus et lachrymis pulsabat. Cumque diutius precationibus insisteret, Domini sui Regis aeterni ministris, ad suscipiendas preces eius conuenientibus, papilio super eum extensus, a terra leuatus, tamdiu pendere coepit in aere, donec vir Dei ad se reuersus a contemplatione, spiritum relaxavit ab oratione. Quod licet inuisibiliter illi soli, qui res nouit ante, quam fiant, suique secreti consciis Angelis, fuisset cognitum, cuidam tamen magnae simplicitatis et innocentiae viro, qui tunc simili forsitan instabat operi, est manifestatum: quem Rex sanctus arcani simul sui conscium esse, per Spiritum sanctum edoctus, ad se vocatum, blandis prius sermonibus, quid vidisset, sciscitabatur; postea, ne cui patefaceret, quoad usque ipse viueret, interminatus est.“
l. c. p. 151—2.

§. 244. Patientia: „In beato quoque Rege constat Apostolicum illud impletum, quod legitur: Quoniam per multas tribulationes oportet intrare in regnum coelorum; et in libro Sapientiae: quos diligit Deus, castigat, et pater flagellat omnem filium, quem recipit.“ Multis enim modis correctioni diuinae succubuit: tribus annis infirmitate continua laborans. Postquam inde propitiationis Dei medicamine conualuit, tamen iudicio aeterni per secreti consilii quamdam examinationem, in filiorum suorum obitu sibi sensit immitti verbera.“ Sed maxime post obitum Principis Emerici anno MXXXI. graue traxit suspirium; videns enim se sine spe posteritatis derelictum, pietatis affectu doluit. Sciens vero scriptum: Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Et illud in canonibus: Neminem propter obitum charorum, nimium debere contristari; de-

posito moerore se totum contulit ad quaerendum largitatem misericordiae diuinae: coenobiorum et ecclesiae ministris, monachis, clericis, diuersis eleemosinarum donis consolatis, expensam, totius sumtus, quam tunc habere poterat, peregrinis, viduis, et orphanis erogat. Exterarum etiam monasteria prouinciarum munificentiae regiae donis innumeris per nuncios suos saepe visitauit." p. 155—7.

§. 245. Iniuriarum condonatio: „Post non multum temporis aegrotationem incurrit, qua postmodum corpore excessit, longaque languoris molestia ingrauescente, in pedibus stare nequibat. Videntes autem quatuor nobilissimi Palatinorum, diu grauiterque laborantem, nam ipsi in perfidia cordis adhuc errantes, consilium iniquitatis duxerunt, occasumque eius in mortem conati sunt tractare: Iam die aduesperascente, antequam in domo lucerna accenderetur, unus eorum audacter sub obscuro ingressus est, et ad iugulandum regem ensem nudatum sub clamide tegebat; dum pedem inhiheret, ubi Rex quiescebat, reuera coelesti impulsu, gladius corruit, percussaque terra tinnitum reddidit; statimque Rex audiens causam requisit, cum quid fuerat, praesciebat. Ille vero anxius corruit, consilium furoris sui recognouit; doluit, accessit, procubuit, vestigia amplexatus est; se deliquisse confessus, sibi indulgeri precatus est. Veniam quaerenti non auertit faciem, facile dimisit. Denique iussu Regis homicidae illi inuenti sunt, et aduersus eos iudicio locutus, digna eos mulctauit sententia.“ l. c. p. 158.

§. 246. Perseuerantia usque finem. „Grauedinem morum, quam in iuuenta receperat, usque ad finem vitae tenuit; vix unquam ad risum labia mouit, recolens scripturam: Risus dolore miscetur, et extrema gaudii luctus occupat. Semper sit apparens, ac si ante Christi tribunal staret, interioris mentis oculis eius praesentiam vultu sereno conspiciens, Christum in ore, Christum in corde, Christum in cunctis actibus, se gestare demonstrauit. Diem ultimum semper ante oculos cordis statuens, toto mentis desiderio inter patriae coelestis ciues, quasi quodam Angelicae conuersationis habitu, cupiebat habitare; cunctis Deo placitarum virtutum generibus, in sanctitate, et iustitia coram ipso omnibus diebus vitae suae conuersari decreuit, ut in eo iam, ceu quaedam futurae glorificationis species, clarescere videretur. — Tandem per misericordiam Dei dignus centuplicari retributionis brauiio, tactus febris, cum sibi diem transitus imminere non ambigeret, accersitis episcopis et primis palatii, de Christi nomine gloriantibus; primum cum eis tractauit de substituendo sibi Rege; deinde paterne monuit illos, catholicam fidem obseruare, quam acceperant, amare iustitiam, vincula supernae charitatis diligere, et charitati operam dare, humilitatis studio inuigilare, praee omnibus vero nouellae christianitatis plantationi custodiam adhibere. His dictis manus et oculos leuans ad sidera sic exclamauit: Regina coeli, reparatrix incluta mundi, tuo patrocinio sanctam Ecclesiam cum Episcopis, et Clero, regnum cum Primatibus et populo sub tuis precibus committo; quibus ultimum valedicens, manibus tuis animam meam commendo. — Instabat tunc solennitas praecipua, celebris Angelis et hominibus, dies Assumptionis Mariae; in cuius gaudio dissolutio sui corporis fieret, misericordiae spem maioris se sperans habiturum, precibus haec

spiritualibus postulavit suspiriis, et lachrymis obtinuit. Aderat felix illa dies, per eius obitum felicior mox futura; circumstabat cum clero paternitas Episcoporum, cum manu ministrorum principalis chorus Comitum; ubi perdilectus in medio iacens, accepta unctione spiritalis sacramenti, sanctam animam, corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi viatico recreatam, anno Dominicæ Incarnationis MXXXVIII. in manus perpetuæ Virginis et Sanctorum Angelorum, aeternæ quietis beatitudini inferendam tradidit. Factus est planctus maximus suorum, gaudium Angelorum; sed hic planctus postea versus est in lætitiâ sempiternam tam nascentium, quam viventium populorum." P. 158—161. Ecce, sic moritur Justus! Albaeregiae, in Basilica tunc consecrata, iustis solenniter persolutis, sepultus. Ibid. p. 162. Chron. Thur. P. II. cap. XXXI.

Emericus Dux Hungariae.

§. 247. Emericus, S. Stephani e Gisela, Henrici II. Imperatoris sorore anno MVII. Albaeregiae natus, nomen Henrici ab illo adeptus, quod nostri in Emericum commutarunt. Fuerit secundo genitus testimonio Pelbarti compilatoris, in vita S. Stephani dicentis: „Nam filii sui paruuli, videlicet Otto et alii, quorum nomina tacentur, diu ante mortem regis decesserunt, solus B. Dux Emericus remanserat, quem credebat post se regnaturum.“ Recens in lucem edito Basilii, orientis Imperator, insignem portionem de ligno viuifice crucis dono misit, teste Crommero Rerum Polon. Lib. III. ad annum MVIII. Pater Gerardo, Venetiis in Hungariam paulo post aduenienti, eum commisit instruendum, ut illius Biographus indicat cap. IX. „Fecitque Stephanus eum filii sui Emerici ducem et magistrum multis diebus.“ — „Factum est autem, cum videret Beatum Emericum crescere in virtutibus, honestamque Hungarico genere, Christo auxiliante ducere vitam — — ut populi strepitus euitaret Gerardus, eius regionis eremum, quam Beel vocant, petiit.“ Tum Pater, quum videret et bonitate indolis et miro gratiæ diuinæ ductu, animum adolescentis suapte ad omnes virtutum genus ferri, ipse sibi illius instituendi partem sumserat, ac sensim ad regni gubernacula formare coepit: quo Hungariae non penitus ad christiana sacra ductæ idoneum iis temporibus successorem relinqueret. Institutionis documenta iam præmisimus. Virtutes Henrici pietatem, munificentiam, et castitatem Biographus eius commendat.

§. 248. Emerici pietas: „Beatus Emericus, modico contentus somno, per singulas noctes, cunctis se in lecto collocantibus, et, ut regiam docet sobolem, duobus candelabris ante se lucentibus, in psalmis Deo decantandis inuigilabat, et in vnus cuiusque psalmi fine veniam cum cordis contritione a Deo postulabat. Quod pater eius caute, imo et occulte per rimam parietis saepe prospiciebat, nulli tamen manifestare volebat. In his omnibus nobis considerandum est, quam pie, quamque misericorditer nostræ imbecilitati a Deo consultum, quum non solum militiae regula nobis verbo tenus instituitur, sed et sanctorum vita ad imitationem tanquam directa via proponitur.“ Edit. Pray. p. 88.

§. 249. Castitatis religiosae cultus: „Quodam tempore cum Beatus Rex Stephanus ad Ecclesiam S. Martini, quam ipse in monte Pannoniae inchoauerat, et egregia Monachorum congregatione decorauerat, una cum filio orationis causa aduenit, Rex sciens pueri praecellens meritum, honorem, qui ei decuit, impendit filio. Nam cum praedicti fratres peracta processione salutaturi Regem accessissent, propter reuerentiam filium suum praemisit ad salutandum. Puer autem Emericus, Spiritu sancto repletus, prout diuina sibi gratia reuelante singulorum merita nouerat, singulis inaequaliter, oscula distribuit. Alii siquidem unum, alii tria, alii vero quinque, postremo uni septem continuauit. Quam rem caeteris quoque intuentibus Beatus Rex Stephanus tacite admirabatur. Colloquio familiari, Missaque finita, cur illis inaequaliter oscula distribuisset, diligenter ab eo sciscitatus est. Beatus itaque Emericus singulorum merita coram patre pertractans, uidelicet quanto temporis spatio singuli in virtute continentiae perstitissent; sub ea consideratione se plura aliis et pauciora aliis oscula dedisse edocuit; eumque cui septem multiplicauerat oscula virginalem vitam perduxisse, asseruit. — Huius internae reuelationis veritas in eo comprobata etiam est. — — Beatus Stephanus mox filii sui verba rata esse cognouit: rei ordine narrato Maurum extulit laudibus, cui filius septem libauit oscula, et ut locus pontificalis per eum decoraretur, paulo post eum in episcopatum Quinqueecclesiensem sublimauit.“ L. c. pag. 90—91.

§. 250. Votum castitatis perpetuae ab Emerico clam emissum, obseruatum quoque: „Posthaec autem Beatus Emericus aetate proficiens per virtutum suarum merita gloriosa, semper augmentabat insignia. — Contigit, ut nocte quadam orationis causa secreto, uno tantum contentus famulo venustissimam et antiquissimam, quae in Vesprimiensi ciuitate ad honorem pretiosissimi Martyris Christi, Georgii fabricata est, intraret Ecclesiam, ibique orationi vacando, quid acceptabilius Deo offeret, penes se tractaret; subito lumen cum ingenti claritate totum Ecclesiae circumfulsit aedificium; in quo vox diuina de supernis sic intonuit: praecleara est virginitas; virginitatem a te mentis et corporis exigo, hanc offer, et in hoc persta proposito. Ille autem non in se praesumens, sed ad gratiam tamquam ad veram medicinam confugiens ait: Domine Deus Uniuersitatis inspector, et humanae imbecilitatis adiutor, qui aufers spiritum Principum, et terribilis es apud Reges terrae, beneplacitum tuum in me perface, et noxios motus, qui contra animam militant, rore misericordiae tuae exstingue. Itaque beatus Emericus eadem hora in verbo Diuinae consolationis confortatus, secretum hoc apud se conseruabat, et ministro illi, qui huic diuino colloquio et aliis plerisque solus aderat, ne cuiquam rem huiusmodi usque ad obitum suum aperiret, obsecrando interdicebat. — Interea dum ex Paterna dispositione virgo nobilis, utpote orta de regali prosapia Beato Emerico desponsata esset, et adducta, ut ex utraque regali linea regia posteritas imposterum succresceret; ipse carnalem generationem, quia corruptionem, spirituali proposito virginitatis postponens ieiuniis corpus macera-

bat, animam autem verbi Dei pane saturabat, et ne qua carnis titillatio ei dominaretur, intactae suae coniugis incorruptam serauit virginitatem." l. c. p. 91.

§. 251. Emerici Ducis obitum aetatis XXIV. anno MXXXI. pro maximo Patris ipsius dolore iam memorauimus ex Hartuico §. 244. Virginitatem mortem usque seruata coniux, Cicca Regis Croatiae Crescimiri II. filia, votum eius seruus prodidit: „Verum ubi corpore dissoluto, continuat biographus l. c. pag. 94—95. in aetate adhuc iuuenili data est ei haereditas in terra viuentium, Sponsa (coniux) sua testimonium virginitatis ei praebuit; familiaris autem ille minister, quae viderat, frequenter et audierat, ultro non abscondit.“ Ita imitatus est S. Henricum, qui S. Cunegundem coniugem suam, agnatis intactam his verbis restituit: Recipite, quam mihi tradidistis virginem vestram. Dies depositionis S. Ducis accidit II. Septembris, iuxta calendaria vetustissima. — Hartuicus adstipulatur dicens: „Anno MXXXI. dominicae Incarnationis, vitam hanc exilialem commutauit sempiterno superiorum ciuium adiunctus contubernio; cuius animam, ipsa transitus sui hora, cuidam episcopo Graecorum, sanctae conuersationis viro, reuelatum est, deferri per angelos ad coeli palatia. Verum quia pro sanctitatis suae meritis summo ab omnibus diligebatur affectu, ortus est ingens luctus omnium, sed maxime Principum, inter quos pater desolatus, graue traxit suspirium: videns enim se solus sine spe posteritatis derelictum, pietatis affectu doluit.“ Confer Chron. Thurotzii P. II. cap. XXVII. Ipsum, Ducem Russorum, in venatione ab apro discissum, periisse; Chronographi Hildesheimensis error est an. 1031. Chronicon quippe Thurotzii P. II. cap. XXXIII. expresse ait: „Beatus Dux Emericus propria morte praeuentus est. Fleuit autem eum Sanctus Rex Stephanus et uniuersa Hungaria inconsolabiliter planctu magno valde. Tanta vero doloris acerbitate sanctus Rex Stephanus acerbatus in grauissimam incidit infirmitatem.“ Humatus fuit Albaeregiae: ut e lapide sepulchrali patet: Edit. Pray. pag. 96. Coniugem eiusdem Ciccam, non Chicam, Crescimiri II. Croatiae Regis, quem Prayus Constantinopolim captiuum deductum erronee supposuit, coniugem fuisse, diplomata in Codice producta, docent: Confer etiam Katona Tomo I. p. 313. sqq.

Gisela Regina Hungariae.

§. 252. Ut Gisela, Hungariae Reginam, sacrae Stephani Regis, ac Emerici Ducis consortio associemus, illius fides, pietas, et bona opera, quibus iugiter intenta fuit, exigunt. Eius cognationem Biographus S. Wolfgangi plenissime expressit apud Mabillonium Sec. V. Bened. P. I. p. 827. „Henricum, Henrici Rixosi Bauariae Ducis, filium, qui postea Dei nutu rex est effectus, praenominavit Regem; fratrem vero eius Brunonem appellauit Antistitem; sororem eorum maiorem (Gisela) reginam; alteram autem (Brigittam), quam baptisauit, et de sacro fonte suscepit, nuncupauit Abbatissam. Haec sicut ipse praedixit, impleta cernimus.“ Stephano, Geysae filio. baptismi ab eo suscipiendi conditione desponsa; nuptias celebrauit anno 995. diademate redimita anno 1000. ut supra vidimus.

§. 253. Primum eius pium opus fuit fratrum Henrici Imp. et Brunnonis re-

conciliatio, ex Adalboldo, Sancti Henrici biographo nouimus: qui postquam narcasset, quomodo Bruno factiosis aduersus Henricum adhaeserit, subiicit (Act. Sanct. Jul. tomo III. pag. 751. ad annum 1009.) „Dominus Bruno autem, apud Bulizlaum (Boleslaum Bohemiae Ducem) consolationem non inueniens, ad sororem suam Ungaricam Reginam (Gisela) confugit, et etiam semet ipsum recognoscens, intercessionem eius implorauit.“ — Effectum etiam intercessionis huius prodidit: „Ibi (Ottingae) inquit, Henrico Imperatori dominus Bruno cum legatis Ungarici Regis, qui ad intercedendum pro eo veniebant, ad se reuersus obuiam venit, et et veniam pro commissis humiliter postulans, fratris viscera mouit, et celeriter ad ignoscendum flexit. — Qua decuit ergo pietate recepit, et receptum, qua debuit familiaritate sibi colligauit.“ Piae munificentiae eius opera edisseruit Hartuicus saepe laudatus l. c. dicens: „Gisela, qualis erga Dei cultum exstiterit, quam frequens et benedicta (benefica) circa Dei seruientium congregationes apparuerit, multarum Ecclesiarum cruces, vel vasa, vel paramenta, opere mirifico facta, vel contexta, usque ad hodie testantur. Prae cunctis tamen domus episcopalis Vesprimiensis, quam ipsa a fundamento coeptam omnibus sufficientiis ad seruitium Dei in auro et argento, vestimentisque multiplicibus nobiliter adornauit.“ Chronicon Budense eiusdem in ornandis Ecclesiis studium non inferiori encomio commendat: „Consuetudo, inquit, sancti Regis Stephani maior illa fuit, quod omnes Ecclesias, quas ipse fundauerat, in quolibet anno ad minus tribus vicibus visitabat, et dum ad ipsas Ecclesias deuenisset, primo ad omnia altaria pergebat, et singulis singulas preces effundebat; tandem exeundo parietum et tectorum vitia perspicacibus oculis, et morose inspiciebat, et statim meliorari procurabat, nec a loco illius ciuitatis aut villae recedebat, nisi prius vidisset renouari. Quo experto Regina Keysla, dum ad aliquas Ecclesias in Hungaria deuenisset, omnes apparatus in domo Domini existentes, sibi praesentari faciebat, et renouanda tam in sindone, quam in bisso, omni anno renouabat. Filius autem ipsorum B. Emericus purpureas vestes proprias ante altaria deponebat, pro altaribus induendis; sicut patet in Ecclesiis regalibus usque modo.“

§. 255. Munificentia Giselaе oras quoque exteras peruasit: Indicium huius produxit Mabillonius Annal. tom. IV. pag. 206. docens: Ad Joannem XIX. PP. missam fuisse a Stephano Hungarorum Rege, et Gisla, eius coniuge, praetiosam casulam, quae modo in Metensi S. Arnulfi basilica, ex dono ut creditur Leonis Papae IX. asseruatur, in cuius posteriori parte haec verba aureis literis, textili opera, adscripta sunt: S. Ungarorum Rex, et Gisla, dilecta sibi coniunx, mittunt haec munera Domino Aplico Johi.“ Consimile pallium ad Ferdinandum Caesarem aetate nostra de Pannoniae insignibus allatum Brouerus memorat, cuius in fimbria Giselaе nomen inscriptum erat.“ Ipsum etiam pallium inter cimelia regni relatum eius munificentiae debetur: ut haec verba eidem intexta produnt: „Casula haec operata et data Ecclesiae sanctae Mariae sitae in ciuitate Alba, anno incarnationis Christi M. XXXI. Indictione XIV. a Stephano Rege, et Gisla regina.“ Confer Jos. Koller opere prae laudato de sacra regni corona.

§: 256. Gisela a Rege Stephano plures suscepit liberos, quod ipse Protorex literis, quibus fundos Sanctimonialibus de valle Vespem donat, luculente testatur, idem Hartuicus quoque ac Simonis de Keza Chronicon prodidit. Quae Chronicon Thurotzii de Vazulis in carcere Nitriensi excoecatione tradidit, P. II. cap. XXIV. Gisela nostrae S. Stephani coniugi, Emerici Ducis matri, S. Henrici sorori, absque iniuria succenseri haud posse, recte protestatus est RR. Prayus Diss. de S. Ladislao, pag. 109. „Non improbabilem, arguit suspicionem esse, quidquid Vazuli factum est, Gisela S. Stephani sororis, Petri Urseoli, Venetiarum Ducis viduae, in Hungariam cum filio Petro reuersae, consiliis factum esse; quae dum Petro filio regnum parat, cui ad id inuadendum, si res male caderet, militia in potestate, constitutione Stephani, erat, nihil pensi habuerit, corruptis precio quibusdam Hungaris, Wazulem a fratre Stephano, successorem destinatum, e fossis oculis, regimini ineptum reddere. Alioquin scitum est, quid matres filiorum amore, si se occasio, cuiusmodi hic certe fuerit, adipiscendi regni praebeat, moliri soleant. Nec necesse est, si Stephanus sanctimonia claruit, eius sororem quoque ita probam fuisse, ut id effectui dare vereretur. — Ex quo facile, ut annales domestici narrant, factum etiam fuerit, ut Stephanus patruelis sui (Ladislai Calui) filii fugae auctor fuerit, ne simili modo impotentia foeminea afficerentur. — Nostri scriptores similitudine nominis decepti, quae de excoecato Vazule sorori Regis Gisela tribuenda erant, in eius coniugem traduxisse.“ Huc spectant etiam Chronici Thurotziani verba: „At Regina Keisla, cum Buda satellite scelerum (excoecationis Vazulis) Petrum Alemannum, vel potius Venetum, fratrem reginae (filium suum) praeficere statuerunt, hoc intendentes, ut regina Keisla (soror S. Stephani) motus suae voluntatis, pro libitu suo posset complere.“ Si Gisela S. Stephani uxor commisisset hanc contra Vazulem immanitatem, in Hungaria permanere, ac consenescere nequiuisset, quod Hermannus Contractus ad an. 995. de eadem perhibet. Qui Petrum a S. Stephano constitutum asserunt, Wippo, Contractus, Chronicon Mellicense, atque biographus S. Ladislai, rem e successu metiti, iurisque patrii ignari, semet decipientes, alios in errorem induxerunt. Gisla, soror S. Stephani, ut Albericus ad an. 1010. notat, multas malicias in terra illa fecit, et extremum post mortem S. Stephani Regis, meritis exigentibus interfecta fuit.“ — Poenam talionis luit etiam Budeus, huius Gisela apparitor: „Quem nequissimum Palatinorum, Procere execrati, ad necem deposcunt; regeque Petro contra hiscere non auso, frustillatim concidunt; liberis eius oculos excludunt.“ Brünnerus ad an. 1042. Gisela S. Stephani viduam, Passauium non concessisse, monasterio Niedernburgensi haud praefuisse, sed in Hungaria mortuam, sepultamque esse, Diss. de S. Ladislao p. 111. sqq. argumentis tam e lapide illius sepulchrali Vesprimiensi, tum e diplomate S. Ladislai de anno MCXXXII. euicit.

IV. Gerardus Episcopus Chanadiensis.

§. 257. Gerardus ita vitae beati Stephani atque Emerici est innexus, ut illius sui abnegationem, et sacrificium ad implantandam Hungaris religionem Christi,

usque obitum Sancti Stephani, recensere sit omnino necesse. Vitam illius mox post obitum anno quinquagesimo monachus ordinis S. Benedicti, domi nostrae consignavit, quam Arnoldus Vion, monachus Flandrus notis illustravit an. 1597. recensuit Ignatius C. Battyányi Episcopus Csanadiensis an. 1801.—Biographus Anonymus ita tradit: „Gerardus huius lucis lumen per Venetos parentes sortitus, Dei gratia illum praeueniente, ab ipsa pueritia coepit domino nostro Jesu Christo esse deuotus, et doctrinae Euangelicae per omnia parere. Itaque et ipsum monasticae religionis habitum puer accepit, sinistramque primi parentis viam declinans, noui hominis secundum Deum creati vestigiis insistens, regionis per inobedientiam amissae, nempe paradisi, gaudia adolescens studuit appetere et amare. Cuius pater, Gerardus nomine, de familia Sagredo (siue de Secretis), quum esset inter alios nobiles conciuēs nobilis, duxit sibi uxorem de eadem ciuitate nobilem, moribus ornatam, a parentibus in timore Domini eruditam, eleemosynis, bonisque operibus ceteras mulieres praeeminentem. — Quadam autem die ait uxori suae: mulier esto secunda, et ora Deum, et sanctam Dei genitricem, ut nobis donet haeredem; multos namque transierant dies sine liberis. Tribus itaque annis euolutis, in die beati Georgii martyris filium, quem a Domino postulauerant, receperunt; unde in Baptismo Georgius appellatus est anno 986. Erat autem carus suis parentibus, a quibus diligenter educatus, quum esset quinque annorum, coepit magnis febribus aestuare. Quod videntes parentes eius, obtulerunt eum sancto Georgio Martyri, cum oblationibus ad eius monasterium (anno 982-o fundatum) deferentes puerum pro obtinenda sanitate, coram Abbate, et monachis. Ad quorum orationes quum esset sanatus, vestitus est habitu regulari; transactoque in scholis monachorum quinquennio, magister eius, considerato sagacitatis eius ingenio mirabatur, quod eos, qui ipsum praeiuerant, scientia antecelleret. Ordinatus fuit sacerdos anno circiter 1011. Quod cum matri Georgii innotuisset, post obitum patris, plorans et lugens maritum, multo tempore, venit ad praenominatum monasterium; lugensque virum dicebat: heu me Gerarde, cui nunc dimisisti filios tuos? Propter quod petiuit patrem monasterii, ut filio Georgio nomen patris imponeret. Unde vocatum est nomen eius ex eo die Gerardus. Post annos duos (aetatis circiter XXVII.) ad tempus prouectoris aetatis placuit omnibus ipsum praeficere officio Prioratus: in quo dum sine reprehensione conuersaretur, factus fratribus ceteris regularis disciplinae in exemplum; octauum gradum — humilitatis — festinabat adimplere. Quadam die, quum Abbas suus Guilelmus conuentui interesset, dixit: fratres carissimi, necesse est, ut ex nobis aliquos, quos aptiores inueneritis, pro adipiscendo fructu scientiae ad studium transmittamus, ne ordo patris nostri sancti Benedicti in scientiis detrimentum patiatur. Placuit autem fratribus verbum abbatis: et constituerunt Gerardum et Serdianum, quos datis expensarum necessitatibus Bononiam transmiserunt. Ibi notabiliter egregieque in scientiis Grammaticae, Philosophiae, Musicae, et Decretorum, omniumque liberalium scientiarum artibus instructi, quintq ab hinc anno a studio reuocati, ipsarum scientiarum libros secum asportarunt. (An. 1018.)

Defuncto autem patre monasterii, magister Gerardus eligitur in abbatem; qui quum suscipere onus recusaret; a conuentu tamen prius de inobedientia increpatus, pater monasterii, licet inuitus, ordinatus est. Tempore autem, quo praefatum monasterium regebat, se ipsum diuina coadiuuante gratia, in exemplum cunctis fratribus exhibebat. Omnia videlicet, quae docebat discipulos esse contraria, in suis indicabat operibus non agenda.“

§. 258. „Quum sic igitur sincero animo sanctam vitam duceret, post nonnullos monasterialis regiminis annos, cupido ei incessit dominicum sepulchrum inuisendi, ut Christum, qui, quum diués esset, propter nos egenus factus est, inops ipse et pauper sequeretur; visitaretque locum, quem Christus in praesentia glorificauerat. Haec igitur dum anxie cogitaret, proponeretque ad monasterium S. Hieronymi Bethlehem, ut lectione librorum eius frueretur, pariter proficisci, tentabat officium Abbatis, quod susceperat, resignare. Quod cum fratribus innotuisset, quibusdam quidem placuit, quibusdam non; ita ut discessio eius terrorem grauissimum, et anxietatem spiritus omnibus incusserit.“ Postquam idem biographus narrasset, quomodo Gerardus iter Hierosolymitanum cum quibusdam sociis inierit, quomodo tempestate maris orta, quadragesimam apud Rasinum, Abbatem monasterii S. Martini, in Dalmatia transegerit; subiicit consilium eiusdem abbatis, ut potius Hungariam, quam Palaestinam adeat: „Ecce pergis Jerosolymam, prosequitur, ad praedicandum Saracenis et Judaeis; quomodo hi te recipient, qui Apostolos non receperunt? In mari vero, si naufragium tibi euenerit, una cum scientia tua in profundum submergeris. — Igitur placeat tibi consilium meum, ut conuertas mentem ad liberandum infidelium animas, daemonibus oppressas. Sanctorum Apostolorum imitare exemplum. Considera, quid hac vice plebs Hungarorum maxime requirat; quia in mundo, ad lucrandas animas Domino, locum ad praesens inuenire non poteris — aptiorem. — Statuit igitur, apud se Gerardus acquiescere consiliis Abbatis Rasini. — Ascendentes ergo simul nauim, uenerunt Jadriam, ubi ordinatis victui necessariis, librisque asinis impositis, assumpto secum quodam ductore, Crato nomine, qui vias et semitas illarum partium noverat, ab eo usque Noograd (Nouigrad) sine offensione ducti sunt. Deinde a praedicto Cratone alio sibi ductore consignato, tendebant orientem versus in Negidim (Nasticz?) deinde Vercroche (Veröcze) tandem vero Quinqueecclesias, ad Dominum Maurum Episcopum peruenerunt. Quumque ibi moram facerent, episcopo detinente, accidit Dominum Anastasium, Varadiensem Abbatem, illis diebus Quinqueecclesias aduenire; qui ab eodem episcopo charitatiue susceptus est. Quumque idem abbas Anastasius tam egregium clericum et religiosum cognouisset, episcopo nunciante, de Italia aduenisse: venit ad eum festinans, ubi habitabat in quadam domo separata. Quumque mutuo loquerentur, cognouit eum tam in verbis discrete prolatis, quam etiam in habitu corporis hominem Deum metuentem esse. His peractis, die sequenti Maurus Episcopus una cum Domino abbate, venientes ad domum, ubi hospitabatur, praebuerunt ei consolationem fraternae caritatis. Inter mutua autem colloquia ait Dominus Anastasius Abbas

Mauro Episcopo: auctore Deo, tempore huius venerabilis regis venientes in hoc regnum, praedicauius populo verbum Dei; et nunc, licet immeriti facti sumus; tu tamen factus es Episcopus, ego autem Abbas. Dominum autem Gerardum eadem deuotione existimo aduenisse. Ponentes ergo eum in nostro vehiculo, ducamus ad regem; quem a nobis pro magno munere suscipiet: quia nobis praecepit, omnes venientes recipere, et quos idoneos cognouerimus, pro persona sua reseruare. Ad hoc vero respondit Maurus Episcopus, dicens: tu, inquit, Abbas nosti, quod a diebus, quibus S. Adalbertus magister noster, intrauit in regnum Hungariae, qui hunc regem, adhuc quum paruulus (iunior) esset, erudiuit, et etiam nunc in virili aetate constitutum, scimus cunctis habitantibus cum eo beneficientem, labor vester vacuus non fuit. Nam quos ante vidimus seruire idolis, modo videmus Jesu Christo feruenter adhaerere. Non enim sine nutu Dei credimus fore factum, ut dominus Gerardus in hanc prouinciam per tanta itineris discrimina adueniret; quem Dominus Jesus adduxit ad nos, ut non solum temporalis regis gratiam inueniat, sed etiam sempiterni. Ad quod Gerardus submisso vultu, humiliter respondit dicens: beneficiat vobis omnipotens Deus, reuerendi patres mei ac domini, pro cuius amore laboratis, me ignotum amore fraterno diligentes; sed quia caritas in veritatis articulo praelucescit; nolo vos latere, ob quam causam deuenerim in hanc regionem. Inerat mihi voluntas seruire creatori nostro in patria, in qua ipse pro salute cunctorum se subdidit seruituti. Disposueram enim mare transire, ut locum dominicum visitarem; sed, vento contrario prohibente, votum, quod conceperam, non potui adimplere. Unde, admonente Domino Rasina, ad Danubium conuerti iter meum; confidoque illuc, quo disposui, mediante vestro auxilio, me posse peruenire. Cui responderunt: cessa, inquit Gerarde, ab hoc proposito, et noli distrahi per huiusmodi cogitationes. Voluntas enim Dei te adduxit huc. Ubi autem voluntas Dei, ibi omnia bona. Nam libris Hieronymi, qui Hierosolymis scripti sunt, totus mundus participes effectus est. Tu vero scribe, doce, praedica et conuerte in Hungaria, donec tempus est laborandi. Maurus autem Episcopus dominum Gerardum a die inuentionis sacrae Crucis, usque ad diem beatorum Petri et Pauli apud se retinuit. In quo festo dominus Gerardus fecit sermonem super verbo hoc: Hi sunt viri misericordiae. Abbas vero ex Varadino, vocatus per episcopum huic festiuitati intererat. Qua peracta assumpsit secum Gerardum, tenuitque usque festum Sancti Benedicti XI. Julii, in Varadino, in quo fecit sermonem ad populum, super verbo: Justus germinabit; cui Maurus episcopus simul intererat. Cognouit autem Episcopus Gerardum ducem esse verbi: quia a die, in qua incepit verbum Dei disseminari in Hungaria, talis clericus non fuisset visus in eadem prouincia; ipse tamen semper intendebat Hierosolymam.“

§. 259. „Factum est autem, scribit porro; quum beatus Rex Stephanus pro celebrando die festo beatae Virginis annuali Albam venisset, ut mos erat conuocare Episcopos et Abbates, ut huic Sacrae Solennitati simul interessent; Maurus Episcopus et Anastasius Abbas, Domino Gerardo secum assumpto, ad ipsum diem

festum, ad regem Albam venerunt. Expleta autem opportuna hora salutauit Gerardus Regem. Quumque vidisset Rex Gerardum, ait clam ad episcopum: unde venit iste ad nos? Videtur enim mihi homo esse timoratus. Cui episcopus respondit, dicens: de ciuitate Venetiarum, Hierosolymam accelerat properare: egregius enim clericus est. Cui rex ait: numquid si hic vobiscum permanserit, Dei clericus non erit? Et nos serui Dei sumus. Quomodo potest hac terra inuenire ad seruiendum Domino meliorem? Non ergo permittatis eum abire. Exspectet adhuc modicum, donec iuuante Domino, debellabo Achum, inimicum meum, et dabo illi ciuitatem Morossenam, ut in ea episcopus ordinetur. In crastino autem conuocans eum rex ad se; ait illi: beneueniatis, inquit, bone vir! faciat Deus vobis bene hic et in futuro. Et ille flexis genibus, quum persalutaret regem beatum; nulla, inquit a vestra deuotione petere veni; peregrinus enim sum, Hierosolymam proficisci cupio; et socios etiam habeo, qui descenderunt mecum in Danubium. Cui Rex: desine, inquit, bone vir, ab hac intentione tua et permane nobiscum, ut bene sit tibi magis: praedica hic populo nostro, credentes confirma; infideles conuertere, nouam neophyticam plantationem irriga; et dabo tibi in regno meo ubique potestatem praedicandi; dabo tibi coadiutores, qui seruiant die ac nocte, Tu tantummodo aperi os tuum, et semina in corde populi huius semen vitae; Hierosolymam ire noli; neque enim te permittam. Ecce dedi tibi hodie episcopatum urbis Morissenae. Quibus auditis, rursus terram adorauit. Et deinceps vocatus est Gerardus electus. Quo facto scissum est cor eius, et vinculum consilii eius ruptum: et quod multis statuerat diebus, contrarium hic disposuit momento. Igitur aduentante festo beatae Virginis, Gerardus cappa indutus, assumpto interprete, domino videlicet Conrado Albensi praeposito, ascendens pulpitem, super verbo: mulier amicta sole" sermonem ad populum inchoauit, nec fuit scriptura, de qua non proposuerit exemplum; rege, populoque spectantibus, et mirantibus omnibus Christianis de tanta diuini verbi consolatione: propter quod ipsum nimium diligebant. — Consummato festo, quum unusquisque ad propria remeasset, ubi aduertit rex Gerardum moribus et doctrina bonum Christi odorem spirare, clam dimissis itineris eius sociis, illum solum apud se retinuit inuitum; eique seruando custodes adhibuit, et solatia in palatio sibi congruenti; facitque filii sui Emerici Ducem et magistrum diebus multis (Anno 1022.) Adolescente iam Emerico, tumultum populi deuotans, in eadem regione, que vulgo Beel vocatur, eremum petiit, ubi per septem annos ieiuniis, orationum exercitiis deditus, excepto Mauro monacho, solus habitauit." Haec paucissimis Chronicon Thurotzii: „Gerardus in Pannoniam veniens, primus in Beel vitam ducens eremiticam, tandem in Chanadiensem cathedram in episcopatum est translatus." P. II. cap. XL.

§. 260. Quaenam negotia Gerardus in eremo gesserit, quomodo et quando episcopatum Chanadiensem adierit; quomodo ibi scholas capitulares instituerit, suis locis diximus: quomodo in grege Domini verbo, exemplo, ac sacramentis pascendo, dioecesim suam visitando, clerum iuniorem educando, se verum Episcopi exemplar praebuit, audiamus ex biographi eiusdem testimonio: „Suis dicebat epi-

scopus, nunquam propter hoc vos inuitavi, ut vos omnes exspoliarem; sed vocavi ad audiendum verbum Dei. Cui responderunt uniuersi, dicentes: quia Pater Sancte audiimus, te hodie in sermone Dei protestantem: sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum. Suscipe ergo, quae tibi offerimus pro Christi nomine, in quo sumus ad vitam ab errore reuocati. — Factum est autem, quum episcopus egrederetur cum fratribus suis (Canonicis) suam visitare dioecesim; ut consecraret eorum coemeteria, qui erant ecclesias constructuri; recipiebantur ab eis tanquam sancti Apostoli, signa et prodigia facientes; quibus etiam munera ex eis omnibus, quae habebant, prompto animo offerebant. Ili autem praefati septem monachi (canonici) praebant episcopum, praedicando et baptizando populum, in omnem locum, quo ipse erat venturus; per quos applicabatur Domino innumerabilis credentium multitudo, quorum oblationibus susceptis, in urbem mittebant Morossenam. — Quum vero scholares triginta primi in cantu et lectura iam essent instructissimi; dominus episcopus eos ad sacros ordines promouens, canonicos constituit. Mittebat etiam nuncios ultra Danubium, et congregauit scholares, quos sic congregatos presbiteros ecclesiarum et rectores in parochiis faciebat. Concurrebantque ad eum Teutonici, Boëmi, Poloni, Galli, quibus ordinatas suae dioecesis conferebat. — Crescente igitur numero fidelium, Ecclesias vir Dei per urbes singulas aedificauit; principale autem monasterium in honore beati Georgii Martyris ad litus Morossi fluuii construxit, atque inde Morossenam sedem appellauit, quam beatus rex Stephanus muneribus dotalicis notabiliter ditauit. — In hac singulis quoque sabbatis diebus episcopus, sicut in assumptionis eiusdem sanctissimae matris magnis laudum praeconiis deuotionis suae officium, cum nouem lectionibus illic explebat. Eisdem etiam diebus opera misericordiae in pauperes maiori charitate exercebat. Ceteris autem diebus matutinis et vespertinis precibus absolutis, bis cum processione eo venire solebat; quae consuetudo hodie quoque perseuerat. — Porro laudibus et uenerationi eiusdem Sacratissimae Virginis, tantae humilitatis obsequio sese subdere nouerat, ut, si quis reus, clam a sancti viri familiaribus edoctus, veniam ab eo peteret, per nomen matris Christi; mox audito nomine matris misericordiae, pater sanctus lachrymis perfunderetur, ac perinde ac si ipse reus esset, a reo veniam peteret; filium quoque illum suum fore affirmaret, si eam sincere Dei crederet genitricem. Ipso auctore ab Hungarica gente non pronunciatum nomen ipsum matris Dei, sed dominam eam vocant, patronamque Hungariae appellant. Si sic autem pronunciatum illius nomen est, statim flexis genibus et demissis in terram capitibus, se se inclinant. Atque adeo Pannonia a sancto suo rege Stephano, familia Sanctae Mariae appellata est. Ob laudandam virorum prudentiam, qui in hanc maris stellam intendendo, vitae suae cursum dirigebant; quatenus contemplatione exemplorum eius, possent inter huius seculi fluctus nauigantes, voluptatum illecebras et incitamenta, tanquam scyllarum voraginem declinare, portumque aeternae salutis attingere, — Alia misericordiae ipsius erga egenos ac reos opera, deinceps erunt dicenda. Confer cap. XIV. XV. XVI.

§. 261. Sebastiani; secundi Metropolitae Strigoniensis sanctimoniae indicia haec tenemus: „Eodem tempore in monasterio S. Martini erat monachus quidam Sebastianus nomine, cuius probabilis vita et deuota in Dei seruitio religio habebatur. Hunc rex venerabilis miro ordine coepit diligere: quia quanto quis religiosior, tanto erat illi acceptior. Illum ergo ob vitae merita, pontificali honore, dignum iudicans, regendo Strigoniensi archiepiscopatu eum perfecit. Et quoniam flagellat Deus omnem filium, quem recipit, praedictum Sebastianum oculorum lumine ad tempus priuauit. Sed ne nouellus in fide grex, absque pastoris regimine, a recti tramitis proposito deuiaret; per consensum Romani Pontificis saepe dictum Astricum, Colocensem episcopum, in illius locum substituit. Euolutis dein trium annorum circulis, Sebastianus, ex Dei misericordia recepto lumine, rursum per Apostolici consilium suae sedi restitutus est; et Astricus ad suam Ecclesiam, videlicet Colocensem, cum pallio rediit.“ Hartuic. l. c. p. 154. — Astricus Colocensis Episcopus, inter Sanctos colitur quidem ab ordine Sancti Benedicti, ast publica canonisatione uniuersim colendus ab Ecclesia propositus non est. — S. Maurus Quinque-Eccles. et Csanadiensis Episcopus ad sequiora pertinet tempora.

§. 262. Inter Sanctos, quos ex ordine religioso Hungaria colit, legitur Bonifacius, Astrici, primi monasterii ad montem ferreum Abbatis, discipulus et successor: „Inter quos vitae regularis Pater, Astricus cum suis discipulis, aduenit: quorum unus nomine Bonifacius, in loco patris Abbas deinde constitutus; dum a beato rege causa praedicationis, in inferiores Hungariae partes esset missus, in verticem capitis percussus gladio, licet postea superuieret, non est priuatus martyrio.“ — Commemorantur item Andreas, alias Zoerarduc, ac Benedictus; „Venerunt et alii, prosequitur idem Hartuic. l. c. p. 128: „Venerunt et alii duo, de terra Poloniensi, Eremiticam vitam, causa contemplationis eligentes; quorum unus Andreas nomine, per professionis meritum Angelicis Choris est associatus, testibus miraculorum signis, per ipsum a Domino factis; alter Benedictus, pro Christo, fuso sanguine laureatus.“ Utriusque vitam, suique mortificationem uberiorius conscripsit Maurus, qui postea ad Quinque-Ecclesiensem episcopatum est tractus. Erraret ille, qui primulam Ecclesiam Hungariae, hos tantum flores posse ostendere, quereretur; praeter hos, qui ad publicam notitiam peruenerant; alii complures: de silua Bakon notum habemus: „Passim in ea deprehendere est desertos pagorum campos; templorum, monasteriorumque rudera; ut ex vero scripsisse videantur complures, siluam Bakoniam, quanta est, non tam ferarum latibulum, quam sanctorum virorum fuisse receptaculum, seminarium et Asylum.“ In comp. artis Dipl. Introd. p. 140.

§. 263. Inter Hungariae Sanctos censetur etiam Mathaeus Escandeli, cuius Budensis, qui pietatis studio Palaestinam petens, omnibusque patientis Christi vestigiis lustratis, amore sanctitatis, in recessu montis Sion aliquot annos vitam egit anachoreticam; „Jamque Deo plenus, ait auctor indiciorum Ungaricae sanctitatis p. 99. et eius amore flagrans, ut alios quoque ad eundem inflammandi campum inueniret ampliorem; mirum quantum ambiebat. Eos vero precipue, qui longe po-

siti in gentilitatis tenebris coecutiebant, et Deum verum, et quem is misit in terras, Jesum Christum cognoscerent, ad verae fidei lumen adducere praeoptabat. Itaque pio voto diuinitus, ut euentus ostendit, concepto ad Indos animum adiicit. Nec mora: longo ac difficultatibus pleno itinere, mari multa post discrimina superato, Deo Duce, regnum Sianis attigit, et inde usque ad Sinas penetrauit. Ingenti hic ausu regnum Dei instauraturus; vitae imprimis sanctitate, dein praedicationis efficacia, demum — miraculorum magnitudine, quam plurimos ad fidem conuertit. — Numquam ad gentiles verba fecit, quin pro patria, unde ortus erat, pietate in Deiparam aliqua laudum aut praerogatiuarum immaculatae Virginis immiscuisset. Quum vero maior in dies apud omnes eius sanctitatis fama inclaresceret, nec pauci Boncziorum superstitioso ritu posthabito, eius doctrinam amplecterentur; illorum insidiis circumuentus, illustri martyrio vitae finem imposuit; quem incolae loci hodie dum venerantur.“ Obitus eius annus incertus.

Cleri in utramque rempublicam, sub initiis Religionis et Ecclesiae merita.

§. 264. Qui clero Hungarico religionis duntaxat doctrinam ducunt in acceptis referendam, in re quidem summa aequi ac iusti, ast in caeteris iniqui sunt: de utraque enim insuper republica bene mereri satagebant: A primordio Cancellarii, ac Vice-Cancellarii regii e statu ecclesiastico eflouerant: ut in literis Protoregis Stephani fundationalibus Dominici I. et II-i nomen hoc ministerio refulget. Quod in aula viguit, transiuit mox in usum communem: magna, quam gens Hungara christiana in fidei sacerdotum suorum integritate, et conscientiae puritate habuit, opinione, artis item scribendi peritia, ipsis fere solum propria, factum, ut priuati etiam non facile alibi, quam coram sacerdotibus contraherent, testarentur aut aliud quidpiam stipularentur. Ipsi una facti sunt idmodi documentorum et vades et custodes.

§. 265. Insignem non minus reipublicae tulerant operam, ad regni negotia foris cum principibus exteris, conficienda destinati: legationes, quibus Astricus Romae, Gerardus Rauennae regia auctoritate perfuncti sunt ignorat nemo: sed et Brunnonem cum suo fratre Henrico II. Imperatore praesules Hungariae ablegati feliciter conciliarunt, et obmoto per Conradum II. Imperatorem bello pacis faeciales praesules ecclesiae feliciter fuere: vide locis citatis.

§. 266. Maiores nostri literarum rudes, fuerant etiam scriptorum monumentorum expertes: rerum vetustarum, euentuumque memoria, cantorum fabulis de aetate ad aetatem traducta: a primordio religionis et Ecclesiae christianae Hungaris adnati sunt scriptores e clero, qui euentus memoria dignos, literarum apicibus perpetuarent. Si canonisationis Sanctorum a seculo X-o legem respicimus, certum relectis atque examinatis piorum virorum factis et moribus fuisse ad iudicium processum; etiam Stephani regis ac Emerici Ducis vitam, mox post eorum obitum consignatam, canonisationi argumento, ac Hartuico ex ordine S. Benedicti Episcopo, fonti deseruuisse pari nempe modo sicut Canonisationi S. Ge-

rardi vita post obitum illius anno circiter quinquagesimo, a patriae nostrae quodam filio exarata subseruiuit. En literaturae per clerum exercitae primordium apud Hungaros!

§. 267. Sed belli etiam necessitatibus, regnum urgentibus, regi astitit clerus Hungariae praeprimis: Stephano Duci, rebellione Cupan Ducis Simigiensis artato, Dominicum Archiepiscopum Strigoniensem a principio astitisse, compertum omnino est. Hi pacis filii, necessitate regni, ac lege compulsi militiam, exercituum vulgo dicimus, nunquam refugerant, nunquam amoliti imbelles aut refractarii. — Erit tempus hoc in merito plura dicendi. *)

Diuisio Operis ac Conclusio.

§. 268. Historia Religionis et Ecclesiae Christianae apud Hungaros, cuius initia disquisimus, duabus euoluitur periodis: Prima utriusque statum externum et internum, prosperum et aduersum, ab obitu Proto-Regis usque inuouationis per Lutherum et Caluinum praesumptae initia repraesentat. A. 1038—1526.

Tomus I. — Usque Conuersionem Croatarum in Slauonia. A. 1095. Expeditionum sacrarum in terram Sanctam initia.

Tom. II. — Usque conuersionem Cumanorum in Hungaria. A. 1290. Expeditionum sacrarum finis.

Tom. III. — Usque errorum Wichlefo — Hussiticorum initia. A. 1382. Turcae prouincias Hungariae incursant.

Tom. IV. — Usque Religionis per Lutherum et Zwinglium inuouatae primordia. A. 1526. — Turcae regnum Hungariae inuadunt.

Periodus altera utriusque vicissitudines nostra usque tempora exhibet:

Tom V. — Usque pacificationem Viennensem. A. 1605. — Innouatio, in Germania praesumpta, clam subleste, causis mera calumnia irritatis, pastorum Catholicorum defectu, Regibus Hungariae e domo Austriaca cum Principibus Transilvaniae, ac Turcis de regno concertantibus, primum quidem inter Germanos, mox etiam Hungaros, carnali licentia illectos, propagata.

Tom. VI. — Usque pacem Szathmarensis. A. 1711. — Liberum confessionum Augustanae, ac Helueticae exercituum, vi et armis, sectariorum Transilvaniae Principum et Turcarum praesidio, in praedudicium Religionis Catholicae, extortum. **)

*) Status Ecclesiastici viros regibus Archiatrorum, populo Physicorum operam a principio exhibuisse certum: documenta deinceps visuri.

**) Nobiles nostri, bonorum ecclesiasticorum orexi, inuouationes Lutheri et Caluini, ambabus, ut dicunt, ulnis amplexi, Euangelium per subreptitios praecones doceri, ac sectari, libertatis conscientiae fore; templa a fidelibus catholicis adimi, iuris sui patronatus esse praetenderant. Plurimis ad Ecclesiam Christi, unam sanctam, apostolicam, et catholicam reuersis, per praecones legitime missos, errores dedocentes, pacem publicam turbari; templis pari iure reuindicatis rapinas perpetrari; verbi diuini ministris, seditiones incitantibus plexis, liberum confessionum exercituum tolli protestati sunt. En ansam et causam calamitatis, quam Hungaria unquam passa est, maximae!

Tom. VII. — Usque edictum Tolerantiale, A. 1781. — Turcis eliminatis, Transilunna reunita, seditionibus oppressis, libero religionum receptarum exercitio ex aequo consultum.

Tom. VIII. — Usque comitia anni 1844. — Tolerantia Josephina in indifferentissimum desciscente, matrimoniis mixtis, et transitui ad religionem una in alteram licentia aperta.

§. 269. E disquisitionis quam ad calcem perduximus, argumentis tria elucet per se praecipue: 1.) Gentem Hungaram Dei ignorantiam, gentilismi superstitionem, literarum, artiumque bonarum ruditatem, ac morum ferociam Religionis Christianae cultu et adminiculo exuisse pedetentim. 2.) Hoc in moralis ac ciuilibus perfectionis stadio, summates nostros, Nobiliores quippe mille baptisatos, caeteris praecuisse. 3.) Protoregem, singulis incolarum classibus beneficiorum et onerum ciuiliu consortium ex aequo dispensando, cuique auream statum suum hac in temporali schola ad vitam aeternam perficiendi libertatem, iure naturae debitam concessisse. — Cum leges et cursus naturae sint immutabiles: Ex aduerso: 1.) Quibusdam regnicolis a vitae socialis beneficiorum communione interdicitis, onerum insuper pondere praegrauatis, cardinalem constitutionis Stephanae aequitatem violari, humanamque destinationem impediri. 2.) Nobiliores nostrates religionis Christianae despectu, non sibi solum, sed aliis quoque, perfectionis moralis intuitu, obesse. 3.) Populum Hungaricum a religionis Christianae doctrina, praeceptis, et institutis alienatum, ad auitam Dei ignorantiam, morumque atrocitatem praecipitari. — Ne gens nostra moralis perfectionis huicque congruae felicitatis expers sit, Paternae Dei prouidentiae curae fuit, eritque. — En generalem disquisitionis nostrae ideam, finemque.

DOCUMENTA DIPLOMATICA.

I. *Leo III. Pannoniam neo creato Salisburgensi Episcopatu, subordinat. A. 798.*

Dilectissimis nobis, Alim Ecclesiae Sabionensis, seu Attonis Ecclesiae Frisingiae, Adelwino Ecclesiae Reginensis, nec non Waltrico Ecclesiae Patauiensis, et Simberto, Ecclesiae Niwenburgensis, Prouinciae Baioariorum Episcopis, Leo, seruus seruorum Dei: Dilectionis vestrae, quas nobis petitorias emisistis syllabas libenti suscepimus animo; in quibus ferebatur, ut in prouincia uestra Baioariorum Archiepiscopum ordinarem, quo prouincia ipsa mirifice a filio nostro Carolo, excellentissimo Rege Francorum, et Longobardorum, Patricio Romanorum penitus, ex omni parte, sicut decuit, ordinata sit. Idcirco conuenit, nos ipsos, nempe ecclesiastico moderamine, in sacro ordine fideliter atque spiritualiter se-

eundem censuram canonicam, ipsam ordinare Baioariorum prouinciam. Et quia Deo auspice, reperientes virum almiticum, et in scripturis diuinis peritissimum, et in omnibus misericordissimum, Spiritualibus moribus comprobatum, una cum consensu, ac voluntate praedicti, filii nostri, Domini Caroli praedellentissimi Regis, vobis ordinauimus, secundum sanctionem Patrum, Archiepiscopum, videlicet Arnonem ecclesiae Iuuauensium, quae et Petrina nuncupatur; quae in honore beati Petri, Principis Apostolorum, venerabiliter est consecrata; ibique requiescit corpus sacri Pontificis Rudperti, una cum venerabilibus suis sodalibus, scilicet Chunaldo, et Gisilario, quorum corpora ibidem a fidelibus honorantur. — Qui dudum noster fuit Corepiscopus, nunc autem frater et Coepiscopus noster, vester autem Archiepiscopus; et venerabilem sedem eius metropolitanam habentes, ad quam sancto Arnoni, Archiepiscopo vestro, usum pallii tribuentes, dedimus in mandatis, ut secundum canonicas institutiones, omnibus ecclesiis superius nominatis, in dioecesibus illi subiectis, canonicè valeat adminiculum imperitari; ut in futuro examine, ante tribunal Christi, liberaliter valeat audire: Euge serue bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam intra in gaudium Domini tui. Benevalete. Anno tertio, atque Domini Caroli, Excellentissimi Domini Regis Francorum, a quo cepit Italiam, anno XXV. Indictione sexta.“

V. Cod. Dipl. p. 147. sqq.

II. *Alcuinus Arnoni, neo insituto A. Episcopo Salisburgensi, Abarum et Slauiorum in Pannonia conuersionem commendat, salutaremque impertitur monitionem. Anno 798.*

Charissimo, unaninique Amico, Aquilae superspeculatore in Christi charitate salutem. Quarta feria post sanctam Pentecosten, literas tuae beatitudinis accepi, charitate conscriptas, fide sagillatas; nec spes sefellit consilii, nec societatis cooperatio retardauit. Vestrum vero iter ad probandam rei veritatem modo in praesentia dispositum est; fortitudo vero exercitus, qui tecum vadit, ad cautelam et defensionem vestri directa est. Et hoc consilium quodammodo ab ipsis processit Hunnis (Auaribus) et ideo in spe voluntatis Dei laetus hoc iter perage. Nos vero te, donante Deo, in pace cum certo consilio reuertentem spectemus in his, ita ut aestimo, regionibus. Obsecro ut mox te redeunte dilectionis tuas literas dirigas nobis, ut curiositas nostra certitudinem rerum per tuum intelligat consilium. Regnum itaque illud diu stabile fuit et forte; sed fortior eis, qui vincit illud, in cuius manu sunt omnes regum et regnorum potestates; et quemcumque voluerit exaltat, et cuiuscumque cor voluerit, visitat, illuminat et ad surum conuertit seruitium, et si illius gratia respicit super regnum Huhnorum, quis est, qui se subtrahere audeat ministerio salutis eorum? Pauci nobis restant dies huius vitae, et valde desiderandum est, Deique misericordia deprecanda toto corde, ut illi in opere Dei firmentur; quia plus unus quisque nostrum de fine iudicatur, quam initio. In peccatis nascimur, sed gratia renascimur; quae nos in bono

opere currentes comitetur, et usque ad finem firmum perseuerare faciat. Tu vero Pater sancte, amice fidelis, frater dilecte, fili charissime, cum prosperitate bona, diuina tecum comitante gratia perge in opus Dei, et cum gaudio reuertere ad nos; esto praedicator pietatis, non decimarum exactor, quia nouella Apostolicae pietatis lacte nutrienda est; donec crescat, conualescat et roboretur ad acceptionem solidi cibi. Decimae, ut dicitur, Saxonum subuerterunt fidem. Quid imponendum est iugum ceruicibus idiotarum? Quod neque nos, neque fratres nostri sufferre potuerunt. Igitur in fide Christi saluare animas credentium confidimus. Unde modo, dilectissime frater, in benedictione Dei et consolatione spiritus Sancti, Albinus tuus est tecum in corde, quem utinam habeas cito socium in opere Dei. Nos matriculares pro te orare non cessamus, quatenus diuina te ubique praeueniat et subsequatur gratia, et cum multiplici pii operis fructu reuertaris ad nos. Bonos et religiosos tecum habes socios, in quorum ore et conuersatione nomen Domini Jesu glorificetur. Nos semper suspensimur de reditu tuo, donec videamus, quem amamus, amplectamur, quem corde desideramus. Tertiam vero partem de laboribus tuis per singula loca seu episcopatus, seu ministerii, concessit tibi rex in eleemosynam tuam tradere, si dies tuus tecum prosequetur in via, et hoc indiculis confirmari praecepit. Ecce deficiente chartula, non charitate, pennam deponimus, haec salutationis verba tantummodo subnectentes: viuas Deo, feliciter vadas, et proficiscens floreas in opere Dei et tecum ubique euntem et redeuntem summi regis dextera protegat et defendat venerande dilectissime, dulcissime." Epist. IV. anni 798. — In huius ministerii in Anaribus conuertendis impensi praemium Carolus M. neo instituti Archiepiscopi Salisburgensis Parochiae adiecit: quidquid cis Drauum situm foret: „Prouinciam Carentanam ita inter eos diuidere iussimus, ut Drauus fluuius, qui per mediam illam Prouinciam currit, terminus ambarum dioecesium esset, et a ripa australi ad Aquillegiensis Ecclesiae Rectorem, ab aquilonari vero ripa ad Iuuauiensis Ecclesiae Praesulem, ipsius prouinciae pertineret." Anno 812. Ratione hac Pannonia ab auita sua metropoli Lauriacensi, Passauium translata, fuerat auulsa. Per diuisionem illam Aeridis pomum iecit, pro quo secula prope duo certatum fuit.

III. *Ludouicus Pius Imp. Ecclesias multas a Patre suo in Pannonia partim restauratas, partim e fundamentis erectas, loca ecclesiae Pataviensi collata testatur, ac confirmat. Anno 823.*

In nomine domini Dei et Saluatoris nostri Jesu Christi Hluduwicus, diuina ordinante prouidentia Imperator Augustus: Nullum fidelium nostrorum ambigere credimus, qualiter dominus et genitor noster, beatae memoriae piissimus Imperator Carolus, Regnum Hunorum suae ditioni non sine magno praeliorum labore subiugauerit. Et homines terrae illius cultui Christianae religionis mancipauerit. In tantum, ut etiam in eadem prouincia multas ecclesias ob Dei reuerentiam et renouari, et a fundamentis construi faceret. Tum Dei iussu super deua-

statione et inopia Patauensis episcopatus, misericordia motus, plus coeleste, quam terrestre lucrum desiderans, quaedam loca ad eandem Ecclesiam sancti Stephani Protomartyris Christi, in qua sanctus Valentinus corporaliter requiescit, ubi tunc Waldricus venerabilis episcopus praeerat, tradidit; hoc est in Prouincia Auarorum, quemdam locum, qui vocatur Litaha, et in terra Hunnorum, Zeizzinmurum, Treismam, Wachowam, Pelagum, Nandinum, Reode, Asbahe, Wolesswanch, Erlafam, et Juartagrum, basilicas duas; et in Saxina basilicas duas. Sed postquam dominus et genitor noster pie memoriae Carolus Imperator defunctus est, marchiones eiusdem Prouinciae de episcopatu eadem loca alienare, et eorum potestati subdere conati sunt. Cum autem Reginharius episcopatus effectus est, deuitans discordiam et litem, Gotafredum Marchionem et iudices illius Prouinciae, in nostram praesentiam fecit venire; nos vero iusta lege et iudicio totius populi iuxta traditionem praedicti Imperatoris loca superius nominata ad praedictam sedem pertinere debere decreuimus. Tunc memoratus episcopus nostram implorauit clementiam, ut aliquam futurae securitatis a vobis acciperet firmitatem, quo iam dicta loca liberius, firmissimeque pontifices eiusdem sedis tenerent; quod ita et nos fecisse omnium fidelium nostrorum cognoscat industria. — Et ut haec auctoritas pristinae traditionis et nostrae confirmationis inconuulsa: et inuiolabilis permaneat, manu propria subter firmauimus, et annuli nostri impressione sigillari iussimus. — Data anno dominicae Incarnationis DCCCXXIII. Indictione I. IV. Julii. — Actum Francofurti in palatio. In Dei nomine. Amen.

V. Cod. Dipl. tomo. I. p. 155. sqq.

IV. Eugenius II. PP. Urolphum Laureacensem Praesulem, qui euangelio Auaribus et Morauis cum fructu praedicato, quatuor instituit episcopatus, in Archiepiscopatu confirmat, suoque ornat vicariatu. A. 826.

Eugenius Episcopus, seruus seruorum Dei, Rathfredo sanctae Fauienensis Ecclesiae, et Methodio Speculo-Julienensis, quae Sorigiturensis nuncupatur, atque Alewino, sanctae Nitrauiensis Ecclesiae, parique modo Annoni, sanctae Vetuarenensis Ecclesiae, episcopis: simul etiam Tuttundo, nec non Moymaro, Ducibus et Optimatibus, exercitibusque Hunniae, quae et Auaria dicitur, et Morauiae. Cum audiuimus christianissimam conuersationem vestram et sanctae fidei, bonorumque operum uestrorum processum; summo gaudio atque laetitia sumus exhilarati; quia diuina in uobis operante clementia, ut ait Apostolus, ubi habundauit delictum, ibi superabundat gratia, utque quod sancta Dei Ecclesia nostris temporibus quotidianum in electione uestra suscipit incrementum; cuius optabilis rumoris index fuit Reuerendissimus Urolfus, sanctae Lauriacensis Ecclesiae Archiepiscopus, et sanctissimus frater noster, uester autem spiritualis pater, qui uos per suam sanctam praedicationem adoptiuos Deo genuit filios. Itaque ad Apostolorum limina orationis causa ueniens, nouam Ecclesiam nostris benedictionibus informandam subnixè commendauit. quia Domino auxiliante, catholice gubernandam in uestris partibus suscepit. In quibus etiam quondam Romanoru quoque,

Gepidarumque aetate, ut lectione certum est, in septem episcoporum parochias antecessores sui, iure metropolitano, obtinuerunt dioecesim. Quae ex iustitia et lege praefatus Deo dignissimus Archiepiscopus debito obligatur, ut illi terrae prius Christicolae, atque suorum antiquitus antecessorum creditae prouintiae, quam nunc vos Dei omnipotentis occulto mediante iudicio, velut haereditariam possidetis, ipse euangelicus Agricola, diu negata coelestis spargat vitae semina, atque in lucrandis Christo animabus, rediuuam de vobis nutriat segetem. Quem nos doctissimum Diuini oraculi ministrum, saluti vestrae cognoscentes per omnia necessarium, fide ac exemplo probatum, merito erga illum Apostolicam seruantes sententiam, qua dicitur: Quomodo credent sine praedicante? Aut quomodo praedicabunt, nisi mittantur? Ab hac sancta Romana Matre ecclesia vobis eum transmisimus, atque in praefatis regionibus Hunniae, quae et Avaria appellatur, sed et Morauiae, prouinciarum quoque Pannoniae, seu Moesiae, apostolicam vicem nostram et dioecesim, atque ius ecclesiasticum exercendi, et usum et potestatem antecessorum suorum, videlicet sanctae Laureacensis Ecclesiae Archiepiscoporum, sibi sucesoribusque suis canonica auctoritate committimus, atque huius constitutionis nostrae decretum subscriptionis priuilegio roboramus. Pallium praeterea iuxta consuetudinem antequam sanctitati suae dedimus; quod ita sibi concessimus sicut praedecessores nostri suis praedecessoribus concessere, priuilegiorum suorum scilicet integritate seruata. Cuius dilectioni quamuis hoc debito permitteremus, propter vestras autem petitiones super hac re flagitantibus ad honorem suum nostram apostolicam vicem et auctoritatem insuper accumulauimus, quod nunquam suis permissum est prioribus. Quatenus et vos Confratres et Coepiscopi deinceps ei reuerentiam amplioem exhibere sciatis, et in sana doctrina coelestis eruditionis ad aedificationem vestram, ut filii sapientes obediat; atque vos laici Primates, et vulgus saluberrimis praeceptis suis, non velut homini, sed tamquam Deo, humiliter obtemperetis, et fide catholica, quam per Dominum Jesum consecuti estis, fortes permaneat. Nam totius doli artifex diabolus, cuius dominio et populis in Baptismo abrenunciastis, iacturam et damnum vestrae salutaris surreptionis moleste patitur, ac per varias occasiones zizannia infidiae seminando, velut multa inuidia bachatur, et ut vestrum aliquis terga vertat sanctae professioni. Quapropter saepe dicti Archiepiscopi, videlicet pastoris vestri a Deo destinati, institutionibus benignas aures praebete, qui vos et versutiam Satanae cauere, atque eius externos cruciatus euadere instruit, ac ipso in die iudicii de bonis operibus vestris seculorum Domino perpetua remunerandos gloria praesentabit. Ad perfectam autem et necessariam eruditionis vestrae salutem, ut comperimus, non sufficiunt pauci, qui modo constitui sunt vobis episcopi: quia plures sunt adhuc gentilitatis errore ibidem detenti, ad quos, propter inopiam Praeconum verbi diuini, necdum peruenit notitia Christi: Idcirco enim, ut accrescat turba fidelium, studeat solertia vestra pro mercede, ac remissione peccatorum vestrorum adminiculum et iuuamen praebere Reuerendissimo Vrolfo, Archiepiscopo; quatenus dudum il-

lic constitutorum episcoporum numerus impleatur, qui congrue constituti, et vobis, posterisque vestris poterunt esse proficui, si ad restorationem ecclesiarum, propter nomen Domini de possessionibus vestris, quas redditus, dotesque earum, fama diulgante, quondam fuisse, noueritis, externam sufficientiam vobis compensantes, eisdem ecclesiis ipsi conferatis, idoneis viris ad hoc ministerium electis; maxime illis locis, si opportunitas et utilitas commendauerit, ordinentur denuo Antistites, ubi indicia Ecclesiarum, et aedificiorum sedes pontificales olim fuisse demonstrant; sin autem illius arbitrio et deliberationi, qui vel ubi disponantur episcopi? concedimus, cui vicem nostram apud vos ecclesiastici regiminis per omnia commisimus." An. 826. p. 158. sqq.

V. Cod. Dipl. tom. I. p. 158.

V. *Joannes Papa VIII. ad Ludovicum Germaniae Regem, Pannoniam dioecesim sedi Romae deputatam asserit, An. 874.*

Joannes Episcopus — Dilecto Filio Ludouico Regi glorioso. — Inter cetera multis ac variis, manifestisque prudentia tua poterit indicium deprehendere, Pannoniam dioecesim ab olim Apostolicae sedis fuisse privilegii deputatam; si apud excellentiam tuam iustitia Dei locum, sicut decet, inuenit. Hoc enim synodalia gesta indicant, Historiae conscriptae demonstrant. Verum quia quibusdam hostilium turbationum simultatibus impediens, illic ab Apostolica sede non est diu directus Antistes; hoc apud ignaros venit in dubium. — Nemo autem de annorum numero resultandi sumat fomentum: quia sanctae Romanae, cui Deo auctore seruiamus, Ecclesiae privilegia, quae in firmae petrae stabilitatis petra suscepit, nullis temporibus angustiantur, nullis regnorum partitionibus praeiudicantur. Sed et venerandae Romanae leges, diuinitus per ora piorum Principum promulgatae, veram eius praescriptionem, non nisi post centum annos admittant. An. no 874.

E. Codice Diplomatico.

VI. *Idem Papa legatum suum, Episcopum Anconitanum, sedis Apostolicae in Pannoniam iuribus, eo quod illuc diu Antistitem non miserit, praeiudicari haud posse, edocet. An. 874.*

Joannes Episcopus. Commonitorium Paulo Episcopo, fungenti legatione in Germaniam, et Pannoniam inter caetera. Non solum intra Italiam ac ceteras Hesperiae Prouincias, verum etiam intra totius Illyrici fines consecrationes Apostolica sedes patrare antiquitus consuevit, sicut nonnulla regesta et conscriptiones synodales, atque ipsarum quoque plurimarum ecclesiarum, in his positarum, demonstrant monumenta. Porro si de annorum numero quis forte causatur, sciat, quod inter christianos, et eos qui unius fidei sunt, numerus certus affixus est; caeterorum ubi paganorum et incredulorum furor in causa est, quantalibet praetereant tempora, iuri non praediudicant ecclesiarum: quae corporalia nescientes arma, solum Dominum et propugnatores suos, quando placuerit, expectant. Verum si annorum prolixitas in talibus impedit, ergo Deus ipse reprehendendus

est, qui post CCCC. et XXX. annos filios Israel de durissima seruitute Pharaonis, et fornace ferrea liberauit. Sed et ipse per se redemptor, qui hominum genus post tot millia de inferni claustris eripuit. Anno 874.

Indidem.

VII. *Joannes VIII. Carolomanno Pannoniae Regulo Methodium Episcopum commendat. Anno 875.*

Joannes Episcopus glorioso viro Carolomanno, dilecti filii nostri Ludouici Regis filio. — Reddito ac restituto nobis Pannoniensium episcopatu liceat fratri nostro Methodio, qui illic a sede Apostolica ordinatus est, secundum priscam consuetudinem libere, quae sunt episcopi, gerere. — 875.

E Cod. Dipl.

VIII. *Idem Joannes Papa Montemerum Slauium Ducem, ne se a Pannoniensi Diocesi separet, monet. An. 875.*

Joannes Episcopus Montemero, Duci Slauium. — Admonemus te (inter caetera) ut progenitorum tuorum secutus morem, quantum potes, ad Pannoniensium studeas reuertí diocesim. Et quia illic iam, Deo gratias, a sede Beati Petri Apostoli ordinatus est Episcopus, ad ipsius pastoraalem recurras sollicitudinem. A. 876.

Indidem.

IX. *Idem Papa Suatoplucum Morauiae Ducem ad permanendum in fide Romano Catholica hortatur; miratur Methodium A. Episcopum secus docere, ideoque Roman euocatum insinuat. A. 879.*

Joannes Twentaro de Morawa. Scire volumus: quia nos, qui per Dei gratiam, Beati Petri Apostolorum Principis vicem tenemus, pio amore vos, quasi charissimos filios amplectimur, et paterna dilectione amamus, nostrisque assiduis precibus vos omnes Jesu Christo, Domino nostro commendamus: orantes semper pro vobis, ut Deus omnipotens qui corda vestra illuminauit, et ad viam veritatis perduxit, in bonis operibus confirmet, et usque ad finem in recta fide, bonaque actione decoratos vos, atque incolumes dignetur perducere. Quod autem, sicut Joanne Presbitero vestro, quem nobis misistis, referente didicimus, in recta fide dubitetis: monemus dilectionem vestram, ut sic teneatis, sic credatis, sicut sancta Romana Ecclesia ab ipso Apostolorum principe didicit, tenuit, et usque ad finem seculorum tenebit; atque per totum mundum quotidie sanctae fidei verba, rectaeque praedicationis semina mittit, et sicut Antecessores nostros, sanctos videlicet Apostolicae sedis praesules, Parentes vestros, ab initio docuisse cognoscitis. Si autem aliquis vobis, vel Episcopus vester, vel quilibet sacerdos aliter annunciare, aut praedicare praesumerit: Zelo accensi omnes uno animo, unaque voluntate, doctrinam falsam abiicite; stantes et tenentes traditionem sedis Apostolicae. Quia vero audiuimus, quod Methodius, vester Archiepiscopus, ab Antecessore nostro Hadriano scilicet Papa ordinatus, vobis directus, aliter doceat, quam coram sede Apostolica se credere verbis et literis est professus, valde miramur; tamen propter hoc direximus illi, ut absque omni occasione ad nos

venire procuret: quatenus ex ore eius audiamus, utrum sic teneat ac credat; sicut promisit, aut non. Data XVIII. Kal. Julias. Indictione XII. A. 879.

Indidem.

X. *Idem Papa Methodium, Marahanensium A. Episcopum, ad reddendam doctrinae suae rationem, Romam euocat. A. 879.*

Joannes — Reuerendissimo Methodio Archiepiscopo Pannoniensis Ecclesiae. — Praedicationis tuae doctrinis populum Domini, tibi quasi spirituali pastori commissum saluare instruereque cum debeas; audiuimus, quod non ea, quae sancta Romana Ecclesia ab ipso Apostolorum Principe didicit, et quotidie praedicat, in docendo doceas, et ipsum populum in errorem mittas. Unde his Apostolatus nostri literis tibi iubemus, ut omni occasione postposita, ad nos de praesenti venire procures, ut ex ore tuo audiamus, utrum sic teneas ac praedices, sicut verbis et literis te sanctae Romanae Ecclesiae credere promisisti, aut non; ut veraciter cognoscamus doctrinam tuam. Audimus etiam, quod missam cantes in barbara, hoc est in sclauonica lingua; unde iam literis nostris per Paulum Episcopum Anconitanum tibi directis, prohibuimus, ne in ea lingua, sacra Missarum, solennia celebrares sed vel in latina, vel in graeca lingua; sicut Ecclesia toto terrarum orbe diffusa, et in omnibus gentibus dilatata cantat. Praedicare vero, aut sermonem in populo facere tibi, licet; quoniam Psalmista omnes admonet: dominum gentes laudare, et Apostolus: omnis, inquit, lingua confiteatur quod Dominus Jesus in gloria est Dei Patris. Anno 879.

Indidem.

XI. *Idem Papa Methodium a fidei cultu ac zelo Suatoplucio Duci commendat remittitque, cum Wikingo, Episcopo Nitriensi ordinato. Anno 880.*

Joannes — Dilecto Filio, Ssentopulcro, glorioso Comiti. Industriae tuae notum esse, volumus, quoniam confratre nostro Methodio, reuerendissimo Archiepiscopo, sanctae Ecclesiae Morauensis, una cum Semisisno, fidei tuo, ad limina Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, nostramque pontificalem praesentiam veniente, atque sermone lucifluo referente, didicimus tuae deuotionis sinceritatem, et totius populi tui desiderium, quod circa sedem Apostolicam et nostram Paternitatem habetis: Nam diuina gratia inspirante, contemtis aliis seculi Principibus, Beatum Petrum, Apostolici ordinis Principem, Vicariumque illius habere patronum et in omnibus adiutorem, ac defensorem, pariter cum nobiles viris, fidelibus tuis, et cum omni populo terrae tuae, amore fidelissime elegisti; et usque ad finem sub ipsius ac Vicarii eius defensione colla submittens, pio affectu cupis, auxiliante Domino, utpote filius deuotissimus permanere. Pro qua scilicet tanta fide, ac deuotione tua, et populi tui Apostolatus nostri ulnis extensis, te quasi unicum filium amore igenti complectimur; et cum omnibus fidelibus tuis Paternitatis nostrae gremio, veluti oves Domini nobis commissas recipimus; vitaeque pabulo clementer nutrire optamus, atque nostris assiduis precibus, omnipotenti te Domino commendare studemus: quatenus sanctorum Apostolorum suffragantibus meritis, et in

hoc saeculo aduersa omnia superare, et in coelesti postmodum regione cum Christo, cum Deo nostro, valeas triumphare. Igitur hunc Methodium, venerabilem Archiepiscopum vestrum, interrogauimus, coram positis fratribus nostris episcopis, si orthodoxae fidei symbolum ita crederet, et inter sacra Missarum solennia caneret, sicut sanctam Ecclesiam tenere, et in sanctis uniuersalibus synodis, a sanctis Patribus, secundum euangelicam Christi, Dei nostri auctoritatem, promulgatum atque traditum constat. Ille autem professus est, se iuxta euangelicam et apostolicam doctrinam, sicuti sancta Romana Ecclesia docet, et a Patribus traditum est, tenere et psallere. Nos autem illum in omnibus ecclesiasticis doctrinis et utilitatibus orthodoxum et proficuum esse deprehendentes, vobis ad regendam commissam sibi Dei Ecclesiam remisimus; quem veluti Pastorem proprium, ut digno honore ac reuerentia, laetaque mente recipiatis, iubemus: quia nostrae Apostolicae auctoritatis praecepto Archiepiscopatus ei priuilegium confirmauimus; et in perpetuum, Deo iuuante, firmum manere statuimus; sicut antecessorum nostrorum auctoritate, omnia ecclesiarum Dei iura et priuilegia statuta et firmata consistunt, ita sane, ut iuxta canonicam traditionem, omnium negotiorum ecclesiasticorum curam habeat ipse, et ea velut Deo contemplante dispenset. Nam populus Domini illi commissus est, et pro animabus eorum hic redditurus erit rationem. Ipsum quoque Presbiterum, nomine Vichinum, quem nobis direxisti, electum Episcopum, consecrauimus sanctae Ecclesiae Nitrensis; quem suo Archiepiscopo in omnibus obedientem, sicuti sancti Canones docent, esse iubemus; et volumus, ut pariter cum ipsius Archiepiscopi consensu et prouidentia, alterum nobis apto tempore, utilem Presbiterum aut diaconum dirigas: quem similiter in alia Ecclesia, in qua episcopalem cathedram noueris esse necessariam, ordinemus episcopum; ut cum his duobus, a nobis ordinatis episcopis, praefatus Archiepiscopus vester, iuxta decretum Apostolicum per alia loca, in quibus episcopi honorifice debent et possunt existere, postmodum valeat ordinare. Presbiteros vero ac Diaconos, seu cuiuscunque ordinis clericos, siue sclauos, siue cuiuslibet gentis, qui intra prouinciae tuae lines consistunt, praecipimus esse subiectos, et obedientes, in omnibus iam dicto confratri nostro Archiepiscopo vestro, ut nihil omnino praeter ipsius conscientiam agant. Quod si contumaces et inobedientes existentes scandalum aliquod, vel schisma facere praesumerint, et per primam et secundam admonitionem se minime correxerint, quasi zizaniorum seminatores, ab Ecclesiis et finibus vestris auctoritate nostra praecipimus, procul esse abiiciendos; secundum auctoritatem Capitulorum, quae illi dedimus et vobis direximus. Literas vero Sclauonicas, a Constantino quodam Philosopho repertos, quibus Deo laudes debite resonent, iure laudamus et in eadem lingua Christi Domini nostri praeconia et opera, ut enarrentur, iubemus: neque enim tribus tantum, sed omnibus linguis Dominum laudare, auctoritate sacra monemur; quae praecipit dicens: Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi; et apostoli repleti Spiritu sancto locuti sunt omnibus linguis magnalia Dei. Hinc et Paulus, coelestis quoque tuba insonat monens: „Omnis lingua confiteatur; quia

Dominus noster Jesus Christus in Dei Patris est. De quibus etiam linguis in prima ad Corinthios epistola satis et manifeste nos admonet, quatenus linguis loquentes Ecclesiam Dei aedificemus. Nec sane, fidei vel doctrinae aliquid obstat, siue Missas in eadem Sclauonica lingua canere, siue Sanctum Euangelium, vel lectiones diuinas noui et veteris testamenti, bene translatas et interpretatas, legere aut alia horarum officia omnia psallere; quoniam, qui fecit tres linguas principales: Hebraeam scilicet, Graecam et Latinam, ipse creauit et alias omnes ad laudem et gloriam suam. Jubenus tamen, ut in omnibus ecclesiis terrarum uestrarum, propter maiorem honorificentiam, Euangelium latine legatur, et postmodum Sclauonica lingua translatum in auribus populi, latina uerba non intelligentis anuncietur; sicut in quibusdam ecclesiis fieri uidetur. Et si tibi et Iudicibus tuis placet, Missas latina lingua magis audire, praecipimus, ut latine Missarum solennia tibi celebrentur. Data mense Junio, Indictione XIII." A. 880.

Indidem.

XII. *Idem Papa Methodium a fidei orthodoxae cultu, ac zelo laudat, de malis, quae a Wichingo Episcopo perpessus est, humanissime solatur. A. 881.*

Ioannes — Methodio Archiepiscopo pro fide. — Pastoralis sollicitudinis tuae curam, quam in lucrandis animabus fidelium Domino Deo nostro exhibes, approbantes, et orthodoxae fidei te cultorem strenuum existere, contemplantes, nimis in eodem Domino iucundamur, et ei immensas laudes, et gratias agere non cessamus; quia te magis ac magis, in suis mandatis accendat, et ad sanctae suae Ecclesiae profectum ab omnibus aduersitatibus excipiat. Verum auditis per tuas literas variis casibus et euentibus tuis, quanta compassione tibi condoluerimus, ex hoc aduertere poteris, in quo te coram nobis positum sanctam Romanae Ecclesiae doctrinam, iuxta sanctorum Patrum probabilem traditionem sequi debere monuimus; et tam symbolum, quam rectam fidem a te docendam, et praedicandam subdidimus, nostrisque Apostolicis literis glorioso Principi Sfantopulchro, quas et asseris fuisse delatas, hoc ipsum significauimus, et neque aliae literae nostrae ad eum directae sunt, neque Episcopo illo palam uel secreto aliud faciendum iniunximus; et aliud ad peragendum decreuimus; quanto minus credendum est, ut sacramentum ab eodem episcopo exegerimus, quem saltem leui sermone super hoc negotio allocuti non fuimus. Ideoque cesset ista dubietas, et Deo cooperante, sicut Euangelica et Apostolica se habet doctrina, orthodoxae fidei cultum fidelibus cunctis inculca; ut de laboribus tui certaminis Domino Jesu Christo fructum afferas abundantem, et gratia eius remuneratus mercedem recipias competentem. Ceterum de aliis tentationibus, quas diuerso modo perpessus es, noli tristari, quin potius hoc secundum Apostolum omne gaudium prorsus existima. Quia si Deus pro te, nemo esse poterit contra te; tamen cum Deo Duce reuersus fueris, quia quid iam dictus episcopus contra suum ministerium in te exercuit utramque audientiam coram nobis discussam, adiuuante Domino, legitimo fini trade-

mus, et illius pertinaciam iudicii nostri sententia corripere non intermitteremus. Data X. Kalendas Aprilis. Indictione XIV. Anno 881.

Indidem.

XIII. *Arnulfus Imperator, ad preces Wichingi, Patauiensis Praesulis, iura et possessiones Laureacensis Ecclesiae, per Auares anno 737. destructae, Patauiumque translatae, confirmat. A. 898.*

In nomine Sanctae, et indiuiduae Trinitatis, Arnulfus, diuina fauente Clementia, Imperator Augustus. Si liberalitatis nostrae munere locis Deo dicatis quiddam beneficii conferimus, et necessitates Ecclesiasticas, ac petitiones seruorum Dei, nostro releuamus iuuamine, atque imperiali tuemur munimine, id nobis ad mortalem vitam transigendam temporaliter, et ad aeternam feliciter obtinendam profuturum, liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum, praesentium scilicet et futurorum industria; quod Vichingus, Patauiensis Ecclesiae Praesul reuerendus, obtulit nobis authoritates immunitatum, piae recordationis Caroli et Ludouici, Serenissimorum videlicet Imperatorum, in quibus continebatur, insertum, qualiter ipsi praedictam sedem (quam Viuilo quondam sanctae Lauriacensis Ecclesiae Archiepiscopus, post excidium et miserabilem Barbarorum deuastationem, Lauriacensis Ecclesiae, nusquam alibi inuenta suae tuitionis securitate, primus episcopauit; Ouilone strenuo Bauarorum Duce concedente; qui etiam Canonicos et Monachos, quos Dei misericordia hostium subtraxerat praedae; in honorem S. Stephani Proto-Martyris Christi, ubi etiam S. Valentinus corpore requiescit, reuerenter e collocauit) quam vero cum omnibus ad eam pertinentibus, vel respicientibus, sub immunitatis suae defensione consistere fecerant, et confirmauerant, ut quidquid ex liberalitate Imperatorum atque Regum, siue Ducum vel ceterorum fidelium eidem sedi collatum fuerat, perpetuo eius ditione consisteret. (Sequitur etiam Arnulfi confirmatio) Et ut haec immunitatis et donationis nostrae auctoritas plenissimam in Christi nomine per cuncta voluentis seculi curricula obtineat stabilitatis firmitatem manu propria subtus eam confirmauimus, et annuli nostri impressione iussimus insigniri. Signum Domini Arnolphi Serenissimi Imperatoris Augisti. Engilbero Notarius ad vicem Theodmarii Archicapellani recognoui. Datum quinta Idus Septembris anno Incarnationis Dominicae DCCCXCVIII. Indictione prima Anno XI. Regis Arnolphi. Imperii autem III. Actum Reganesburch regio palatio, in Dei nomine feliciter Amen."

XIV. *Concilium Salisburgense, Wichingum, prius Nitriensem Praesulem, ab Arnulfo caesare Passauensem Episcopum creatum, sede hac mouet. A. 899.*

Engelmarus, Patauiensis Episcopus, obiit, in cuius locum Wichingus quidam Alamannus contra instituta Patrum prius Marachanensis, ab Apostolico destinatus Episcopus, Rege concedente, successit. Sed non multo post a Dethmaro Archiepiscopo, ceterisque suffraganeis suis, contra voluntatem regis, canonicali iu-

dicio abiectus, et Richardus ad eandem sedem Episcopus in id ipsum tempus ordinatus est." A. 899.

Indidem.

XV. *Archi-Episcopi Salisburgensis, et Episcopi Passauensis querelae. Quibus unum episcopatum in quinque diuisum, et immanes Hungaros in Bauariam per Slauos immissos, querulantur. A. 899.*

Summo Pontifici, et uniuersali Papae, non unius urbis, sed totius orbis, Domino Joanni, Romanae Sedis gubernatori magnifico, humillimi paternitatis Vestrae filii, Theotmarus Iuuauensis Ecclesiae Archiepiscopus, Valdo Frisingensis, Erchenpaldus Egstatensis, Zacharias Saebonensis, Tutto Ratisponensis, Richarius Patauensis Ecclesiae Episcopus; nec non et uniuersus clerus, populusque Christianus, per totam Noricam, quae et Bauaria, conuersatur, prosperum in saluatore nostro profectum, catholicae pacis augmentum, et regnum optamus aeternum. Antecessorum uestrorum decretis et catholicorum patrum institutis plenissime instruimur, in omnibus nostro ministerio sacerdotali obstantibus et aduersantibus. Romanum appellare Pontificem, ut quod ad unitatem concordiae et ad custodiam pertinet disciplinae, nulla dissensione violetur; sed ab ipso summa prouisione decernatur. Nequaquam enim credimus, quod coacti quotidie audimus; ut de illa sancta et apostolica sede, quae nobis sacerdotalis mater est dignitatis, et origo christianae religionis, profluxerit quidpiam peruersitatis; sed doctrina et auctoritas ecclesiasticae rationis. Sed uenerunt, ut ipsi promulgarunt de latere uostro tres episcopi, uidelicet Joannes Archiepiscopus, Benedictus et Daniel episcopi in terram Slaudorum, qui Maraci dicuntur, quae regibus nostris et populo nostro nobis quoque, cum habitatoribus suis, subacta fuerat tam in cultu religionis, quam ex tributo substantiae secularis: quia exinde primum imbuti, et ex paganis Christiani sunt facti. Et idcirco Patauensis ciuitatis episcopus, in cuius ditione sunt illius terrae populi, ab exordio christianitatis eorum, quando uoluit et debuit, illuc nullo obstante intrauit, et synodalem cum suis, et etiam ibi inuentis, conuentum frequentauit, et omnia, quae agenda sunt, potenter egit, et nullus ei in faciem restitit; etiam et nostri Comites, illi terrae confines, placita secularia illic continuauerunt, et quae corrigenda sunt, correxerunt, tributa tulerunt, et nulli eis restiterunt, usque dum incessente corda eorum diabolo, christianitatem abhorrere, et omnem iustitiam detrectare, belloque lacessere, et obsistere saeuissime ceperunt adeo, ut uia episcopo et praedicatoribus eo non esset, sed libitu suo egerunt, quae uoluerunt. Nunc uero, quod nobis graue uidetur, et incredibile, in augmentum iniuriae iactitant, se magnitudine pecuniae id egisse, qualia de illa episcopali sede nunquam audiuius existiisse, neque Canonum decreta id sanxisse, ut tantum schisma una pateretur Ecclesia. Est enim unus Episcopatus in quinque diuisus. Intranses enim praedicti Episcopi, in nomine Vestro, ut ipsi dixerunt, ordinauerunt in uno eodemque episcopatu unum Archiepiscopatum; si tamen in alterius episcopatu Archiepiscopium esse potest, et tres suffraganeos, eius

episcopos, absque scientia Archiepiscopi, et consensu episcopi, in cuius fuere dioecesi. Cum in concilio Africano cap. XX. decretum sit: ut plebes, quae in dioecesibus ab episcopis retinentur, quae nunquam episcopos habuerunt, non nisi cum voluntate eius episcopi, a quo tenentur, proprios accipiant rectores, vel episcopos. Et idem in eodem concilio cap. LXV. ut plebes, quae nunquam habuerunt proprios episcopos, nisi ex concilio plenario uniuscuiusque prouinciae et primatis, atque consensu eius, ad cuius dioecesim eadem plebs pertinebat, minime accipiant. In decretis Papae Leonis cap. XV. scriptum est: Nulla ratio sinit, ut inter episcopos habeantur, qui a prouincialibus episcoporum metropolitani iudicio non consecrantur. Item cap. MLIX. Si indignis quibuscumque et longe extra sacerdotale meritum constitutis, pastorale fastigium et gubernatio ecclesiae detur, non est hoc consulere populis, sed nocere; nec praestare regimen, sed augere discrimen. Et in eodem capite post pauca: Difficile est, ut bono peragantur exitu, quae malo sunt inchoata principio. Et in decreto Papae Coelestini, antecessoris vestri cap. XXII. continetur: ne alicui locus concedatur Sacerdoti in alterius iniuriam. Antecessor vester Zuentibaldo duce imperante, Vichingum consecrauit episcopum, et nequaquam in illum antiquum Patauiensem episcopatum transmisit, sed in quamdam neophytam gentem, quam ipse dux domuit bello, et ex paganis Christianos parauit. Cum autem eisdem Schlaui locus familiaritatis apud legatos vestros dabatur, accusabant nos et diffamabant in multis et verbis mendacibus instabant, quia nemo eis vera respondebat, dicentes: Nos et cum Francis et Alemannis scandalum habuisse, et discordiam; cum hoc falsum esse ex hoc vincitur, quia amicissimi nostri sunt, et charitatiue cooperatores; et etiam cum ipsis impacatos accusabant: Quod non nostra culpa exigente, sed sua proteruia faciente, ita fatemur esse; quia quando christianitas illis coepit vilescere, et insuper debitum tributum senioribus nostris regibus et principibus eorum soluere respuerunt, et in seruitium reciderunt: idcirco iure proprio tributarios habere debuerunt, et debent, etsi velint, nolint, regno subacti erunt. Quapropter oportet vos ab alto speculari, et mederaminis temperiem prae omnibus tenere, ne prior pars confortetur, et melior infirmetur. Progenitores namque serenissimi senioris nostri, Ludouici videlicet Imperatoris nostri, et Reges ex christianissima Francorum gente prodierunt; Moimari vero Schlaui, a paganis et ethnicis venerunt; illi potentia imperiali Romanam Rempubl. sublimarunt, isti damnauerunt; illi christianum regnum confortarunt, isti infirmauerunt. Illi toti mundo spectabiles apparuerunt, isti latibulis et urbibus occultati fuerunt; illorum consilio apostolica sedes pollebat, istorum persecutione christianitas dolebat. In omnibus his iuuenulus rex noster, nulli praedecessorum suorum inferior, secundum virtutem a Deo sibi datam, sanctae Romanae Ecclesiae, et vobis summo Pontifici, cum omnibus regni sui principibus, adiutor optat esse firmissimus. Omne namque regnum diuinitus sibi commissum, ad Dei seruitium, suumque adiutorium, unum vult et operatur. Unde et pace viget, et concordia gratulatur, atque ad vestram paternitatem, sicut patris sui, se pertinere laetatur. Quod nos praefati Schlaui criminabantur, cum Ungaris fidem Catholicam violasse, et per canem seu lupum, aliasque ne-

fandissimas res sacramenta et pacem egisse; atque, ut in Italiam transirent, pecuniam dedisse; si vobis coramposito ratio inter nos ageretur ante Deum, qui cuncta nouit, antequam fiant, et coram vobis, qui vicem eius apostolicam tenetis; eorum falsitas manifestaretur, et nostra innocentia probaretur. Quia enim christianis nostris longe a nobis positus, semper imminebant, et persecutione ipsos nimia affligebant, donauimus illis nullius pretiosae pecuniae substantiae, sed tantum nostra linea vestimenta, quatenus eorum feritatem aliquatenus molliremus. Talia namque, ut praescripsimus, iuxta malitiam cordis sui argumentantes, et pontifices vestros ad iniuriam nostram incitantes adeo, ut directa nobis epistola, quasi ab apostolica sede, haec omnia improperebant, atque inter alia diuino gladio feriendos, dignos dicebant. Impletur enim in nobis, quod quidam sapiens ait: Justus tulit crimen iniqui. Ipsi enim crimen, quod a nobis falso semel factum imposuerunt, multis annis peregerunt. Ipsi multitudinem Hungarorum, non modicam ad se sumserunt, et more eorum capita suorum pseudo-christianorum penitus detondentes, super nos Christianos immiserunt, atque ipsi superuenerunt, et alios captiuos duxerunt, alios autem occiderunt, alios ferina carcerum fame et siti perdidierunt; innumeros vero exilio deputauerunt; et nobiles viros ac honestas mulieres in seruitutem redegerunt; Ecclesias Dei accenderunt, et omnia aedificia deleuerunt ita, ut in tota Pannonia nostra, maxima prouincia, tantum una non appareat Ecclesia, prout episcopi, a vobis destinati, si fateri velint, enarrare possunt, quantos dies transierunt, et totam terram desolatam viderunt. Quando vero Ungaros Italiam intrasse comperimus, pacificari cum eisdem Schlauiis, teste Deo, multum desiderauimus, promittentes eis propter Deum Omnipotentem, ad perfectum indulgere omnia mala, contra nos, nostrosque acta; et omnia reddere, quae de suis nostros haberent: quatenus ex illis securos redderent, et tamdiu spacium darent, quamdiu Longobardiam nobis intrare, et res Sancti Petri defendere, populumque christianum diuino adiutorio redimere liceret. Et nec ipsum ab eis obtinere potuimus; et post tanta maleficia haberent beneficia; et sunt falsi accusatores, qui semper fuerunt Christianorum persecutores. Si quis in toto mundo aliorum nos oberrasse, et iustitiae restituisse probare conetur, veniat praesens, et eum ludificasse, nosque de hac re sentietis purissimos esse. Idcirco singuli, omnesque monendo precamur; ne ullo modo alicui falso, de nobis aliquam suspicionem referenti creduli sitis, antequam oportunitas exigat, ut huius rei gratia missus de vestra celsitudine nobis aut a nostra paruitate directus appareat vobis. Communis gemitus et generalis dolor angustat; quos Germania et tota tenet Norica, quod unitas Ecclesiae diuiditur scissura. Est enim, ut praemisimus, unus episcopatus in quinque diuisus. Ideo si quid fraus maligna Schlauiorum calliditate adduxerat, iustitia vertat. Vosque virtute ex alto induti, et apostolica potestate armati, iuxta Prophetam: Quod fractum est alligate, quod infirmum consolidate; quod abiectum reducite, ut deinceps populus et fidei integritate gratuletur, et sancta Ecclesia tranquilla deuotione letetur.

Theotmarus indignus Archiepiscopus, et apostolicarum rerum procurator prom-

tissimus. Pecuniam vestro iuri debitam propter infestam paganorum saeuitiam, nec per me poteram, nec per alios transmittere; sed quia Dei gratia liberata est Italia, quanto citius potero, vobis transmittam. Precatur nostra humilitas, ut dignetur vestra sublimitas respondere per singula transmissa cum epistola." A. 899.

Cod. Dipl.

XVI. *Hatho Moguntinus Archiepiscopus ad eundem Joannem Papam pro Morauis et Pannoniis ab Ecclesiis Bauaricis haud separandis, intercedit. A. 900.*

Domino Sanctae et Apostolicae et uniuersalis Romanae Ecclesiae Papae, Hatho, indignus Praesul Moguntiensis Ecclesiae, cum uiuersis Suffraganeis, nostrae exiguitati adiunctis, debitum orationis obsequium, et fidelem seruitutem. Nouerit igitur sublimitas sanctitatis vestrae, quod nulla fratrum unanimitas sanctae Romanae Ecclesiae potestati subiecta, fidelior atque deuotior, ac subiectior apparet, quam nos, qui vestrae Dominationi et capiti omnium ecclesiarum, omni mentis intentione subiicimur; plurimum gaudentes in Domino, et in dono gratiae ipsius, quod per vestram sanctitatem et sapientiam, magnifice et amplissime sedes eiusdem ecclesiae dilatatur in religione diuina, et in hoc instantissime precibus incumbimus, deprecantes diuinam clementiam, ut ad altiora semper conscendere vos, et de die in diem meliora sectari, atque perficere concedat. De cetero vestrae clementiae notificamus, seniore nostrum Arnolfum Imperatorem, de huius vitae exilio migrasse. Sed, quod quamdiu in hoc mundo subsistimus, per incerta ferimur, nescientes, ubi quorundam animae post hanc lucem mansionem recipiant; vestris quasi prouoluti vestigiis subnixae poscimus, ut animam ipsius vestrae auctoritatis potestate a vinculis peccatorum absoluatis: quia quaecunque solueritis super terram, erunt soluta et in coelo. Tali vero domino rectore, et gubernatore amisso, in nostris partibus vacillauit nauis Ecclesiae. Quem regem eligeret, paruo tempore inscia mansit, et quia timor magnus erat, ne solidum regnum in partes se scinderet; diuino, ut credimus, instinctu factum est, ut filius senioris nostri, quamuis paruissimus, communi consilio principum et totius populi consensu, in regem eleuaretur; et quia reges Francorum semper ex uno genere procedebant, maluimus pristinum morem seruare, quam noua institutione incidere. Sed cur hoc sine vestra iussione et permissione factum sit, vestram hanc dubitamus latere prudentiam, nulla scilicet causa actum constat, nisi quia pagani inter nos et vos consistentibus, impeditum est iter nostrum ad sanctam matrem nostram Romanam Sedem; ita, ut nec legati a nostra paruitate ad vestram dignitatem dirigi potuissent. Sed quia tandem occasio et tempus aduenit, quo nostra epistola vestris obtutibus praesentaretur; rogamus nostram communem constitutionem vestrae dominationis benedictione roborari. Insuper etiam pietati vestrae intimamus, quod fratres et patres et coepiscopi nostri Bauarienses, se apud nos conquerentes, et alta suspiria trahentes, gemebant, qualiter Marauiensis populi, Francorum potestati rebelles, iactent, se ab illorum consortio esse diuisos; et seorsum Metropolitanano gloriantur, a vestra concessione esse sublimatos; cum nunquam metropo-

litana sedes inter illos haberetur; sed semper illorum prouinciae et dioecesi cohaerent. Dolebant se etiam apud nos, quod quorundam machinatione, magna infamia circa vestram celsitudinem sint denotati; scilicet, ut cum paganis foedus et pacem inirent; et ipsi pagani consilio eorum agerent tam multa nefaria et illicita. De his omnibus consilium a nobis quaerentibus, Bauariensibus episcopis, iustum respondimus esse, fratrum solatio semper adhaerere, quia Propheta inquit: Ecce quam bonum, et quam iucundum habitare fratres in unum. Illi vero non in unum habitant, qui fratrum se solatio subtrahunt, aut insidias fratribus praeparant. Nos illorum tristitiae compatientes, nolumus illis consilium de talibus objectionibus praebere, priusquam ad vestram interrogationem per epistolam nostram veniremus. Semper, nos scimus, carnales spirituales solere persecui et maleuolos beneuolos infamare et lacerare. Praeuidere ergo summopere debent omnes, qui Sacerdotes domini persequuntur, tam occulte, quam manifeste, ne ad illos pertineat, quod Propheta dicit: Cogitauerunt malitias in corde suo; tota die constituebant praelia; exacuuerunt linguas suas sicut serpentes, veri. asp. sub lab. eorum. Et paulo post: Cadent super eos carbones, in igne deiicies eos. Et iterum: Vir linguosus non diligitur in terra. Virum iniustum mala capient in interitu. Et per Jeremiam inquit Dominus: Omnes in sanguine iudicantur; unus quisque proximum tribulat. Omnes in malum manus suas praeparant.—Non debent enim alieni episcoporum aut accusatores, aut iudices fieri. Unde de Loth est scriptum: Ingressus es ut aduena, numquid ut iudices. Accusator autem episcoporum nullus sit seruus, aut libertus; nullaque persona suspecta, aut infamis; repellantur omnes inimici et omnes laici.—Isti fratres et coepiscopi nostri Bauarienses, veraces Dei cultores, et boni pastores, peruigili custodia custodiunt gregem sibi commissum, ne lupi rabies aliquam sancti gregis ouiculam rapiat in praedam suam. Stant pro muro Israël, ne aliqua vis inimica, firmamentum Ecclesiae dissoluat. Qui tales inquietat, et sua malitia impugnat, licet praesentem, futuram tamen non euadet poenam; quia scriptum est: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Haec autem omnia perscripta vobis ideo dirigimus: quia estis caput totius Sanctae Ecclesiae, quaecumque per orbem diffunditur, et solamen moerentium; quaecumque tristitia nobis contigerunt, membris vestris: quia ipsi sanctissimi Pastores Christi superius dicti, in nulla re a catholica fide deuiantes, sed eandem sanctis operibus et ecclesiasticis officiis ornantes, apud nos conquerentes, postulauerunt, ut vestrae notitiae manifesta faceremus; quia et illi per se ipsos vobis eadem innotescere vita comite promittant. Unde poscimus, ut vestra consolatio illorum moerorem ad laetitiam reformet, et semper talia membra summo capiti, quod estis vos, se gaudeant adhaerere. Illi autem Morauenses, ut nostris auribus illatum est, in occasionem superbiae suae assumunt, qui a vestra concessione dicunt se metropolitanum suscipere, et singulariter degentes, aliorum episcoporum consortia refutant; si hac confidentia diutius inflantur, usque sanguinis effusionem, ut multi arbitrantur, prosilient. In quantum praesumimus, admonemus, quatenus vestra auctoritas, priusquam hoc contingat, ad humilitatis viam illos corrigendo deponat, ut tandem cognoscant, cui dominatui subiici debeant. Nos siquidem

debitores esse cognoscimus, siquid sanctae matris Romanae Ecclesiae scilicet contigerit elabi, vos inde certificari, ut vestra potentia ad rectitudinis lineam perducat. Quod si vestra admonitio illos non correxerit, velint nolint, Francorum Principibus colla submittent; et credimus absque effusione sanguinis et mutua caede, ex utraque parte tunc posse bene contingere. Iterumque vestrae dignitatis auribus replicamus, quod tam Episcopi, quam laici Bauarienses, in religione Christianitatis nulla gente inferiores esse probantur; neque unquam Franci absque illorum auxilio, aut in ecclesiasticis rebus, aut in bellicis negotiis, nominatim vel fama dignum aliquid peregerunt. Sicut neque illi absque istis." A. 900

E Cod. Diplom. t.

XVII. *Agapitus II. Papa Gerardo Archiepiscopo Passaviensi, qua Lauriacensis successori, auita iura vindicat, ipsiusque Archiepiscopatum assignatis limitibus, confirmat. A. 946.*

Agapitus Episcopus, Seruus seruorum Dei, Fratri Dilectissimo et Reuerendissimo Gerardo, Sanctae Lauriacensis Ecclesiae Archiepiscopo, in Christo Salutem. Petitiones tuas pro renouandis, siue approbandis ecclesiae tuae priuilegiis, venerabilis Fuldensis Monasterii Abbas, Hademarus, huc causa orationis veniens, cum magna beneuolentia nostrae experientiae suggestit; pariterque iurgia, et disceptationes grauissimas inter te, ac Heroldum Archiepiscopum (Salisb.) pro utrinque suscepta in una prouincia pallii auctoritate exortas, flebiliter nunciauit, quod et ipsi ex debita pastoralis cura nimio cordis moerore dolemus, detestabiliterque profanamus. Quippe Sancta et uniuersalis Ecclesia, cui auctore Deo praesidemus, e religiosis atque pacatis Sacerdotibus suis, et in charitate non ficta solidatis, quasi totidem columnis innisa fulcitur; discordantibus autem ut aduersum se hostiliter, instante superbia, animum tollentibus, praesertim tantis Pontificibus, velut euulsis sustentaculis causa, non sine magno periculo et vigoris sui detrimento, a proprio statu concutitur. Insuper etiam dum de foris inter vos de pallii honore pertinaciter huiusmodi contentio exercetur, agitur, ut in fraterna aemulatione decor sacerdotii intus euacuetur. Inde ergo Frater officium nostrum illud esse perpendentes, ne inimicitiarum fomite, in vobis succrescente, certe dissidium S. Dei Ecclesiae, scandalumque sine consilii, ac utilitatis vestrae respectu, diutius nutriatur, ad sequestrandum litem vestram, accedimus nos arbitri, tam ex sollicitudine a Domino regiminis iniuncti, quam amborum vestrum amore ad hoc permoti; ita videlicet, ut de perhibita conflictus vestri querimonia, rationalibus iudiciis rite iustitiae satisfaciamus, et vos omni explosa controuersia, in fraternam concordiam Christo moderante, reuocemus. Notum est igitur, literisque penes nos commendatum, quibus ecclesiarum loci dignitas pallii ab hac apostolica sede debeatur; Laureacensem autem urbem antiquitus Metropolitanam fore et Archiepiscopi sedem, cui Sanctitas tua praeesse dignoscitur, sicut in priuilegiis authenticis ad nos usque a te directis legimus, ita quoque in uetis quibusdam exemplaribus chartae vetustate admodum atritis, in archiuo S. Petri reperimus:

Hanc etiam in exordio nascentis Ecclesiae, et immanissima Christianorum persecutione, a Doctoribus istius sedis, catholicae fidei nouimus rudimenta percepisse, et exinde a succedentibus praedicatoribus in superioris atque inferioris Pannoniae prouinciis eiusdem fidei emanasse gratiam. Quibus etiam duabus prouinciis, illarumque Pontificibus usque ad tempora Hunorum non alius, quam sanctae Laureacensis praefuit Archiepiscopus; quorum barbarica feritas non solum praedictam Laureacensem ciuitatem, verum etiam in circuitu adiacentes regiones depopulauit, atque funditus desolauit. Inde quidem contigit: ut episcopi hac necessitate compulsi, sede illa deserta, atque alio translata, simul etiam Archiepiscopalem ipsius sedis desererent honorem. Modernis autem, nec multum retro elapsis temporibus, vacante ab Apostolico Vicario Bauariorum regno, Arno primus Sanctae Salzburgensis Ecclesiae subrogatur Archiepiscopus. Haec testatur annosa memorialis Sacri scrinii Historia. Modo autem mortalibus, propitiante Christo, ab hostibus Sanctae Laureacensis Ecclesiae quiete et habitandi securitate concessa; non alibi, quam ibidem, Fraternalitatis tuae cathedram oportet haberi. Quapropter reinthronisamus eidem Ecclesiae Sanctorum, videlicet Praedecessorum nostrorum, sed et beatae memoriae Domini Leonis Papae, a quo Excellentia tua pallio et priuilegio donata est, sanctiones, atque statuta exequentes, ac saepe dictam Laureacensem Sanctam Ecclesiam potestate et vice Beati Petri, Apostolorum Principis absoluius, et Archiepiscopamus, et in culmen metropolitanum sublimamus, et priuilegia nobis transmissa, manu propria munimus, et corroboramus, ac rata esse firmamus; denuoque tibi pallium cum praesenti praecepto, secundum usum prius concessum, successoribusque tuis perpetim tenendum tradimus. Hisque ex amussi ita ad iustitiam reintegratis, decreuimus rixas vestras, et dissensiones praefata ex causa deriuatas dirimere, atque in fraternum amorem vos reconciliare. Sic, ut utrique vestrum modo susceptus seruetur pallii honor illaesus; hortantes, quatenus Apostolice instituti, a modo non in contentione, ac in aemulatione maneatis. Constat quidem, quod canonice singulis prouinciis singuli ordinantur Metropolitanis; proinde distribuere, atque determinare ita vobis parochias bonum et pacificum aestimamus; ut diuisio duabus Noricae regionis prouinciis, Heroldo Archiepiscopo occidentalis Pannoniae cura committatur, et custodia; tibi autem et successoribus tuis propter emeritam antiquitatem Sanctae Lauriacensis Ecclesiae, cui iure iuniorum reuerentia assurgit: in benedictionis et sedis ordine praelatis, atque praepositis, prouidentiam orientalis Pannoniae, regionemque Auarorum atque Marahorum, sed et Schlauorum, qui modo Christiani, vel adhuc per baptismum Christo lucrandi sunt, circum quaque manentium curam credimus, nostramque Apostolicam vicem in illis partibus praedicandi, et pro arbitrio vestro, ubi opus est episcopos constituendi, omniaque disponere, ac ordinare tali auctoritate atque potestate delegamus, ac si ipsi praesentes affuissemus. Quod si iam dictus Heroldus Archiepiscopus deinceps, suorumque quispiam successorum minime diffinito limite contentus, sed interdictam atque a sua potestate separatam Dioecesim repetere peruicaciter conaretur; nec a prohibita

contentionis schismate per istas nostras apostolicas traditiones, atque determinationes compescitur; ipse etiam pie concessa dignitatis munificentia penitus priuetur, atque secundum ius pristinum superior Pannonia continetur inferiori, atque tuae, tuorumque successorum ambae perpetualiter subiaceant ditioni. Albescentes autem, assensum praebentes istis nostris saluberrimis decretis, benedicimus, et catholicos approbamus; resistentes vero atque infirmare, vel omnino pervertere contententes anathemate, maranathanae S. Trinitatis d' stricte percutimus, et apostolica sententia, qua mulctati Anania et Saphira exspirarunt, damnamus, et cum blasphematoribus S. Spiritus sempiternis cruciatibus puniendos destinamus. Anno 946.

E Cod. Dipl.

XVIII. *Pilgrinus, Passaviensis Archiepiscopus, Benedictum VI. Papam conversionis Hungarorum certiolem reddit. A. 974.*

Ordinis ac nominis carismate praerogato Sanctae Romanae Sedis uniuersalis, Benedicto Pontifici, Pilgrinus; sanctae Laureacensis Ecclesiae humilis seruitor, fidelitatem precum, deuotumque seruitium. Notum fieri dignetur vobis, summe Sacerdotum Praesul, quod super omne animi mei desiderium nunc delectarer, et Apostolorum visitare limina, vestraque optabili perfrui licentia, et ea e facie ad faciem, quae litteris et internunciorum committo iudiciis, sanctissimae paternitati vestrae coram ratiocinari; nisi quod a neophyta Ungarorum gente huc ire prohibeor, apud quam foedere pacto, sub occasione pacis, fiduciam sumpsimus operam exercere praedicationis. Cuius enim terror gentis ex longo tempore etiam aliarum prouinciarum praedicatoribus meae dioecesis hactenus aditum clausit, ad quas nihilominus praesentis oportunitas temporis ire me vocauit. Quibus Deus Omnipotens, quoniam solita sua pietate semper dispersa congregat, aperire dignatus est ianuam cordis sui, diu clausam, ut discisso velamine duritiae suae, depositaque ferina crudelitate, leni ingo domini colla submittant. A qua ergo praefata Ungarorum gente multis precibus ipse inuitabar venire, aut missos meos in opus Euangelii illuc dirigere. Ad quos dum transmitterem satis idoneos viros, ex monachis, canonicosque presbiteros, atque de singulis ecclesiasticis gradibus clericos et vita, omnique conuersatione illorum sic ordinata, quemadmodum in gestis Anglorum didici; tantum diuina gratia fructum statim ministravit, ut ex eisdem nobilioribus Ungaris utriusque sexus catholica fide imbutos, atque sacro lauacro ablutos circiter quinque millia Christo lucrarentur. Christiani autem, quorum maior pars populi est, qui ex omni parte mundi illuc tracti sunt captiui, quibus nunquam soboles suas licuit, nisi furtiue Domino consecrare, modo certatim nullo obstante timore offerunt eos baptisare, gratulantur omnes tanquam de peregrinatione sua in patriam reducti, quod christiano more oratoria audent construere, et licentia percepta, linguam ligatam in laudem Sa'uatoris praesumunt soluere. Ipsi enim Barbari, mira omnipotentis Dei operante clementia, quorum licet adhuc gentilitate sint quidam de-

tenti, nullum tamen ex illorum subditis vetant baptisari; nec sacerdotibus inhibent, quocunque proficisci. Sed ita concordēs sunt Pagani cum Christianis, tantamque ad inuicem habent familiaritatem, ut illic videatur Isaiæ Prophetia impleri: Lupus et agnus pascuntur simul, Leo et bos comedent paleas. Factum est ergo, ut pene cuncta Ungarorum natio sit prona ad percipiendum fidem sanctam, sed et aliae Sclauorum prouinciae ad credendum promptae. Et est ibi messis quidem multa, operarii autem pauci. Inde quoque visum est, iam necessarium esse, quatenus sanctitas vestra illic iubeat aliquos ordinari episcopos, quia et quondam Romanorum Gepidarumque tempore proprios VII. Antistites eadem orientalis Pannonia habuit, et Moesia, meae sanctae Laureacensi, cui ego indignus ministro, ecclesiae subiectos; quorum etiam quatuor, usque dum Ungari regnum Bauariorum inuaserant, sicut praesenti cognitum est aetati, in Marauia manserunt. Quod nimirum graue ac valde onerosum est mihi, ut tot mei pontificii parochias solus praedicando circum eam, quibus necessitate et adiutorii inopia cogor nunquam meam subtrahere praesentiam. Ecce Dominorum amantissime, huiusmodi ecclesiasticis mancipatus officiis detineor, et ne fecissem moram saepe dictae gentis conuersioni, ire et prosterni ad vestra sanctissima vestigia distuli. Legatos autem meos, praesentium scilicet portitores, ad vestram destinavi seruitutem, quos audire, quaeso dignum clementia vestra, et eorum, meisque mixtim precibus, praebere assensum, quatenus pallium et infula pontificalem, quod speciale munus honoris ab hac sede tantum dirigitur metropolitanis, quod etiam mei praedecessores a gloriosis huius principalis cathedrae primatibus accipere soliti fuerant, mihi vero hoc ipsum benigno animo per illos dirigere dignetur, pariterque etiam privilegia apostolicae auctoritatis meae ecclesiae per ipsos missos meos vestris praesentata sacris obtutibus, more praedecessorum vestrorum roborari, supplico et confirmari; ut hac apostolica sanctione ac benedictione munitus, mihi commissi populi gubernationem canonicè exequi valeam, et vestris in die iudicii rationibus imputetur, quod in illis finibus ex paganis noua ecclesia Domino lucratur. Quoniam variae ac peruersae haereticorum sectae timendae sunt, quod saepe contingit deprehendi alios, quibus praesunt, errore suo corrumpere, quos agnitione orthodoxae veritatis debuèrant illustrare. Ut haec tam pestifera de me amputetur suspicio, solemne symbolum catholicae fidei, quam ipse teneo et doceo, vestro Apostolatui profitendum salubre censui. Confiteor (vide Symbolum §. 214.) Qualiter ergo ex praelibata fide idiotas erudire debeam, et ipse in suscepto nouitiorum ecclesia conuersari, rescripto Paternitatis vestrae cautus flagito; ut merear edoceri. Memet ipsum enim iterum iterumque sanctitatis vestrae fidei ac precibus submisce commendo. Dignam autem vestrae sublimitatis memoriam, quam tota per orbem frequentat Ecclesia, ego cum omnibus meis subditis, votis et orationibus celebrare non desisto; quidquid etiam humani seruitii, quod vestram doceat magnitudinem, ex me conferri possit, totum et ex toto pro libitu voluntatis vestrae liberaliter expendere, pater dilectissime satago." 974.

XIX. Benedictus VII. PP. conuersionem Hungarorum promulgat, Piligrinum Passauiensem A. Episcopum pallio ornatum, suum Vicarium in Pannonia constituit. Anno 975.

Dilectionis nobis in Christo filiis, Hartuico Moguntinae Ecclesiae, et Diotrico sanctae Treuerensis Ecclesiae, atque Adalberto sanctae Magdeburgensis Ecclesiae, parique modo Gereoni, sanctae Coloniensis Ecclesiae, atque Friderico sanctae Iuuauiensis Ecclesiae, sed et Adalgo, sanctae Bremensis Ecclesiae Archiepiscopis. Pariterque Domino Ottoni gloriosissimo Imperatori Augusto, atque Nepoti, suo Praecellentissimo Duci Bauariorum, caeterisque omnibus Episcopis, et Abbatibus, Ducibus atque Comitibus Galliae, atque Germaniae; Benedictus diuina gratia praedictus Apostolicae sedis Pontifex, Seruus seruorum Dei, in Domino salutem. Oportet iustis supplicationum petitionibus nos semper faciles et humiles exhibere; et praecipue cum fraternis religiosorum consacerdotum precibus sollicitamur, qui passim ab omni mundi termino tenorem et regulam, atque proprii officii vigorem ab hac uniuersali sancta Romana Ecclesia, eiusque sortiuntur ministro, Vicario scilicet beati Petri, Principis Apostolorum; cuius quamuis indigni, eisdem tamen gratia, et dono potestati successimus et ordini; cui voce dominica dicitur: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Quapropter dignum aestimauimus assensum praebere congruis postulationibus Reuerendissimi Archiepiscopi, quas per probabiles personas nobis intimauit, responsalium suorum duorum presbiterorum; quatenus sibi pallium et Metropolitanum honorem cathedrae suae, sanctae Laureacensi ecclesiae restitueremus, confinio Ungrorum adiacenti; quod omnino nos eidem Ecclesiae debere testantur antiquissima secum apportata priuilegiorum testimonia. In quibus enim continebatur, quod aetate pontificatus beati Symachi, huius almae sedis Apostolicae Praesulis, praefata sancta Laureacensis habetur ecclesia metropolitana; et in quantum tam exinde, quam etiam de passionibus beatorum Martyrum, qui illic plures in tempore persecutiones pro fide Christi, variis sunt tormentis mulctati, colligere possumus, ex omnibus ecclesiarum dioecesibus Pannoniae haec antiquitate et Archiepiscopii dignitate esse primitiua creditur; quae iam multis retroactis seculis ex vicinorum frequenti populatione barbarorum deserta, et in solitudinem reducta, nullum Christianae professionis habitatorem meminit, usque dum inuictissimus Augustus et pater Gratiae Genitor quippe pii Imperatoris nostri, quem adhuc superesse et diu dominari mundus exoptat, bellico tropheo eorum vires retudit. Nunc autem, quam ob rem votis exultantibus in laudem omnipotentis Dei erumpimus; non solum saepe dicta sancta Laureacensis Ecclesia hostium cessante terrore, cum acolis suis pace ac tranquillitate potitur, verum etiam ipsi, dudum inimici illum, quem persecuti sunt, more gentili, iam iam Christum baptisati profitentur, et sacerdotes modo habere desiderant, ac prout rudes scire poterunt, venerantur; et Ecclesias quasdam in sua terra, quas patres incendio dederunt, posteri restaurare videntur. Hac erga suadente ratione, quod praenominati sanctae Laureacensis Ecclesiae Archiepiscopi postulatio, antiqua Apostolica auctoritate commendatur, et

praeterea quod iustum esset, pariter etiam utile, visum est, ut ad fructificandas Deo gentes, ex nouitiis cultoribus fidei Ungrorum atque Marauorum, siue etiam aliis multis prouinciis Sclauorum suae parochiae finitimis, illic ordinatis episcopis, secundum quod antiquitus dispositi erant, eis hunc constitueremus Archiepiscopum. Quoniam autem Salisburgensis Metropolis abusa est subiectione sanctae Laureacensis Ecclesiae Pontificii, oblitterata, et attenuata sua dignitate ex deuastatione barbarorum, quam propterea acceptis Apostolicis priuilegiis nequaquam patimur priuari; cum et priora sint Salisburgensibus, et ideo auctoritatiua, vel auctabiliora; quae conditio testimonii etiam apud secularia iudicia viget et praeualet. Nos vero in huiusmodi constitutionibus omnem calumniam, atque contemtionis occasionem, Domino adiuuante, facile propulsamus; ambabus parochiis ab inuicem certis limitibus sequestratis, et tamen Apostolicis sanctionibus ubique stabilitis, quas nostrum est semper defendere et secundum euangelicam sententiam nihil ex eis soluere, sed adimplere. Inde ergo auctoritate et potestate beati Principis Apostolorum Petri, atque exemplo beatorum Pontificum, scilicet praedecessorum nostrorum, eandem Laureacensem Ecclesiam, eiusque Rectores, iam Archiepiscopos, amodo perpetim ab omni Salisburgensis Ecclesiae Praesulum subiectione ac ditione absoluimus; et honore Metropolitanano sublimamus. Et sicut modernis temporibus sanctae memoriae Agapitus Papa terminos earundem Parochiarum ab inuicem distinxit, sic et ipsi definimus, ita quoque, ut sancta Salisburgensis Ecclesia superioris Pannoniae Episcopos habeat suffraganeos, quibus usque huc sui pontifices praeesse videbantur; cum tanta, talique dioecesi, quali hactenus in inferiori usi sunt Pannonia. Sancta autem Laureacensis Ecclesia in inferioris Pannoniae, ac Moesiae regiones, quarum prouinciae sunt Auaria, atque Marauia, in quibus septem Episcoporum parochiae antiquis temporibus continebantur; siueque Antistites Archiepiscopatus deinceps habeant potestatem, cum tanta talique dioecesi, quali hactenus in superiori usi sunt Pannonia. Quibus utique iam praeceptis, insuper iniungimus, ut iuxta beati Gregorii decretum, Anglorum Archiepiscopis directum, alter illorum, qui prior sit in ordinatione tempore, ipse etiam, quoadiuuat, prioratum teneat et in ordine. Penitus enim determinatis utriusque Ecclesiae dioecesibus, omnique exclusa altercandi occasione, canonica subdistinctione interdicens, ut neuter earundem Ecclesiarum Episcopatus inuadere alterius Parochiam praesumat, vel quibuscunque iurgiis aut disceptationibus superdiffinitis a nobis modo rebus, alter alterum sollicitare audeat. His igitur sedatis, venerabilem confratrem nostrum, Piligrinum Archiepiscopum, canonicis literis munitum, sedi sanctae Laureacensis Ecclesiae inthronisauimus, palliumque ei secundum antiquum eiusdem ecclesiae usum direximus; atque in prouinciis Auariae regionum quoque inferioris Pannoniae siue Moesiae, et in contiguis sibi Sclauorum nationibus, circum quaque manentium, nostram Apostolicam auctoritatem et vicem exercere, committimus et delegamus: quatenus illic, more Antecessorum suorum, sanctae Laureacensis Ecclesiae Archiepiscoporum, habeat potesta-

tem presbiteros et episcopos ordinare, atque constituere, et ex praedictis gentibus sua sancta praedicatione parare Domino plebem perfectam." A. 975.

E Cod. Dipl.

XX. Otto II. Imperator, Pilgrinum Laureacensem Archiepiscopum agnoscit, eique conuenientes decernit honores. A. 976.

Ut, quemadmodum priscis temporibus S. Laureacensis Ecclesia, quae extra murum, in honorem S. Stephani, sanctique Laurentii constructa et dedicata est, ante dissidium et desolationem Regni Boioariorum Mater Ecclesia, et Episcopalis sedes, ita deinceps pristino honore ac dignitate, canonica autoritate, perfruatur; quam et praesenti praecepto nostro renouamus, et roboramus, etiam saepe dictae Ecclesiae Laureacensis venerabilem Pilgrinum reinthronisamus. Antistitem, quatenus a modo tam ipse quam omnes sui successores Laureacenses fiant et nominentur Pontifices. Datum nonas Octobris, Anno Domini DCCCCLXXVI. Indictione VI. Anno Regni Domini Ottonis Imperatoris Augusti III. Actum in ciuitate Ratisbona. etc.

Indid.

XXI. Indicium communionis inter Pilgrinum Archiepiscopum, ac Hungaros neophytos ruptae, et impeditae. A. 985.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis Otto diuina fauente clementia Rex. Notum sit cunctis tam praesentibus quam futuris, Christi fidelibus; qualiter Pilgrinus, sanctae Patauiensis Ecclesiae venerabilis Praesul, episcopatus sui pertinentiam, in orientali plaga, Barbarorum limiti adiacentis, creberrima eorum deuastatione infestari, nostrae conquestus est pietati; a quibus etiam barbaris moderno nostri quoque regni tempore, miserabili lamentatione, adiecit, tam irrecuperabil se damno laesum, in interfectione ac direptione Ecclesiae suae familiae, praeter innumerabilia depraedationum et incendiorum dispendia; ut absque habitatore terra episcopi solitudine siluescat; cuius perniciosissimam iacturam munificentiae nostrae liberalitas, huiusmodi solari iuamine, pro nostrae aeterno precatus est animae remedio; quatenus videlicet ingenui, qui ex inopia seruorum in locis ecclesiastici patrimonii constituentur coloni, quidquid nostrae publicae exactioni iuditiaria potestate deberent, ad pristinae restorationem culturae, suis largiremur usibus. His igitur moti querelis, maximeque interuentionibus allubescentes, suscipiendae reuerentiae, Theophaniae, Dominae matris nostrae semper Augustae, amborumque nepotum nostrorum Heinricorum Ducum scilicet Bauariae, et Carinthiae Regionum, postulata eo tenore concessimus, ut liberi, cuiuscunque conditionis sint, qui destinantur coloni in locis pertinentibus ad sanctae Patauiensis Ecclesiae praesulatum in honore Beati Stephani Protomartyris Christi constructum et dedicatum, ubi sanctus Valentinus et Maximilianus confessores Christi, corpore requiescunt; siti hactenus in Marka Liutpoldi Comitis, a nostrorum ministerialium deinceps sint districtione absoluti, et quidquid no-

ster publicus Fiscus ab eis exigeret, reciperet, vel percipere posset, hoc totum in cunctis, Aduocato praefatae Ecclesiae Patauiensis, exigendum et percipiendum ad iam dictam Pontificis Piligrini, successorumque suorum utilitatem perpetuo condonamus; nec pro ulla alia occasione aut vadium soluere, aut ad comitatum ire a Marchione, aut aliqua iudiciariae potestatis persona cogantur; nisi ea lege, vel iure, quo ecclesiastici serui ab extraneorum pulsati reclamationibus, pro satisfacienda iustitia ad placitum ire compelluntur. Et ut haec auctoritas nostra praesentibus, futurisque temporibus, Domino protegente valeat inconuulsa manere, manu propria subter signauimus, annulique nostri impressione signari iussimus. Signum Domini Othonis, gloriosissimi Regis. Hildwaldus Episcopus ad vicem Willigisi Archicapellani recognoui. Datum pridie calendas Octobris. Anno Dominicae Incarnationis DCCCCLXXXV. Indictione XIV. Anno autem III. Ottonis regnantis secundo, Actum Babenbergae, in Dei nomine feliciter. Amen.

Indidem.

XXII. Henricus II. Boioariorum Dux, in Marchia orientali Leopoldi illustris Marchionis, et Statoris stirpis Babenbergicae, in Austria nuper ab Ungaris usque montem Commogenum reuindicata, possessiones Ecclesiae Passauien. et limites Austriae designat. A. 895.

Notum sit cunctis praesentibus scilicet et futuris, qualiter Henricus, strenuus Boioariorum Dux, in Marcha Luitpoldi Marchionis, congregatis omnibus tam Episcopis, quam Comitibus, primoribusque cum plebibus regni; publico placito habito, populum terminalem pro facienda generaliter iustitia, iurare fecit, quod iuri uniuscuiusque proprium esset, de illis praediis, quae tunc sub ditione tenebantur dominica, et quid episcopatum aut abbatiarum familiae deberent Marchioni. Inter cetera autem, quae ad S. Stephanum P. M. sedemque Patauiensem iuste, legaliterque pertinere deberent. Tunc imprimis familiam Sancti Stephani ab omni iugo, vel districtione Marchionis, hoc est collectis, Moratiuis, operibus mansionaticis, et ceteris seruitiis liberam et absolutam asserebant. Deinde haec loca ad sedem Patauien. Ecclesiae attinere, sub proposita iusiuratione firmabant: tempore pontificatus et praesentia Piligrini Episcopi, Mutarun, et quod Eparesburch nominatur, sursum Vuintestale, a termino S. Michaelis, Rosseza, deorsum usque Clepadorf, Salzburgensis Ecclesiae Locellum, et ita per latum in Australem plagam ad deserta montana, exceptis duorum paucorum iugerum praediolis. Deinde Treisimam ciuitatem, S. Ypoliti Martyris, ea integritate, ut quondam beatae memoriae Adalbertus Episcopus sub Purchardo Marchione in sua tenuit vestitura; et quemadmodum charta legali asfirmatione antiquitus roborata, et in publico recitata designabat. Postea Persnicha sicut Willihcunus in proprium possidebat, quod tempore praesenti Bohemani insidendo arabant. Deinceps Liliunnoua iuxta Tullonam, Egilisten, Zeizmaurestin, et Abbasteten, cum omnibus iure ad se respicientibus. Postmodum autem a septem collibus ab occidente, ciuitate Zeizmure, sursum ad australem plagam Chunihoestorf et sic usque

ad Hargenstein, et ita ultra Danubium usque ad mareuinos terminos, in latum et sursum in longum, usque ad Mochinle, et Trebinse, et utramque ripam fluminis Danubii, infra iam dictum terminum, Locumque piscationis Huzonum, quem hactenus Tullonenses suis vendicabant usibus, S. Stephanum P. M. legaliter attinere. Nomina autem, qui ista iurando affirmarunt, haec sunt: Meinhart Comes, Popo Comes, Marchwant Comes, et frater eius Audger, Timo Comes, Perthoth, Werrheri, Rupo, Egil, Mimillo."

E Cod. Dipl. tom. VII. vol. I. p. 100—3.

XXIII. *Syluester II. Papa Stephano Hungarorum Duci, coronam Regiam, crucem, Apostolatus insigne, vicemque suam in ordinandis Ecclesiis, ad successores transferendam, submittit. A. 1000.*

Syluester Episcopus, Seruus seruorum Dei, Stephano Duci Ungarorum, salutem et apostolicam benedictionem. Legati nobilitatis tuae, inprimis vero confrater noster Astricus, venerabilis Colocensis Episcopus, tanto maiori cor nostrum laetitia affecerunt, ac minori officium suum labore confecerunt, quanto diuinitus praemoniti, cupidissimo animo illorum aduentum, de ignota nobis gente, praestolabamur. Felix Legatio, quae coelesti praeuenta nuncio atque Angelico pertractata ministerio, prius Dei conclusa est decreto, quam a nobis audita fuisset. Vere non volentis, neque currentis, sed secundum Apostolum miserentis est Dei; qui teste Daniele, mutat tempora et aetates, transfert regna, atque constituit; reuelat profunda et abscondita; et nouit in tenebris constituta; quia lux cum eo est, quae sicut docet Joannes, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Primum ergo gratias agimus Deo Patri, et Domino nostro Iesu Christo, qui temporibus nostris inuenit sibi Dauid, filium Geysae, hominem secundum cor suum, et luce irradiatum coelesti, suscitauit illum pascere Israël, populum suum, electam gentem Ungarorum. Deinde laudamus pietatem sublimitatis tuae, in Deum, et reuerentiam erga sedem Apostolicam, cui diuina patiente misericordia, nullo meritorum nostrorum suffragio, praesidemus. Tum vero largitatem liberalitatis, qua Beato Petro, Apostolorum Principi, regnum ac gentem, cuius Dux es, cunctaque tua, ac temet ipsum, per legatos eosdem obtulisti, digno praeconio commendamus. Hoc enim facto egregio aperte testatus es, et reuera talem te merito esse, demoostrasti, qualem, ut nos te declarare dignaremur, studiose expetiisti. Sed parcimus. Neque enim necesse est, ut quem tot et talia praeclara pro Christo gesta facinora voce publica clamant, quemque Deus ipse commendat, amplius commendemus. Quare gloriose fili, cuncta a nobis, et a sede Apostolica expostulata, diadema, nomenque regium, Strigoniensem Metropolim et reliquos episcopatus, de omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate, praemonente atque ita iubente eodem omnipotente Deo, cum Apostolica et nostra benedictione libenter concessimus, concedimus et impartimur. Regnum quoque a Munificentia Tua S. Petro oblatum, Teque una ac gentem et nationem Hngaricam praesentem et futuram sub protectionem, san et

Romanae Ecclesiae acceptantes, prudentiae Tuae, haeredibus ac legitimis successoribus tuis habendum, tenendum, regendum, gubernandum ac possidendum reddimus et conferimus. Qui quidem Haeredes ac Successores tui quicumque, postquam per optimates legitime electi fuerint, teneantur similiter nobis et successoribus nostris per se vel per legatos suos debitam obedientiam ac reuerentiam exhibere, seque sanctae Romanae Ecclesiae, quae subiectos non habet, ut seruos, sed ut filios suscipit uniuersos, subditos esse ostendere, atque in catholica fide, Christique Domini ac Saluatoris nostri religione, fimiter perseuerare. Et quia Nobilitas sua Apostolorum gloriam aemulando, Apostolicum munus, Christum praedicando, eiusque fidem propagando, gerere non est dedignata, nostrasque et sacerdotii vices supplere studuit, atque Apostolorum Principem praeteris singulariter honorare: id circo et nos singulari insuper priuilegio Excellentiam Tuam, Tuorumque meritorum intuitu, Haeredes ac successores tuos legitimos, qui sicut dictum est, electi atque a sede Apostolica approbati fuerint, nunc et perpetuis futuris temporibus condecorare cupientes, ut postquam Tu et illi corona, quam mittimus, rite iuxta formulam, legatis tuis traditam, coronatus, vel coronati exstiteritis, crucem ante se, Apostolatus insigne gestare facere possis, ac valeas, atque illi possint valeantque. Et secundum, quod diuina gratia te et illos docuerit, Ecclesias regni tui praesentes et futuras, nostra et successorum nostrorum vice disponere et ordinare Aposolica auctoritate similiter concessimus, volumus et rogamus; sicuti in aliis literis, quas in communi ad Te optimatesque regni, et cunctum fidelem populum per nuncium nostrum, quem ad Te dirigimus, deferendis, plenius haec omnia explicata continentur. Oramus omnipotentem Deum, qui Te de utero matris tuae vocauit nomine tuo, ad regnum et coronam, quique diadema, quod Duci Polonorum confectum per nos fuerat, tibi dandum mandauit, augeat incrementa frugum iustitiae tuae, nouellas plantas regni tui rore suae benedictionis perfundat largiter; regnumque tuum tibi, teque regno seruet incolumem, ab hostibus visibilibus et inuisibilibus protegat, ac post terreni regni molestias, in coelesti regno corona adornet aeterna, Data Romae VI. Kal. April. Indict. decima tertia."

E Cod. Diplomatico.

XXIV. *Stephanus Protorex monasterium S. Martini in monte Pannoniae ex voto consummat et dotat. A. 1001.*

In nomine Domini Dei summi. Stephanus superna prouidente clementia Ungrorum Rex. Credimus et vere seimus, si locis diuino cultui mancipatis potestates atque honores adaugmentauerimus, id non solum laude humana, praedicandum verum diuina mercede remunerandum. Quo circa omnium sanctae Dei Ecclesiae fidelium, nostrorumque praesentium atque futurorum sollers comperiat intentio: quod nos interuentu, consilio et consensu Domini Anastasi Abbatis de Monasterio S. Martini, in monte supra Pannoniam sito, ab genitore nostro incepto, quod nos per Dei subsidium, ob animae nostrae remedium, pro

stabilitate regni nostri, ad finem perduximus, talem concessimus libertatem, qualem detinet monasterium sancti Benedicti in monte Cassino: quia per orationes sanctas fratrum eiusdem monasterii, consiliante Domino Anastasio, praescripto Abbate, et iugiter adiuuante, confortati et laureati sumus; singulare namque suffragium, quod per merita beati Martini in pueritia mea expertus sum, memoriae posterorum tradere curavi. Ingruente namque bellorum tempestate, qua inter Theotonicos et Ungaros seditio maxima exarserat, praecipueque, cum ciuili belli ruina urgeret, volente comitatu quodam, nomine Sumegiense, paterna me sede repellere; quid fluctuanti animo consilii darem? quaque me verterem? Tanta tactus verecundia astantibus Ducibus: videlicet Pozzano, Cuntio, Orhio, Domino quoque Dominico Archiepiscopo, votum voui sancto Martino, quod si de hostibus interioribus et exterioribus, eius meritis victor existerem, supra nominati Comitatus decimationem de omnibus negotiis, praediis, terris, vineis, segetibus, vectigalibus, vinumque hospitum, quod in praediis eorum excresceret, ne parochiano episcopo pertinere videretur, sed magis Abbati eiusdem monasterii, sub testimonio praefatorum Ducum, multorumque Comitum, absque ulla mora subiugarem. Dumque post cogitatum victoria potirer, quod animo revolueram, operis efficacia complere studui. Nec dum enim episcopatus et Abbatiae, praeter ipsum locum, in regno Ungarico sitae erant. Quod si vos fideles! licuit in quo volui loco, episcopatus et abbatias statuere, an non licuit cuiquam loco, quod volui, ut facerem? Et ne adhuc Ecclesia S. Michaëlis vacua esse diceretur, vel Episcopus Parochianus iniurias, querimoniasque in collatione decimarum pateretur; ei curtem, quae vocatur Cortou, cum hominibus eidem pertinentibus, tradidi. Quod si ipse contra mea statuta quid inique agere vel acquirere voluerit; ante Deum iudicem viuorum et mortuorum, in die iudicii se contendere mecum sciat. Ad huc autem subiungens dico: sit id ipsum monasterium ab omni inquietudine remotum; habeantque monachi post transitum sui cuiusque Abbatis alium Abbatem securiter eligendi, et a quocunque velint Episcopo, consecrandi eum; sitque illis licitum ordines accipere quouis loco, et a quocunque Episcopo. Ante neminem vero Abbatem Capella incedat, nisi ante Patrem eiusdem monasterii, propter reuerentiam et sanctitatem ipsius loci; moreque episcopi in sandaliis missam celebret. Praecipimus itaque sub testificatione Saluatoris Domini nostri Jesu Christi, ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, seu aliquis homo magnus, siue paruus, de iam fato monasterio aliquo modo se intromittere, in mancipiis, terris, vineis, decimationibus, piscationibus, ripis, placitis (pratis) sine concessione Abbatis eius monasterii audeat. Quod qui fecerit componat centum libras auri optimi, medium Camerae nostrae, ac medium praefato monasterio, suisque rectoribus, maledictionisque perpetuae vinculo aeternaliter feriat. Quod ut verius credatur, hanc paginam manu propria sigillari iussimus.

Sigillum Domini (Locus Monogrammaticus) Dominicus Archiepiscopus.
Stephani Inclyti Regis Vice Cancerar. fecit.

Anno Dominicae Incarnationis ML Indictione XV. Anno Stephani, primi Regis Ungrorum secundo hoc priuilegium scriptum et traditum est: Hae sunt nominatae villae, in dedicatione Ecclesiae ab Archiepiscopo Sebastiano et a Comite Ceba. Piscatores Fizeg, Balvanos, Temerdi, Chimudi, Wisetcha, Vuosian, Murin, Curtou, Wag; tertia pars tributi de Poson, in omnibus rebus siue praesentibus, siue futuris.

E Cod. Dipl.

XXV. Idem Rex Episcopatum Vesprimiensem fundat et dotat. A. 1009.

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis, Stephanus Dei gratia Hungarorum Rex. Si propter pietatis magnitudinem non solum domesticis, verum etiam aduenientibus fidelibus digne postulata largimur; praecipue conuenit, ut animi culmen ad supernas anhelantes deuotiones, sanctarum ecclesiarum postulationibus acclinemus, ipsasque praediis atque possessionibus subleuando, procurare flagitemus. Proinde omnium sanctae Dei Ecclesiae fidelium nostrorum, praesentium scilicet, et futurorum nouerit industria, quod nos pro animae nostrae remedio, quatuor ciuitates: nempe Besprem, in qua ipsius episcopatus aedes est constructa, atque Albam ciuitatem, Corteu, et Visegrad ciuitates, sancti Michaelis Vesprimiensi subordinauit ecclesiae, cum omnibus ecclesiis, capellis, atque titulis et terminis, atque finibus, nec non concedimus, donamus atque largimur, e regali nutu, atque donatione praelibatae S. Ecclesiae Besprimiensi villam unam nomine Can in Besprimiensi Comitatu, in quo episcopalis, ut praedictum est constructa est sedes; atque tres villas nomine Osi, Cari, et Beren, in Comitatu Albensi sitas; et Marczalfeo, in pago Cortoensis ciuitatis unam villam, nec non in Comitatu Visegradiensis ciuitatis villam unam sitam supra Danubium; ex cuius latere dextro riuus, qui Aprik nuncupatur, decurrit; pariterque unam Fyki nomine sitam in comparte Urhida ciuitatis, cum omnibus utilitatibus, cunctisque pertinentiis, scilicet famulis, famulabusque, pratis, vineis, areis, aedificiis, campis, terris, agris, cultis et incultis, piscationibus, venationibus, aquis aquarumque decursibus, molendinis, viis et iuribus, tam exitibus quam introitibus, ut habeat firmitatem perpetuam, sicut est donatum omnium possidendorum. Habeat etiam praelibata S. Michaelis Besprimiensi Ecclesia, quam Stephanus sanctae illius Ecclesiae Episcopus regit, praedictarum ciuitatum atque villarum, ut praediximus, potestatem habendi, atque usque in perpetuum possidendi; nec non praelibato Episcopo, cuius est ipsa regimini commissa, suis successoribus perpetuo subiiciendi, omnium hominum contradictione remota. Regali denique iubemus potestate, ut nullus Dux, Marchio Comes, Episcopus, Vicecomes, Judex vel Exactor, aut aliqua magna persona, vel parua, regni nostri audeat contra statuere praenominatae S. Michaelis Besprimiensi Ecclesiae, aut surripere de omnibus rebus suis mobilibus et immobilibus, quaesitis vel aquirendis, cum omnibus, quae illi in praelocutis ciuitatibus, earumque pertinentiis et iuribus, nec non in villis pertinentibus, vel in aliquibus locis subiiciuntur; aut Stephano, illius sanctae Ecclesiae Episcopo, suisque successoribus, ali-

quid molestiae inferre praesumant. Si quis igitur huius nostri praecepti paginam frangere tentauerit, aut praelibatae S. Michaëlis Bespremiensis Ecclesiae Almificum Episcopum, suosque successores ex cunctis praecitatis rebus Ecclesiae, nec non dotibus molestare conauerit, octo millia librarum cocti sciat se compositurum, medietatem Camerae nostrae et medietatem praedictae S. Michaëlis Bespremiensis Ecclesiae, nec non Stephano, suisque successoribus; tercentorumque decem et octo Patrum Anathamate feriendum, atque perpetuali supplicio tradendum, iugiterque barathri poena perpetuo fore concremandum. Quod ut verius credatur, diligenterque ab omnibus obseruetur; paginam hanc manu propria corroborantes, annuli nostri impressione subter consignari curauimus. Datum in Sol, apud Capellam S. Stephani Proto-Martyris. Anno ab Incarnatione Domini Millesimo nono.“

E Cod. Diplomat.

XXVI. Idem Rex Apostolicus limites Episcopatus Quinque-Ecclesiensis circumscribit. Anno 1009.

In nomine Sanctae Trinitatis et indiuiduae unitatis. Stephanus Hungariae Rex. Nouerint omnes fideles nostri praesentes et futuri, qualiter nos cum consensu Sanctissimi Apostolici, et in praesentia eius nunci Azonis, Episcopi et aliorum omnium nostrorum fidelium Episcoporum, Marchionum, Comitum, nec non minorum quoque personarum, erectionem Episcopatus, qui vocabitur Quinque-Ecclesiensis, statuimus in honorem Dei et omnium Sanctorum, Boniperto ibi episcopo facto, priuilegiis, terminisque ordinauimus et confirmauimus. Primum terminum Zemogny viculum, usque Tapion vicum posuimus; secundum Ozora, donec perueniatur ad aliam aquam, quae Lupa nuncupatur. Tertium Kopus usque ad Almas aquam. Quartus, ut dicitur Kwarok, sicut incipiens a Danubio super Zauum fluuium terminatur. Et ut haec nostrae ingenuitas auctoritatis stabilis et inconuulsa permaneat, hanc chartam inde conscriptam sigilli nostri impressione insigniri iussimus. (Signum Stephani Regis Hungariae) Quos terminos si quis mutare praesumserit, inposterum, componat centum libras auri optimi; medium Camerae nostrae, ac medium praefato episcopatus, ac Rectori eius. Et ut plus diuinae irae occursum paueat, sciat se a Deo Patre, Filio et Spiritu Sancto et Gloriosa Dei Genitrice Maria, et a Sancto Petro Apostolo, in cuius honore supra memoratus est constructus Episcopatus, perpetuo anathemate damnandum, et ante tribunal Christi rationem redditurum. Datum decimo Kalendas Septembris, Indictione septima. Anno incarnationis Domini Millesimo nono. Pio Stephano regnante, anno nono. Actum in ciuitate Jauryana.“

Indidem.

XXVII. Idem Rex Apostolicus monasterium S. Benedicti, ad radices montis ferrei fundatum regaliter dotat. A. 1015.

In nomine Domini Dei Supremi. Stephanus superna fauente clementia, Hungarorum Rex. Credimus et vere scimus, si locis, diuino cultui mancipatis, po-

testates atque honores augmentauerimus; id non solum laude humana praedicandum, verum etiam diuina mercede remunerandum. Quo circa omnium sanctae Dei Ecclesiae et fidelium nostrorum praesentium, atque futurorum solers comperiat intentio: quod nos per Dei subsidium, ob animae nostrae remedium, et pro stabilitate regni nostri, monasterium Sanctae Dei Genitricis Mariae, et Sancti Benedicti, ad radicem montis ferrei, diligenter construximus. Omni autem cura adhibita ne monasticae religionis contemplatio, aliqua temporum necessitate compressa, mutaretur ad laeuam; idem monasterium ex donatiuis nostris, consensu et confirmatione auctoritatis Apostolicae, dotauimus terris, siluis, piscinis, vineis, villis, populis tam liberis quam seruis. Liberis scilicet, ducentis militibus, quos sub talem redegimus militiam, ut, si forte in regione suboriretur seditio, ad monasterii armata manu concurrant custodiam; et Abbati regalem visitanti praesentiam, duodecim equites seruitium studeant exhibere; ministris, qui seruiunt cum equis, 156; item ministris, qui seruiunt cum equis curribus, 469; vinitoribus 110, aratoribus 36; apiariis 12; tributariis fori 20; piscatoribus 50; et fabris 10; praepparatoribus vasorum ad cellarium 6; tornatoribus 12; pistoribus 9; figulis 3; ceriariis 6; pestardis 5; aurificibus 5; carpentariis 8; molendinariis 4; opilionibus 13; agazonum 3; subulcis 3; ministris hospitum 3; ministris infirmorum 4; pulsatoribus 5; balneorum seruituti deputatis, quos a Stuba, stubarios vocare possumus, 6; Quorum omnium, militum videlicet, ministrorum quoque et ceterorum cuiuscunque ordinis mancipiorum loca, locorum nomina, et numerus in praesenti priuilegio continentur; mansiones mille centum sedecim; quae simul adunatae fuerunt villas 41. Prima Fullo nominatur; quae ab oriente terminatur Salsuk, ab austro Aruk; ab occidente Chuminky, Cheto; a septemtrione Russy. Secunda Chomur nominatur; quae ab oriente terminatur Baluanus; ab austro Aruk, Czwo; ab occidente Nogwthely; a septemtrione Megye. Tertia: Zomba nominatur: quae ab oriente terminatur Nagu Aruk, ab ab Austro Kowzluk, ab occidente Bukanzona, a septemtrione Naguth. Quarta Sagart nominatur: quae sub Nagyszeg sita est; et communiter dimittimus cum meis successoribus, tam terris, quam siluis, vineis et piscinis, arundinetis, et foenis, excepto nemusculo quodam, quod contiguum est Ecclesiae S. Benedicti, quod sibi soli pertinet. Quinta Ilsehai nominatur; quae ab oriente terminatur Knyeza; ab austro Syrma; ab occidente Thotys; a septemtrione Fermogys. Sexta Bathatato nominatur; quae ab oriente Duna, ab austro Aruksye, ab occidente Utku, a septemtrione Pesesch; Septima Kelkedy: quae ab oriente terminatur Klunouetz; ab austro Szilfa, ab occidente Kukukeretu, a septemtrione Kubaluai. Octaua Dalut, et nona Kanas nominatur; quae ab oriente terminatur Duna, ab austro Aruk, ab occidente Sylfa; a septemtrione Aruk, usque Dunauiz. Decima nominatur Velentha; quae ab oriente terminatur Aruk, ab austro Karumholz, ab occidente Thulfa, a septemtrione Deteschai. Undecima Zajar; duodecima Zenen; tredecima Babarczi; quartodecima Nadajfa; quae ab oriente terminatur Szabi et Szilfa, a meridie Szedulcz, et Thulfa; ab occidente Vrelge.

Quintadecima Gyoko nominatur, quae ab oriente terminatur Horesko, ab austro Sylfa, ab occidente Gyowgy, a septemtrione Zedü. Sextadecima Nogurad nominatur, quae ab oriente terminatur Seyr, Dabrota, Thubana, Nagiwezi usque ad metas Sedec. Septimadecima Gurumbona nominatur, et terminatur ab oriente Gethys Buczethulfa, et a meridie Sylfa, Nognacs — — — ab occidente Kurdhulfa, Pawsita. Octauadecima Sedlucz; nonadecima Nenteck; vicesima Silagh; vicesima prima Paluh; vicesima secunda Smulu; quae ab oriente terminatur Harumkur, Thwel et Seyr; Harum Thulfa, et Pouslika. Vicesima tertia Szanthu; vicesima quarta Mikusek; vicesima quinta Herusbukatuz; vicesima sexta Kalsoith; vicesima septima Hethen; vicesima octaua Varkon; vicesima nona Questhy; quae ab oriente terminatur Zeua Abbatis, a septemtrione Toff, ab oriente Weruz, siue Maduez, siue Agasey, usque ad Nowgwtw; 30. Beliz, quae ab oriente terminatur in Dal, Teluk, Athut, siue Owlü siue Hozzufa, siue Kertelfa, a meridie similiter Arwc, siue Toth, ultra Kiekys, siue Tulfa, siue Seyr; — — — et Tulfa, siue Hede, — — — et Het sylfa ad pasturam bestiarum. 31. Smene. 32. Hirrek nominatur, quae ab oriente terminatur Sarlongis, ab austro Seccei, ab occidente vero Noghwttw, seu Kruhwlfa, a septemtrione Hudus. 33. Hawazod nominatur, quae ab occidente Apati Thwtel terminatur, a septemtrione Mednesch et Kawa, Thubala, et sic demum Kumasly. 34. Urmandy. 35. Thetey. 36. Martyn. 37. Brekud. 38. Bekesd. 39. Schawolak. 40. Hagmasch Kert, ab oriente terminatur Aruk et Ethu, ad partem videlicet Breth, a meridie Bálvánus, siue Bachuto, et Arok; ab occidente terminatur cum Almás; a septemtrione — — — siue Szeruk Gegurutha. 41. Est villa Newegh iuxta Kana, dimidio milliaro in montibus sita. Praeterea ex consensu et confirmatione auctoritatis Apostolicae, nec solum praescripti populi, verum etiam infra terras ipsius monasterii circumscriptionem possessiones habentium decimationibus curauimus praeditare. Eadem etiam auctoritate Apostolica decreuimus, ut praefati Coenobii Abbas, generali tantum et solenni duntaxat Synodo Strigoniensis Archiepiscopi interesse teneatur. Attamen seu a Metropolitano, seu a quolibet alio Episcopo omni contradictione cessante, confirmationem et consecrationem suscipiat; et eius monachi ad ordines promoueantur; more etiam Episcoporum cum mitra, sandaliis, et annulo siue in solenni curia, siue Episcoporum conuentu, vel in quolibet loco religioso, liberime possit assistere; et diuina officia celebrare; duas praeterea capellas regias. Capellam videlicet B. Petri, monasterio connexam, et alteram, quae vulgo Alba Ecclesia vocatur, cum earum parochiis et quibus (omnibus) pertinentiis contulimus praefato monasterio, in quibus sacerdotes ab Abbate constituti, praedicto populo diuinam plenarie exhibeant seruitutem. Chrismata vero et oleum infirmorum quilibet Archiepiscopus vel Episcopus dare teneatur. Praefati vero monasterii populum iam saepe dictum, de spiritualibus instituendum, et iudicandum tantum Strigoniensi Archiepiscopo et Abbati commisimus; in ciuili autem causa nulli liceat iudicare, quam Abbati; nisi forte pro qua sanguis effundi debet. Forum etiam bis in hebdomada stare concessimus; duobus quidem locis: unum

Lepetics (superius) iuxta Sanctum Petrum, die Dominico; aliud vero in vico inferiori, quarta feria; omneque tributum ex eis proueniens, usui iam dicti monasterii contulimus; nec non et salicidio ab omni inquietudine liberrimo, quod nec tributariorum cupiditas, nec possit potentum violentia perturbare; insuper et liberorum denariorum tertiam partem, quae ab aduenis, in terra ecclesiae habitantibus, debentur, ad calceamenta fratrum concessimus. Siluarum quoque proventus, ubique ecclesiae pertinentes, ut in tributis porcorum, seu arundinetorum, nulli omnino liceat possidere, nisi Abbati. In fontibus vero, infra terminos dicti monasterii existentibus, molendina, siue piscinas, absque Abbatis permissione nulli liceat facere. Nobiles autem, siue ignobiles, infra terrae ipsius circumscriptionem possessiones habentes, si post temporum curricula ex donatione nostra obtinuisse dixerint, et contumelia affecti, Ecclesiae contrarii, vel eius populo exstiterint, cum rebus mobilibus expellantur; quia quod Deo contulimus, idem homini nequaquam debemus. Quod si Abbatis imperio non recesserint, potestas regis Abbatis omnibus rebus eos crudeliter expellat; ne palliata iniquitas in monasterii pullulet excidium. Aquae etiam ductu, qui omnino fratrum officinas arrigat, idem decorauimus monasterium. Altaria his decorauimus ornamentis: videlicet 29. casulis, Dalmaticis 14. tunicis 10, et 8; cappis 60; palliis Altarium 27; mantilibus 28; palliis ad cooperiendum sedilia 4; albis 50, camisiis 22, cortinis de pallio 10, et aliis 15; tapetibus ante altaria 10; crucibus 9, puluinariis 7, altaribus ad viam 5, thuribulis 4, candelabris 6, calicibus 11, bacellibus 12, urceis 4, scriniis de argento 3, stolis et manipulis 30, libris vero, quorum praecipue auctoritas viget in Ecclesia, cum Bibliotheca, cum tribus voluminibus, nocturnalibus 4, antiphonariis 5, lectionariis 2 cum euangelis, Missalibus 6, psalteriis 4, gradualibus 5, regulis duabus, baptisariis 2, glossariis 3, omeliarum volumine uno. Equis 120, vaccis 84, ouibus 464, porcis 102, capris 92. Et ut ipsum monasterium ab inquietudine sit remotum, praecipimus, ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, seu aliqua persona nobilis, aut ignobilis de iam fato monasterio aliquomodo se intromittere in mancipiis, terris, vineis, ripis, pratis, piscinis, cultis et incultis salicidiis, decimationibus, et omnibus his, quae in suprascriptis reperiuntur, sine concessione Abbatis eiusdem monasterii audeat. Quod si fecerit componat centum libras auri optimi; medium Camerae regiae, medietatem vero Abbati. Et ut plus diuinae irae occursum pauet, seiat se a Patre, et Filio et Spiritu Sancto, et a Genitrice Dei, sanctisque Apostolis Petro et Paulo, et Sancto Benedicto, in cuius honore praedictum constructum est monasterium, perpetuo anathemate damnandum, et ante tribunal Christi rationem redditurum. Quod ut verius credatur, hanc paginam manibus propriis roborantes, sigilli nostri munimine, in ipso die consecrationis dicti monasterii per ministerium Domini Astrici, Colocensis Archiepiscopi et primi Abbatis praedicti monasterii nobiscum omnibus regni Principibus ibidem assistentibus, confirmauimus unanimiter. Circumscriptio nostrae donationis ante nostram coronationem fuit assignata, ante annos 14, priusquam fundamentum foderetur;

quinto decimo vero anno a fundatione monasterium iam dictum est consecratum, anno ab Incarnatione Domini Millesimo decimo quinto."

Indidem.

XXVIII. *Idem Rex Abbatiam S. Adriani de Zala, consecratam pro Ordine S. Benedicti, solenni diplomate dotat et munit. A. 1019.*

In nomine Dei Summi. Stephanus superna prouidenti clementia Hungarorum Rex, credimus, et vere scimus, quod si locis diuino cultui mancipatis, possessiones atque honores adaugmentauerimus, id non solum laude humana praedicandum, verum etiam diuina mercede remunerandum. Quo circa omnium Sanctae Ecclesiae fidelium, nostrorumque praesentium atque futurorum solers comperiat intentio; quod nos diuino instinctu fundauimus monasterium in insula Zaladiensi, Ordinis S. Benedicti, quod ab anno Incarnationis Domini Millesimo decimo nono, per Dei subsidium, ob animae nostrae remedium, et pro stabilitate regni nostri, ad finem perduximus; in quo iussu nostro dedicata est Ecclesia Beati Adriani, quae est in Zala, simul cum duabus capellis, una quae est in honorem S. Georgii, altera quae est in honorem Sancti Laurentii, a duobus episcopis Modesto, et Boniperto; ubi ordinauimus Abbatem Latinum, nomine Petrum. conferendo eidem potestatem, ut in dioecesi capellarum antedictarum processu temporis, quod necesse est fieri, plures capellae possint aedificari; quae tamen ad iam dictas capellas tenebuntur habere respectum. Contulimus etiam eidem auctoritate Apostolica nobis annuente, ut in praescriptis solennitatibus ornamentis pontificalibus uteretur. Condonauimus etiam, ut capellas sacerdotibus possit inuestire; et dedimus S. Adriano ad seruiendum praedia, decimas, piscinas, quarum nomina haec sunt: Tisciam cum Ecclesia S. Adriani, Rada, Sniger, Szalavar, Chaz, Borul, Cendy, Nimigh, Bessynew, Fizek, cum duobus aratris. Et etiam dedimus redditus fori Chan, Csorgow, et redditus Colonien. Aquae et pontis ciuitatis, et decimam equorum nostrorum in insula, quae vocatur Csepel, in puledris, et ducentas ulnas de subtili panno pro indumentis fratrum ex Camera nostra. Villae decimarum hae sunt: Pobon, Kurkow, Szölöst, Kustyán, Mand, Devecser, Egruch, Patsch, Keszte, Korunthal, Varvus, Hidwegh, Magarad, Sklot, Kolon, Komar, Kolumbok, Schopy, Stolcz, Bigui, Wolupna, Reche, Merenye, Karus, Sobor, Zobor, Uruston, Urugh, vel Ung, Kerechen, Gelse, (Gerse) Rayk, Bygug, Patha, Jarutz, Raduk, Gestred, Sclauonica Rakolyan, Hungarica Rakolyan, Lengyel, Gethye, Pisteha, Horváth Istebor, Kal, Poklonya, Aracha. Et ne Episcopus Parochianus iniurias, querimonias in collatione decimationis praedictarum villarum pateretur, sibi alios terminos decimationis assignando contulimus. Quod si ipse contra nostra statuta, quod absit, inique agere, vel quaerere (queri) voluerit, ante Deum iudicem viuorum et mortuorum in die iudicii se contendere nobiscum sciat. Sit id ipsum monasterium ab omni inquietudine remotum. Praecipimus etiam sub testificatione Domini nostri Jesu Christi, ut nullus Potentum, vel aliquis magnus siue par-

uus, de iam dicto monasterio aliquomodo se intromittere in mancipiis, aut terris, vineis, decimationibus, piscationibus, ripis, placitis, sine consensu eiusdem Abbatis audeat, aut praesumat. Piscinae autem hae sunt: Alba Piscina, cum 50 piscatoribus in villa Pogrod. Aliae minores piscinae: Madacs pro Uzonibus; piscina ciuitatis iuxta Drauam in Boka cum 12 piscatoribus, et in Insula. Item in Draua. 12 libras cerae, et 12 pelles vulpinae, cum 100 pellibus Spilonorum. Si quis autem potens voluerit auferre aut abstulerit, vel destruere de hoc, quod nos Rex Stephanus dedimus S. Adriano, ira Dei et nostra sit contra illum, et componat quinquaginta libras auri optimi; medium Camerae nostrae, ac medium praefato monasterio, suisque rectoribus, maledictionisque perpetuo vinculo aeternaliter feriat; et ut acrius credatur, hanc paginam sigillo nostro autentico corrigiae appensione iussimus signari." Anno. 1019.

Indidem.

XXIX. *Idem Rex monasterio de Zala novos fundos adiicit. A. 1024.*

In nomine Dei Supremi Stephanus superna prouidente clementia Hungarorum Rex. Quia ex officio nobis incumbente tenemur inuigilare, ne iura, libertates, et decimationes ecclesiarum et monasteriorum regni nostri, nobis a sancta sede Apostolica commissarum, et praecipue Ecclesiae B. Adriani Martyris pretiosi, de insula Szalaiensi, per nos ob specialem deuotionem fundatae, per ministros earumdem dispergantur, una cum praelatis et Baronibus regni nostri, ad petitionem V. Fratris Petri, primi Abbatis eiusdem Ecclesiae, anno millesimo vigesimo quarto, crastino festi assumptionis B. Virginis, quum essemus in Alba, inuito consilio diligenti, cum matura deliberatione duximus discernendum: quod nullus abbatum, aut conuentus, dictae ecclesiae decimas, possessiones, aut conditionatos manu mittere, et ab eorum conditionibus liberos reddere, absque regia licentia, et consensu speciali alienare, aut distrahere, habeat facultatem. Si quid vero contrarium per quemlibet abbatem, aut conuentum, processu temporis actum vel factum fuerit; eorum facta vel acta, et etiam instrumenta literaria, si quae per quem confecta fuerint, super eo in futurum volumus, ut inualida sint et omni stabilitate caritura. Sacerdotes vero capellarum D. Georgii, et Sancti Laurentii de Pathila ac Rokolyan, cum ceteris Sacerdotibus ad ipsum monasterium spectantibus, congregationi ipsius, quoties visum fuerit, teneantur interesse. Et quia id ipsum monasterium amplectimur speciali dilectione, etiam libertates et exemptiones eidem Ecclesiae concessimus infrascriptas, in secula statuendo; videlicet: ut nullus, praeter personam regiam, vel eum, quem elegerit Abbas, populos ipsius monasterii praesumat iudicare; sed iudicio et potestate, ac iurisdictione omnium iudicum et uniuersorum comitum parochialium seu viceiudicum et curialium comitum regni, et etiam a grauaminibus, quae per collectores tam victualium, quam denariorum, seu quarumlibet aliarum exactionum, tam in praesenti quam in futuro, camerae et fisco regali exigendarum, quae eisdem possint imponi, penitus sint exempti. Volumus etiam, ut cum necessitas propo-

scerit, contra importunitates, iura vel possessiones impugnantium, seu occupantium, et ne per hoc laus diuina intercipiatur propter occupationes talium, et casui tali obuietur, regia maiestas, quoties locus et tempus se obtulerit, dictae ecclesiae de sua benignitate in pugili prouidere, et ipsum pugilem per omnia expedire. Insuper etiam, ne ipsis fratribus vel ad eosdem pertinentibus pro alimentorum, et aliarum rerum necessitatibus, ad victum et amictum pertinentibus, remotius quaerendi aut emendi incumbat necessitas; dedimus eisdem fora in die Lunae, in villa Barand, et die veneris in villa Szalavar; ad quae fora quilibet liberam veniendi et recedendi, nullo penitus grauamine obstante, vel tributo, et in omnibus possessionibus Ecclesiae, contra fures et malefactores, officiales eorundem singulis singulas poenas condignas iudicandi, exercendi, et infligendi, secundum demerita eorundem, habeant plenarie potestatem. Contulimus etiam praefato monasterio piscinas simul cum insulis aquae Balatini, una cum siluis adiacentibus ipsius Ecclesiae Szalavar, et Murul nuncupatis cum duodecim piscatoribus, in portu eiusdem aquae commorantibus, pro mensa fratrum. Addidimus etiam piscinam Pyske, cum villis et praediis, videlicet: Sornuk, magnum Bok, Sargan, Ahurpataka, cum terris et siluis adiacentibus Kour, Velgh, Rokolyan, Odornuk, Boyuk; redditus fori Chan, prope fluuium Szala, Kaina cum viginti quatuor conditionariis, Apathy penes Remuh, Budun, Bath, Culens, prope aquam Balatini, Bulcsen, cum piscinis suis in fluuio Draua, praedium Szent Adrian Martyr vocatum; terram Tytiam cum capturis piscium, ac utilitatibus uniuersis, et ex omnibus et de omnibus, de terra nascentibus, plenam decimam de praedictis possessionibus. Et sicut id ipsum monasterium deuotionis affectu sequestratum, propter religionis disciplinam deuote seruandam, et ab ipsis fratribus in eodem conuentionibus deuotius tenendam, et custodiendam in insula ad hoc apta, locauimus et fundauimus; ita ab omnibus inquietudinibus ac molestiis uolumus id ipsum esse semotum; quietum et exemptum. Si quis autem potens infringere uoluerit vel praesumserit donationes, libertates, exemptiones, decimationes eidem monasterio per nos traditas vel concessas; ante Dominum, iudicem uiuorum et mortuorum, in die iudicii se contendere nobiscum sciat; componatque centum libras auri purissimi; medium Camerae nostrae, ac medium praefato monasterio, suisque rectoribus, maledictionisque perpetuae vinculo aeternaliter feriat. Et ut uerius credatur, hanc paginam perpetuis futuris temporibus duraturam, propriis manibus, ob reuerentiam B. Adriani, sigilli nostri authentici munimine, corrigiae appensione roborauimus consignando.

Indidem.

XXX. *Idem Rex Apostolicus monialibus Graecis in valle Vesprimiensi Parthenon fundat, diplomateque Graeco munit. A. 1025.*

In nomine Patris et Filii et Sancti Spiritus iubeo ego Stephanus et rex totius Ungariae, erigendum, administrandum et constabiliendum monasterium sanctissimae Dei Genetricis Metropolitanum in Vesprem, et in eo perennem multi-

tudinem Monialium pro spirituali salute mea coniugis ac prolium mearum, et patriae totius; et do annuas eidem monasterio nonas cum villis perpetuo possidendis. Nomina vero duarum istarum villarum sunt haec prima Sagarberen: habens mansiones quadraginta octo, et piscatores sex. Et altera villa est Sanatou: habens mansiones triginta, quae est ad Danubium; et viginti Uduornicos in dedicationem sanctissimae Dei genetricis, et traiectum. Obada una cum naucleria septem. Similiter et telonium fori et aratores sexaginta, et piscatores ad Danubium duodecim, et fabros lignarios tres, et fabros aerarios duos, et lagenarium unum, et torneatorem unum; et in Polosnik, et in Mama plaustrales sex, in Obada vero septuaginta apiarios, vinitores sex; ut autem habeat et Santan, insulam sanctam Trinitatem, in participationem. Omnium vero villarum nomina haec sunt: primo Sagarbëren, et Tune, Saindru, et Knesa et Knetä, Tziton etc. Secundo: Samton, Podruga, et Zalçse, et Grintzari, et alia plura do eidem metropolitano monasterio sanctissimae Dei Genetricis, ut donec steterit coelum et terra sint monasterii. Do autem etiam potestatem in hac eadem habitatione, ut volentes habitare in possessorio sancti monasterii, absque voluntate Abbatissae et sororum, expellantur e loco etiam nolentes. Si quis autem praesumserit ex illis, quae dedi in perpetuum monasterio, minuere, aut aliquid abalienare, seu ex progeie mea, seu alter aliquis. seu Reges, seu Principes. seu Belliduces, seu Episcopi, seu aliqui alii, ut habeant maledictionem a Patre et Filio, et Sancto Spiritu. Gloriosa Domina nostra, Deipara, et semper Virgine Maria gloriosissimis Apostolis, et tercentum octodecim Patribus et omnibus Sanctis, et a me coram Patre et Filio et sancto Spiritu, Gloriosa Domina nostra, et Deipara, omnino semper peccatore.“ A. 1025.

Indidem.

XXXI. *Idem Stephanus monasterium S. Mauritii pro eodem ordine S. Benedicti in Bakonbél fundatum consummat ac dotat. A. 1037.*

In nomine Dei summi, Stephanus superna prouidente clementia Ungarorum Rex, uniuersorum Christi fidelium sane intendat discretio, quod dum in terra Hungariae christianae religionis, per Dei gratiam, noua pullularet professio; multi catholici et religiosi viri ex vicinis prouinciis, Spiritus Sancti Dono illuminati, coeperunt ad me confluere; quorum consilio et monicione in diuersis locis ad Dei seruitium aptis, ecclesias et monasteria incoepi construere, in quibus e seculo fugientes regulariter possent conuersari, et Deo omnipotenti famulari. Igitur inter caetera in illo loco, qui Beel dicitur, in silua Bocon, quia diuino cultui videbatur mancipari valde idoneus, sub titulo S. Mauritii, Christi Martyris, monasterium incoepi construere, quod et per Dei adiutorium consummaui; regis quoque munificentis, sicut potui, dotauit; in quo Gerardus Monachus de Venetiis ueniens, primus coepit conuersari, et sicut habui potestatem, ut ubicunque, vel in quocunque loco vellem Ecclesias, aut monasteria construerem; ita nihilominus a Romanae Sedis supremo Pontifice habui auctoritatem, ut quibus vellem Ec-

clesiis, seu monasteriis libertates et dignitates conferrem. Quamobrem in futurum praecauens, ne idem monasterium multorum temporum successione aliquo modo grauaretur, ab omni episcoporum potestate, et iurisdictione illud liberum esse statui. Quae autem in dotem ipsius contuli, propriis volui vocabulis exprimere: videlicet tributa de foro Reginae, et de foro Zill; et de portu Árpás, in Raba; de portu et foro in Comarin; piscinas duas in Draua, cum piscatoribus, quarum nomina Zualin et altera Toplunca, quae separatur riuulo Burzy. In portu Modusa dedi liberam piscationem, quae vulgo tana dicitur. Praeterea statui, ut in Zelipp detur septimus piscis Uzonum; et de piscinis Nandur in Tiza, detur similiter septimus piscis, seu septimus annus ad piscandum. De fructibus vero arborum, quae ibi sunt, detur septima pars. Piscinam autem Tenerere dedi totaliter. Has omnes piscinas, cum piscatoribus suis, dedi beato Mauritio: Villarum autem siue praediorum nomina sunt haec, quae S. Mauritio contuli: Cuppan, Pannaná, Árpás, Magos, Kaiarhul, Ocul, Palaznuk. In his vineis, siue praediis, cuiuscunque conditionis sint homines, ad me pertinentes, Sancto Mauritio dedi, qui secundum ordinem conditionis suae ita plane seruiant Abbati, S. Mauriti, sicut solebant seruire regiae Maiestati. Do etiam licentiam famulis eiusdem monasterii in silua Bokon ligna incidere, ad omnia opera monasterii et praediorum eius. Porci quoque Abbatis in eadem libere pascantur. Sunt praeterea quatuor lapides viciniore ad monasterium, qui vulgariter sic vocantur: Hegyeskuw, Kerteskuw, Fejerkuw, Odvaskuw; in his, a quocunque homine fuerint ferae interfectae, dimidiam partem illarum ministri Abbatis accipiant cum cutibus earumdem. Adhuc autem subiungens statuo; sit ipsum monasterium ab omni inquietudine remotum. Abbas a monachis illius loci, partis sanioris, libere eligatur; electus vero, a quo voluerit episcopo, consecratur; infula quoque et baculo pastorali decoretur. Nullius episcopi subiaceat potestati, nisi Strigoniensis tantummodo Archiepiscopi generali assistat Synodo, ut ubi salutaria monita audiendo se, suosque subiectos valeat salubriter instruere, sitque illius loci Monachis et Clericis licitum sacros ordines accipere, a quo voluerint, episcopo, dum modo catholicus sit. Populus quoque eidem loco subiectus, et emnes superuenientes hospites, qui ad eiusdem monasterii capellas, terras, praedia seu quascunque possessiones habitandi gratia accesserint, in cuiuscunque Episcopi Dioecesi fuerint, decimas suas de vino, de segetibus, siue aliis nascentiis, et de pecudibus, vel animalibus, nulli Episcopo dent, nisi proprio monasterio, suoque Abbati. Liceat etiam eidem in praediis et possessionibus monasterii sui oratoria et capellas construere; consecrationes vero, a quo voluerint episcopo petere, et ille episcopus, ut diuinae benedictionis partem habeat, petenti satisfaciatur; alioquin ultionem diuinae indignationis incurrat. Praecipio itaque firmiter statuendo, sub testificatione Saluatoris Domini nostri Jesu Chri, ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Praefectus, nec aliquis potens homo; siue magnus, siue paruus, de praefato monasterio, et eius iure infrascripto, se aliquo modo intromittat in tributis, in redditibus, in praediis, in mancipiis, in terris, in vineis, in decimatio-

nibus, tam populi sui et hospitem suorum, quam praediorum, in piscationibus, in ripis, in pratis et uniuersis bonis, sibi collatis siue conferendis, sed ita libere possideat, sicut episcopi sua possident iura. Si quis autem christianae religionis de huius monasterii libertate et nostra constitutione aliquid subtrahere tentauerit, circumuallet illum anathema perpetuum, et componat viginti marcas purissimi auri, medium Camerae Regiae, mediumque Abbati et rectoribus saepe dicti monasterii; cunctis autem seruantibus illius iura, sit pax a Deo patre, et Jesu Christo, filio eius. Amen. Anno Dominicae Incarnationis 1037. Indictione V. Epacta prima, concurrente quinta, Existentibus Hungariae Primatibus Dominico Archiepiscopo, Modesto episcopo, Urzio, Chuntzio, Tomoyno Comitibus. Signum Domini Stephani Regis, Dominicus Archiepiscopus Vice Cancellarius Pater est.“

Indidem.

XXXII. *Idem Rex in gratiam Hungarorum, Romam peregrinantium, monasterium S. Petri Rauennae construit, et dotat. A. 1037.*

Stephanus Dei gratia, Ungariae Rex, venerabilibus viris Abbatibus et conuentui monasterii S. Petri ad vincula, quod in territorio Rauennae situm est, et eorum successoribus in perpetuum. Quoniam illo Domino nos illuminante, qui illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, praefatum monasterium vestrum, per adiutorium nostrum, ad consilium Gerardi, venerabilis episcopi Ecclesiae Morisanae, fidelis nostri, una cum nobili uirò, Romano Duce Rauennae, construi fecimus, et per praedicti Gerardi manus proprias ac auctoritate Romanae Ecclesiae consecrari; idcirco nos decet illud regali munificentia honorare, ac uobis et uestris posteris prouidere, quod ideo in ipso monasterio seruire possitis, peregrinos Hungaros ac nuncios nostros charitative valeatis tractare. Quapropter proprio motu et regali liberalitate uobis, uestrisque successoribus in perpetuum concedimus et donamus pro anima nostra, et parentum nostrorum, tam antecedentium quam subsequenium, ut Deus et beatus Petrus Apostolus Domini, ab omni vinculo delictorum nos soluat, viginti quinque marcas puri argenti de Camera nostra, quas per uos, uel nuncium uestrum recipere debeatis, propter competentes expensas, aut nuncio uestro de eadem regali camera nostra, pro huiusmodi itinere faciendo cum praedictis viginti quinque marcis semper dabuntur; pro hoc anno eleemosyna nostra, quam uobis facimus, et in perpetuum fieri uolumus, ecclesiam reparare paretis, cum fuerit necesse, residuum sit pro indumentis, uestris. Et nos et successores nostri uestris semper erunt orationibus commendati. Hoc quoque auctoritate regali statuimus et firmiter praecipimus, atque pronunciamus, quod nec nos aliquatenus, contra praedicta ueniamus, nec successores nostri, et nullus aut Camerarius, siue Consiliarius concedere hoc ausus sit. Anno 1037.

Indidem.

XXXIII. *Vestigium priuilegii ciuibus de Alba Regali a Protorege concessi.*

Rex (Sanctus Stephanus) cum Legato, tum Apostolicae Sedis, Hospitibus de

Alba, priuilegio mediante talem elargitur libertatem; quod in toto regno suo, nec in aliqua porta confinii tributum alicui soluere compellantur; praeterea quicunque hospites ad eos transire et cum eis conuersari voluerint, ea libertate, qua ipsi fruuntur, similiter in perpetuum potiantur. Quod si quis tributum uolenter ab iis extorserit, iram Regiae Maiestatis, et rerum suarum dispendium merito sustinebit.“ Libertates has — ipso priuilegio Stephano infesto incendii casu, in cineres conuerso, Rex Bela IV. ad humilem supplicationem ciuium Albensium, libertatis suae statum tractu temporis in dubium reuocari timentium, velut notorias, dubio omni carentes, et absque ulla interruptione usu roboratas priuilegio suo, anno Dominicae Incarnationis MCCXXXVII. secundo Nonas Maii, regni vero sui II. emanato confirmat.“

E Cod. Dipl. tomo VII. vol. I. p. 108.

XXXIV. Vestigium Legendae Protoregis Stephani in Ecclesia Albensi coaseruatae.

Excellentissimo Domino ipsorum, Domino Ludouico, Dei Gratia Inclyto Regi Hungariae, Albensis ecclesiae Capitulum orationes in Domino cum perpetua fidelitate. Literas sublimitatis vestrae annulari sigillo vestro consignatas, omni, qua docuit reuerentia, recepimus in haec verba: Ludouicus Dei gratia Rex Hungariae, fidelibus suis, discretis viris, Capitulo Ecclesiae Albensis salutem et gratiam. Fidelitati vestrae firmiter praecipiendo mandamus quatenus in Legendae Sancti Stephani Regis hoc, in quantis locis in regno nostro nobiles Jobbagyones et populi Castri Craco vocati, residentiam facere debeant, et in quali libertate existunt, requirere debeatis, et prout rescieritis, nobis per exhibitorem praesentium, ad fidelitatem vestram, in literis vestris nunciare debeatis. Datum Budae Sabbatho proximo ante quindenae sancti Michaëlis Archangeli, Anno Domini Millesimo Tercentesimo quadragesimo nono. — Nos igitur praeepto vestrae sublimitatis libenter obtemperassemus, ut tenemur, de iure et de facto, libertatem Jobbasyonum et populorum praedicti Castri Craco vocati, in Legendae Sancti Regis Stephani contentam pro eisdem Jobbasyonibus et populis libenter quaesiuissemus, et inuentam in nostris literis vestrae Maiestati transissemus, sed dictam Legendam Serenissimus Princeps, Genitor vester, Dominus Karulus, eadem gratia, quondam Inclytus Rex Hungariae, piae et felicitis recordationis, ad scitum omnium nostrorum tempore Joannis, quondam custodis, de sacristia interiori excipiendo, ad Wissegrad fecit deportari; ideo eandem requirere non valuimus. Datum feria VI. proxima post festum Undecim Millia Virginum, Anno Domini supra dictum.“

Ibid. p. 109.

XXXV. Indicium Moraviae usque annis Taina in Morauam influxum amissae. Anno 1030.

Notum sit omnibus christianis, tam praesentis temporis, quam subsequentis aevi, in firmitatem facti, quod ego Brachislaus, filius illustris Boemorum Ducis,

considerans robur et fortitudinem non esse in homine, nec victoriam procurari ab homine, verum omnia, quae victorioso et feliciter geruntur, solummodo euenire per Deum; cuius omnipotentiae nulla est terminatio; idcirco profligationem Ungarorum de terra nostra Morauia, ipsius tantum auxiliante brachio factam esse, ingenue perfiteor. Illacrimaui sane, et, intimo corde sum percussus, quando videbam loca illa sacra, ubi coepit christianitas, per eosdem Ungaros, tum paganos, deuastata et diruta; atque in ruderibus dissipata iacere et ecclesias in illis partibus terrae nostrae omnes ad unam spoliatas, et profanatas existere; et deuoui pro meo tum proposito, magnam spoliarum copiam ab eisdem vastatoribus et depraedatoribus receptam, in reaedificium et restaurum praedictarum Ecclesiarum impendere; deponendo ipsam super altari eius, cui ablata, atque quo opitulante recepta esse, dignoscuntur. Hinc est, quod ego Brachislaus, Dux Morauiensis — etiam Ecclesiae S. Petri in Olomuci, et Capellae, quae est in honore S. Clementis constructa, ibidem, eam dotis suae restitui fecimus portionem, quam ipsi ex collatione antiquorum huius terrae principum concessam esse, scripto et oretenus veraciter didicimus; videlicet circuitum in conterminio Ungarorum iuxta fluuium Moraua, ubi alius fluuius, qui Tyn nuncupatur, in eundem profluit, cum loco Tyn, cultoribus plane deserto. Sed et postquam etc. Et haec restitutio et collatio mea facta est ex consensu et sub sigillo Udalrici, illustris Ducis Boemorum, karissimi Progenitoris nostri, nec non sub anathemate reuerendi Patris Hizonis, Pragensis Episcopi, quod in omnes sententia edixit canonica, si qui hanc nostrae benignitatis largitionem sua peruersitate audebunt immutare, vel annullare. Amen. Actum in Olomuci, praesentibus Hizione Episcopo. Duce de Polonia, Velz Comite Thanzz Comite etc. Anno 1030.

E fragmentis Monsianis Litt. III.

XXXVI. *Prouinciae inter fluuios Morauam, et Vagum, usque radices montis Tatra extensae, ad Episcopatum Pragensem pertinentis, indicium.*

In nomine Sanctae, et Individuae Trinitatis, Henricus tertius, diuina fauente clementia, Romanorum Imperator Augustus, Regio nomini et imperatoriae dignitati, congruere nouimus, ut Ecclesiarum Dei utilitatibus ubique opitulantes, damna et iniurias earum, quaecunque necesse fuerit, propulsemus. Quapropter uniuersis Dei nostrique regni fidelibus, tam futuris quam praesentibus notum esse volumus, qualiter fidelis noster Pragensis Episcopus, Gebhardus, saepe confratribus suis et Coepiscopis, ceterisque Principibus nostris, ac nouissime nobis, conquestus est, quod Pragensis Episcopatus, qui ab initio per totum Bohemiae ac Morauiae ducatum unus et integer constitutus, et tam a Papa Benedicto, quam a primo Ottone Imperatore, sic confirmatus est; postea antecessorum suorum consensu, sola dominantium potestate, subinthonizato intra terminos eius nouo episcopo, diuisus esset et imminutus. Qui cum Moguntiae coram legatis Apostolicae sedis, praesentibus nobis ac plerisque regni nostri Optimatibus, tandem querimoniam intulisset, ab Archiepiscopo Vezlone, Moguntino,

Sigeuino Coloniensi, Egilberto Treuerensi, Liemaro Bremensi, ab Episcopis quoque Ciederico Virdunensi, Conrado Traiectensi, Udalrico Eistetensi, Ottone Ratisbonensi, cum assensu Laicorum, Ducis Bohemorum Wratislai, et fratris eius Conradi, Ducis Friderici, Ducis Lutoldi, Palatini Comitis Rapotae, et omnium, qui ibidem conuenerant, primitiua illa parochia, cum omni terminorum suorum ambitu, Pragensi sedi est adiudicata. Termini autem eius occidentem versus hi sunt: Jugast, quae tendit ad medium fluminis Chuo; Zedleae (al. Zelza) et Luisca, et Dasena, Liutomerici, Leinwsi usque siluam, qua Bohemia limitatur. Deinde ad Aquilonem hi sunt termini: Psouane, Choruati; et altera Hrouatizlane, Treboane, Poborone, Dedossene, usque ad mediam siluam, qua Milcianorum (Misniae) occurrunt termini. Inde ad orientem hos fluuios habet terminos: Bug scilicet et Zlir, cum Cracoua ciuitate, prouinciaque, cui Vag nomen est, cum omnibus regionibus, ad praedictam urbem pertinentibus, quae Krakoua dictum est. Inde Ungarorum limitibus additis usque ad montes, quibus nomen est Teitri (Tatra), dilata procedit. Deinde in ea parte, quae meridiem respicit, addita regione Morauia, usque ad fluuium, cui nomen Wag, et ad mediam siluam, cui nomen est, Mure, et eiusdem montis, eadem Parochia tendit, qua Bauaria limitatur. Mediantibus itaque nobis, et communi Principum aspirante suffragio pactum est; ut Dux Bohemiae Wratislaus et frater eius Conradus, supra dicto Pragensi Episcopo, fratri suo, parochiam iudiciorum ordine requisitam, ex integro reprofiterentur et redderent. Proinde nos rogatu eiusdem episcopi rationabiliter inducti, Pragensis episcopatus redintegrationem nostrae imperialis auctoritatis edicto illi, ac successoribus eius confirmamus et stabilimus; inuiolabiliter decernentes, ne ulla posthaec conditionis persona, vel ulla societas hominum Pragensi Ecclesiae quicquam sui iuris, in praenotatis terminis alienare praesumat. Cuius redintegrationis et confirmationis auctoritas, ut omni aeuo stabilis et inconcussa permaneat, cartam inde conscribi, quam sicut infra apparet, manu propria laborantes, impressione signi nostri iussimus insigniri. Data III. Calend. Maii. An. Dom. Incarn. MLXXXVI. Indictione IX. Anno autem Domini Heinrici, regni quidem XXXII. Imperii vera III.

Ita Cosmas Pragen. l. c. p. 2057—2060.

XXXVII. Ecclesia S. Michaelis Archangeli in Transilvania a Rege Apostolico fundatae documentum.

Nos Magister Mathaeus Wayuoda Transilv. et Comes de Zonuk, Memoriae commendamus tenore praesentium, quibus expedit uniuersis. Quod cum nos peculiari pietatis et reuerentiae Zelo ducamur, in sanctam matrem Ecclesiam beati Michaelis Archangeli de Alba Trans. que sedes est episcopalis, per diuum, sanctumque olim Regem nostrum Stephanum, beate memoriae, iam fundatam, et aedificatam perque subsequos diuos, sanctosque Reges ditatam; hinc quo eadem ecclesia nostra quoque pietate mediante augmentum et incrementum capere posset; quadraginta quinque illas marcas fini argenti, iustique ponderis, quas

Nicolaus, filius Bartholomaei de Fahyd, a nobis sine reuindicandarum certarum possessionum suarum, in ipsis octauis festi beati Michaëlis Archangeli leuauerat, eidem Ecclesiae in refrigerium animae nostrae condonauimus in perpetuum, harum nostrarum vigore et testimonio literarum, mediante. Datum in Sancto Emerico, feria quarta proxima post octauas dicti festi Beati Michaëlis Archangeli. Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo.“

E Coll. Josephi Comitae Kemény.

XXXVIII. Comitatum a Protorege institutorum indicium.

Nos Thomas Wayuoda Transiluanus, et Comes de Zonuk. Praesentium per tenorem significamus, quibus expedit uniuersis: Quod cum Domini millesimo, tercentesimo. vigesimo secundo in octauis Paschae in Kereztes una cum regni nobilibus, Siculis et Saxonibus, ubi Dominus Episcopus Transiluanus, et discreti viri de capitulo intererant, Magister Gyegus, filius Nicolai, pro se et pro fratre suo, videlicet Jacobo, filio Apa; adstando nobis significare curauit: Quod Comes de Küköllő quasdam possessiones suas Almakerék, Keresd, Besse, Festeoteluke, Ujfa-lu, et Rundal, cum suis pertinentiis vellet attrahere seu ampliari ad suum iudicatum. Unde cum nos Dominum Episcopum et discretos viros de capitulo et uni-versos nobiles, Siculos et Saxones interrogassemus, ut praedictae possessiones, in quo Comitatu diagnoscantur adiacere; pariter et una voce responderunt: quod a tempore aedificationis ecclesiae beati Michaëlis Archangeli Tranniae praefatae possessiones essent et fuissent ad Comitatum Albensem pertinentes seu extantes. Datum in Thorda. Anno et termino supradictis.


Indidem.


**CAROLI M. FRANCORUM REGIS, IMPERATORIS ROMANORUM
GENEALOGIA.**

Carolus M. Pipini regis Francorum filius, † Anno 814. Uxor V-ta Hildegardis.

Pipinus † 800. Carolus † 810. Ludouicus Pius † 840. Uxores : Irmenegard, Juditha. Filiae complures.

| | | | | | |
|---------------------|---|--|---|--|--|
| Bernardus † 810. | Lotharius † 855. Imp. Italiae. | Pipinus † 838. | Ludouicus I. Rex Germ. † 870. | Carol. Calu. Rex Franc. † 877. | Filiae: I. Gisela II. Adelhais uxor. Eberhardi I. Com. II. Com. Com. Conradi. Roberti. |
| | Ludouicus II. Imp. † 875. Filia Ermingardis, consors Bosonis regis Burgundiae; filius Ludouicus III. Imp. 905. † 953. | Lotharius in Lotharingia † 869. Filia Bertha, I-a consors Theobaldi Arelatensis { Hugo Rex Italiae A. 945. † 947. Boso, Rex Burgundiae. | Carolus III. Imperator vulgo Crassus † 888. — Bernhardus. Ludouicus II. Junior. † 882. Carolomannus Imp. † 880. Filius huius notus Arnulfus Imp. Rex Germ. filii huius { Ludouicus III. Rex German. † 911. Zwentobold in Lotharing. † 900. | Ludouicus II. † 879. Juditha consors Balduini Comitis. Carolus III. simplex † 929. Huius filius Ludouicus IV. † 954. { Carolus Lotharingus † 992. Lotharius † 956. Huius filius Ludouicus V. † 987. Carolomannus † 884. Ludouicus III. † 882. | Dux Conradus. Filius huius: Rudolphus I. Rex Burgundiae superioris 889—892. — Rudol- fus II. Rex † 937. — Conradus † 993. Rudolphus III. 1032. |
| | | Carolus Archiepiscopus † 885. Pipinus II. In Aquitania † Anno 864. | | Filius huius: Berengerius Marchio Foroindiensis. | Robertus Parisiensis Rex, † 923 { Radulfus Princeps Burgundiae, Rex † 956. Comes Odo Parisiensis Rex † 898. } Hugo M. Com. Paris. † 956. — Hugo Capetus Rex A. 987. |









3 2044 020 589 164

This book
the Library
stamped by
A fine of

